FRATRIS

PETRI MARIÆ GAZZANIGA

ORD. PRÆD.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

HABITÆ

IN VINDOBONENSI UNIVERSITATE

NUNC VERO METHODO DISPOSITÆ

EMENDATÆ ET AUCTÆ

ACCEDIT TRACTATUS DE SACRAMENTIS EJUSDEM AUCTORIS

TOMUS QUINTUS

DE VERBI DIVINI INCARNATIONE.

BASSANI 1831.

SUIS TYPIS REMONDINI

EDIDIT

INDEX

CAPITUM ET PROPOSITIONUM

QUÆ

IN HOC VOLUMINE V. CONTINENTUR

De Incarnatione Divini Verbi. pag. 1

Sectio I. *Variis argumentis ostenditur, Messiam in Lege promissum jamdiu advenisse, eumque esse Jesum Christum Nazarenum.* ibid.

Caput I. *Ex miraculis, & vaticiniis Jesu Christi alibi a nobis demonstratis luculenter eruitur contra Judæos, Jesum Christum esse Messiam in lege promissum.* 2

Caput II. *Breviter indicantur veteris testamenti prophetiæ, quibus divini Liberatoris adventus promissus fuit.* 5

Caput III. *Epocha adventus Messiæ a Prophetis prædicta est. Nec fingi potest ejus adventum aliqua de causa esse dilatum.* 9

Propositio I. *Epocha adventus Messiæ fuit variis oraculis Prophetarum determinata.* ibid.

Propositio II. *Sine ullo fundamento fingitur, adventum Messiæ aliquibus de causis fuisse dilatum.* 13

Caput IV. *Ex vaticinio Jacobæo, refutatis falsis interpretationibus, evincitur, Messiam jamdudum advenisse, eumque esse Jesum Nazarenum.* 15

Caput V. *Ostenditur, Danielis vaticinium fuisse in Jesu Nazareno adimpletum.* 21

Scholion. *De celebri versione Danielis secundum LXX. ex Tetraplis Origenis.* 24

Caput VI. *De vaticiniis Aggæi, & Malachiæ.* 26

Caput VII. *Ex prædictione conversionis Gentilium, aliisque nonnullis prophetiis evincitur, Jesum Nazarenum esse Messiam.* 28

Caput VIII. *Ex præsenti Judaicæ Nationis statu a Prophetis prædicto magis confirmatur, Jesum Nazarænum esse Messiam, a Deo promissum.* 30

Caput IX. *Ostenditur, Messiam in Lege promissum, futurum verum, & naturalem Filium Dei.* 34

Appendix I. *De testimonio, quod Josephus Flavius de miraculis, & divinitate Christi reddidit.* 37

Propositio. *Testimonium Josephi Flavii de Jesu Christo genuinum est.* ibid.

Appendix II. *De mediis opportunioribus pro conversione Judæorum.* 40

Sectio II. *De Mysterio Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.* 44

Dissertatio I. *De possibilitate, necessitate, causa, & tempore Dominicæ Incarnationis.* 45

Caput I. *De nomine Jesu Christi, & quid sit Incarnatio Dominica.* ibid.

Caput II. *Solvuntur quædam subtiles Philosophorum rationes, quibus Ethnici, Judæi, Sociniani, aliique probare conantur, mysterium Dominicæ incarnationis esse absurdum, & impossibile.* 47

Propositio. *Nulla est repugnantia in divinæ incarnationis mysterio; adeoque impossibile Deo non est.* 48

Quæres primo, an Deus potuerit assumere naturam Angelicam? 50
Quæres secundo; an Deus debuerit assumere naturam humanam ex stirpe Adami? 51
Caput III. *De causis Dominicæ incarnationis, ac præcipue de causa finali.* ibid.
Propositio. *Causa finalis incarnationis Dominicæ fuit redemptio generis humani; quamobrem si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset.* 52
Quæres primo, an posito hominis peccato necessarium fuerit ad ejusdem hominis reparationem Deum incarnari? 58
Quæres secundo, an Dominica incarnatio magis facta sit ad delendum peccatum originale, quam actuale? ibid.
Caput IV. *Cur non statim post lapsum Adami venerit Messias ad redimendum genus humanum?* 59
Dissertatio II. *De Essentia Incarnationis.* 62
Caput I. *Demonstratur, verum carnem humanam a Verbo divino assumptam fuisse.* ibid.
Propositio I. *Christus Dominus assumpsit verum corpus, & reale, non phantasticum, & umbratile.* 64
Propositio II. *Caro Domini nostri Jesu Christi non fuit cælestis, sed humana in utero B. Mariæ Virginis formata.* 67
Quæres, an Christi caro fuerit corruptioni obnoxia. 69
Caput II. *Ostenditur contra quosdam Arianos, atque Apollinaristas, in Jesu Christo veram fuisse animam, & mentem.* ibid.
Propositio. *Jesus Christus una cum carne etiam animam, & mentem humanam suscepit.* 71
Quæres primo, an prius fuerit anima a Verbo assumpta, quam caro; aut prius caro, quam anima? 73
Caput III. *De defectibus humanæ naturæ a Jesu Christo assumptis.* 74
Propositio. *Christus Dominus una cum humana natura etiam naturales, & communes corporis nostri defectus in se suscepit.* ibid.
Quæres primo, an prædictos communes corporis defectus Jesus Christus necessario assumpserit. 77
Quæres secundo, an corpus Christi fuerit formæ elegantis supra ceteros homines, an potius staturæ, & faciei deformis, ac contemptibilis? ibid.
Caput IV. *De passionibus animæ a D. N. J. C. susceptis.* 80
Propositio. *Anima Christi, etiam ut conjuncta Verbo divino, fuit doloribus, & inculpatis passionibus obnoxia.* 81
Caput V. *Vindicatur S. Hilarius ab injusta accusatione, quod humanam in Jesu Christo carnem, & veras passiones, verosque dolores in eo non admiserit.* 84
Caput VI. *De prodigiosa conceptione Christi in utero B. Mariæ Virginis.* 87
Propositio. *Christus Dominus a B. Maria Virgine, illibato ejusdem puritatis virginitatis lilio, genitus fuit.* 88
Dissertatio III. *De unione duarum naturarum, divinæ, & humanæ in Persona æterni Dei Verbi.* 94
Caput I. *De ortu hæresis Nestorianæ, ac de ejus condemnatione.* ibid.
Articulus I. *Confutatur Hæresis Nestoriana.* 99
Propositio I. *Adversus impiam Nestorii hæresim demonstratur, unam fuisse in Christo Jesu personam divinam.* ibid.
Quæres, an quemadmodum in Christo non admittitur nisi una persona, ita nec admitti debeat, nisi una hypostasis, & unum suppositum? 104
Propositio II. *S. Maria Virgo vere fuit, & dici debet,* Mater Dei. 105
Quæres, an vera, & orthodoxa fuerit propositio illa quorumdam Monachorum ex Scythia: *Unus de Trinitate passus est?* 108
Articulus II. *Nestorius vere hæreticus fuit, ac propterea in Synodo Ephesina jure, ac legitime damnatus, atque a Patriarchali sede dejectus.* 110
Propositio. *Nestorius omnino negavit unicam esse in Jesu Christo personam, & Beatissimam Virginem Mariam vere posse appellari* Deiparam; *adeoque jure ac merito ut hæreticus condemnatus fuit.* ibid.
Articulus III. *De Anathematismis, & orthodoxa S. Cyrilli fide.* 117
Propositio. *S. Cyrilli epistola, atque anathematismi injuria Apollinaris, atque Arii hæresis accusantur.* ibid.

Quæres primo, quid de Joanne Antiocheno sentiendum sit? An fuerit hæresi Nestorianæ implicitus? 123
Quæres secundo, quid sentiendum sit peculiariter de Theodoro Mopsuesteno, de Iba Edesseno, & de Theodoreto Cyriensi Episcopis, seu de famosis tribus Capitulis? 125
Articulus IV. *De Hæresis Nestorianæ suscitatione per Felicem, & Elipandum in Hispania Sæc. VIII.* 128
Propositio I. *Felix, & Elipandus in sensu Nestoriano docuerunt, Jesum Christum secundum humanam naturam appellandum esse Filium Dei adoptivum.* 131
Propositio II. *Refellitur Hæresis Adoptianorum, atque ostenditur, Jesum Christum nulla ratione dici posse Filium Dei adoptivum.* 133
Caput II. *De hæresi Eutychiana. Ejus initium, progressus, & condemnatio.* 138
Articulus II. *De iis, quæ post Synodum Chalcedonensem in causa Eutychianorum contigerunt.* 145
Articulus III. *Qualis fuerit Eutychetis hæresis.* 149
Propositio I. *Eutyches vere docuit, unam tantummodo fuisse in Jesu Christo naturam.* ibid.
Articulus IV. *Refellitur error Eutychianorum, & ostenditur duas esse in Jesu Christo naturas.* 153
Caput III. *Breviter resolvuntur quædam quæstiones ad unionem duarum naturarum spectantes.* 158
Quæres primo, an numerus naturarum in Jesu Christo admittendus sit? ibid.
Quæres secundo, utrum persona, vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita? 159
Quæres tertio, in quo sita sit duarum naturarum unio? ibid.
Quæritur IV. An unio duarum naturarum in Christo dici possit *accidentalis?* 160
Quæritur V. An unio duarum naturarum in Christo fuerit omnium maxima? 161
Quæritur VI. An unio duarum naturarum in Christo facta sit per gratiam? ibid.
Quæritur VII. Utrum unionem Verbi incarnati aliqua præcesserint merita? ibid.
Quæritur VIII. An gratia unionis fuerit in Christo naturalis? 162
Caput IV. *Ostenditur, unionem duarum naturarum hypostaticam in Christo Jesu nunquam fuisse solutam.* 163
Propositio I. *Hæreticum plane est dicere, hypostaticam carnis unionem in Christo post ejus mortem, vel resurrectionem fuisse dissolutam; aut post finem mundi dissolvendam.* 164
Propositio II. *Divinitas neque a carne, neque ab anima Christi in triduo mortis separata fuit.* 165
Quæres utrum Christus in triduo mortis fuerit homo? 171
Propositio III. *Divinitas non fuit separata a Sanguine Jesu Christi in passione fuso.* 172
Quæres, an aliquæ particulæ pretiosi sanguinis Christi remanserint in terris? 173
Caput V. *De Communicatione idiomatum.* ibid.
Propositio I. *Admittenda est in Christo communicatio idiomatum in concreto.* 176
Propositio II. *Non est admittenda in Jesu Christo communicatio idiomatum in concreto abstracto; nec propterea attribui potest humanæ Christi naturæ omnipotentia, omniscientia, immensitas, seu ubiquitas, vel* omnipræsentia. 177
Caput VI. *De regulis quibusdam ad doctrinam communicationis idiomatum recte intelligendam; & de nonnullis quæstiunculis.* 184
Quærit primo Angelicus præceptor in art. qu. 16., an sit vera hæc propositio, *Deus est homo?* 185
Quæres secundo, an sit vera hæc propositio *Homo est Deus?* ibid.
Quæres tertio, an Christus possit dici *homo Dominicus?* ibid.
Quæres quarto, utrum Christus dici possit *creatura?* 186
Quæres quinto, utrum hæc propositio sit vera: *iste homo*, demonstrato Christo, *incepit esse?* ibid.
Quæres sexto, utrum hæc propositio sit vera: *Christus, secundum quod homo est Deus?* ibid.
Caput VII. *De Hæresibus Monothelitarum.* 187
Propositio I. *In Christo duplex naturalis voluntas est admittenda, divina, & humana.* 191

Propositio II. *In Christo Jesu duæ fuerunt distinctæ naturales operationes, divinitatis, & humanitatis.* 192

Quæres, quid sit operatio Θεανδρικὴ *Dei virilis?* 197

Appendix *Honorius I. ab hæresi Monotheletica vindicatur.* 198

Propositio I. *Honorius I. Romanus Pontifex hæresis Monotheliticæ jure accusari non potest.* 200

Propositio II. *Honorius fuit in Synodo VI., & a Leone II. damnatus, non tamen propter hæresim Monotheliticam, sed propter inconsultam œconomiam, qua usus est, supprimendo vocabulum duplicis voluntatis, & operationis.* 202

Dissertatio IV. *De Christo Redemptore, ac Mediatore nostro.* 204

Caput I. *An necesse fuerit Christum incarnari, & pati pro liberatione generis humani a servitute peccati?* ibid.

Propositio I. *Non fuit absolute necesse, Jesum Christum pro liberatione generis humani carnem assumere, & mortem subire.* 205

Propositio II. *Fuit tamen conveniens misericordiæ, & justitiæ Dei, hominem liberari per passionem Jesu Christi.* ibid.

Caput II. *Ostenditur, ex hypothesi, quod Deus voluit pro peccato accuratam satisfactionem, necessarium omnino fuisse incarnari.* 208

Propositio. *Nulla creatura potuit pro nostris peccatis condignam, & perfectam satisfactionem Deo exhibere.* ibid.

Caput III. *De Jesu Christi satisfactione pro nostris culpis.* 211

Propositio. *Christus Dominus pro nostris peccatis vere, & proprie divinæ justitiæ satisfecit.* 213

Caput IV. *De perfectione satisfactionis a Jesu Christo præstitæ.* 219

Propositio I. *Satisfactio Jesu Christi pro nostris peccatis fuit plena, & perfecta: immo & superabundans.* 220

Propositio II. *Satisfactio Christi fuit perfecta ad omnem justitiæ rigorem.* 223

Quæres primo an valor satisfactionis Jesu Christi fuerit *simpliciter*, & *intrinsece* infinitus? 226

Quæres secundo, ex qua justitia Christus pro nostris peccatis satisfecerit. ibid.

Caput V. *De Christi merito.* ibid.

Propositio I. *Christus Dominus humanis suis actibus quid sibi promeruerit.* 227

Propositio II. *Christus Dominus sua passione etiam nobis promeruit.* 228

Quæres, quid nobis Christus proprie meruerit. 229

Caput VI. *De Christi libertate in morte Crucis subeunda.* 230

Propositio I. *Christo fuit a Patre impositum verum præceptum moriendi pro nobis, & quidem supplicio crucis.* ibid.

Propositio II. *Christus non potuit Patris præcepto de subeunda morte crucis non obedire.* 231

Propositio III. *Christus Dominus in subeunda morte Crucis, sicut etiam in observandis juris naturæ præceptis, liber omnino fuit.* 232

Caput VII. *De Christo nostro mediatore.* 236

Propositio I. *Jesus Christus est verus, & substantialis mediator inter Deum, & homines, eique soli proprie hoc nomen convenit.* 237

Quæres primo, an Spiritus Sanctus, qui ad Roman. VIII. 26. dicitur *postulare pro nobis ad Deum gemitibus inenarrabilibus*, vocari possit noster Mediator apud Deum? 238

Quæres secundo, an Christus etiam modo, prout sedet ad dexteram Patris, Mediator noster sit? ibid.

Propositio II. *Christus non est noster mediator secundum divinam naturam; adeoque ante Incarnationem mediatoris munere functus non est.* ibid.

Propositio III. *Christus noster mediator est, ut homo, seu secundum humanam naturam, non tamen præcise, & in seipsa consideratam, sed ut subsistentem in persona divina.* 240

Caput VIII. *De Christi Sacerdotio.* 242

Quæres primo, an Christi Sacerdotium fuerit Leviticum? ibid.

Quæres secundo, quomodo intelligatur, Sacerdotium Christi esse æternum? ibid.

Quæres tertio, utrum Christus sit Sacerdos secundum naturam divinam, an secundum naturam humanam? 243

Quæres quarto, quænam fuerit hostia a Christo Sacerdote immolata? ibid.

Quæres quinto, quinam fuerit divinæ hujus hostiæ a Christo immolatæ effectus? ibid.

Caput IX. *De Christo Ecclesiæ capite.* 244
Caput X. *De gratia animæ Christi.* 246
Propositio. *Christi anima fuit plenitudine gratiæ in primo suæ creationis instanti exornata.* ibid.
Quæres primo, an hæc plenitudo gratiæ, quæ ponitur in Christo, significet gratiam infinitam? 247
Quæres secundo, utrum in Christo fuerint omnes virtutes? 248
Quæres tertio, an in Christo fuerint omnia dona Spiritus sancti? 249
Quæres quarto, an Christus peccare potuerit, & gratiam amittere? ibid.
Caput XI. *De scientia animæ Christi.* 250
Propositio. *Anima Christi in primo suæ creationis instanti fuit perfectissima scientia, tum naturali, tum supernaturali exornata.* ibid.
Quæres primo, an anima Christi in Verbo cognoverit omnia? 252
Quæres secundo, utrum anima Christi Deum comprehenderit? 253
Caput XII. *De Christi adoratione.* ibid.
Propositio XII. *Una, eademque adoratione adoranda est divinitas Christi, & ejus humanitas.* ibid.
Quæres, utrum humanitas Christi per se considerata, & præcisione facta ab unione hypostatica, adoranda sit adoratione latriæ? 255
Quæres *secundo*, qualis adoratio debetur imagini Christi? 256
Caput XIII. *De cultu, & invocatione Sanctorum.* ibid.
Propositio I. *Sanctis in cœlo regnantibus cultum religiosum, civili majorem, eo autem, qui Deo debetur, multo inferiorem deferre licet.* 257
Quæres utrum Reliquiæ Sanctorum sint adorandæ? 260
Propositio II. *Licita, & utilis est invocatio Sanctorum, ut ad Deum pro nobis intercedant.* 261
Caput XIV. *De cultu, & invocatione Beatissimæ Dei genitricis Mariæ.* 266
Propositio. *Beatissimæ Mariæ Virgini debetur cultus specialis, qui a Theologis vocatur hyperduliæ.* ibid.
Cap. postremum. *De perpetua Beatissimæ Mariæ Virginitate.* 268
Propositio I. *Beatissima Dei Genitrix Maria in partu Virgo immaculata permansit.* ibid.
Propositio II. *Sanctissima Dei genitrix Maria post partum suam virginitatem perpetuo servavit.* 270
Quæres primo, an hæc sententia de perpetua Beatissimæ Matris Dei virginitate ad fidem pertineat? 272
Quæres *secundo*, an B. Maria mater Dei virginitatis voto obstricta fuerit? 273

****

DE

INCARNATIONE DIVINI VERBI.

Egimus in superiore volumine de maxima illa calamitate, in quam totum humanum genus incidit propter gravissimum nostrorum protoparentum peccatum; sequitur modo, ut infinitam Dei misericordiam exponamus, qua nos a tanta calamitate eripuit, mittendo unigenitum Filium suum, qui proprio suo sanguine nos a dæmonis captivitate liberavit. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret .... ut salvetur per ipsum*, Joann. 3. 16. & seq. Profunda autem opus esse humilitate ad hoc *magnum pietatis Sacramentum* (ut ipsum vocat Apost. 1. ad Tim. 3. 16.) perscrutandum, nos monet S. August. (Lib. X. *de Civ. Dei* cap. 19. 7.), cum sit illud ineffabile mysterium, quo Dominus noster Jesus Christus *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo; humiliavit semetipsum &c.*, ut dicitur Philip. 2. 7. & seq.

Quoniam vero primum totius hujus adorandi mysterii fundamentum est Messias, toties in Lege promissus, a Prophetis prænunciatus, atque a sanctis Patriarchis, aliisque Justis vet. testamenti avidissime expectatus, ideo prima nostra colluctatio erit adversus Judæos, qui suis præjudiciis obcæcati eumdem Messiam, quando in plenitudine temporum mundo apparuit, agnoscere noluerunt, & adhuc agnoscere obstinate recusant; contra quos gravissimis, & invictis argumentis demonstrabimus: Messiam jamdiu advenisse, eumque esse Jesum Nazarenum, quem Patres eorum inexcusabili ignorantia tradiderunt Pilato, ut crucifigeretur. Hoc autem feliciter confecto, *quod in primis quærendum esse*, jure præscribebat Tertull. in Tract. *contra Judæos* cap. 6., ipsum mysterium divinæ Incarnationis ex sacris litteris, ac Sanct. Patrum doctrina, juxta certissimas Ecclesiæ definitiones exponemus, ac contra varii generis Hæreticos, qui illud corrumpere tentarunt, solide vindicabimus. Sit itaque

SECTIO I.

Variis argumentis ostenditur, Messiam in Lege promissum jamdiu advenisse, eumque esse Jesum Christum Nazarenum.

1. Plures hac de re sunt Judæorum errores. Primo enim cum non agnoscant augustissimæ Trinitatis mysterium, consequenter negant, Verbum divinum, Filium Dei unigenitum, esse Messiam in Lege promissum; adeoque quem nos in carne jam advenisse credimus, ipsi vero vana spe venturum expectant, hominem purum, quamquam eximia sanctitate aliis hominibus multo superiorem, futurum arbitrantur.

2. Secundo, cum non confiteantur universalem illam naturæ corruptionem, quæ ex peccato originali in nos dimanavit, inficiantur proinde, ipsum futurum *spiritualem* Redemptorem mundi, sed sibi ipsis inaniter blandiuntur, venturum hunc Messiam cum potestate & gloria temporali ad restituendum temporale regnum Israel.

3. Hos duos gravissimos Judæorum errores in superioribus tractatibus jam confutavimus. Unde modo confutaudus superest tertius protervæ illius gentis error qui πρῶτον ψεύδος dici potest, scilicet Dominum Jesum Christum non esse Messiam, quem Deus in plenitudine temporum se missurum esse promisit. Recte autem dicitur hic error eorum πρῶτον ψεύδος *primum mendacium*; quia ab illo omnes alii eorum errores dependent. Si enim tandem aliquando faterentur, Jesum Christum esse Messiam a Deo Patre missum, ex cælesti illius doctrina omnes alias veritates ediscerent, quas modo aut culpabiliter ignorant, aut pervicaciter negant (a).

CA-

(a) De variis Judaicæ Sectæ erroribus agit Car. Jos. Imbonatus in *Bibliotheca latino-hebraica*. Incredibilia fere viderentur pleraque Rabbinorum, quæ vulgo recensentur, commenta, nisi invenirentur in ipsis eorum Doctoribus, qui *Kabbalistæ*, *Mischnici*, *Gemarici*, aliisque nominibus appellantur; imo in ipso clas-

CAPUT I.

Ex miraculis, & vaticiniis Jesu Christi alibi à nobis demonstratis luculenter eruitur contra Judæos, Jesum Christum esse Messiam in Lege promissum.

4. Hoc argumentum, quo in Tom. I. Parte I. Dissert. III. cap. 3. contra Incredulos usi sumus, ad evincendam divinam novi testamenti revelationem, eandem, imo etiam majorem contra Judæos vim habere debet, ut tandem agnoscant, Jesum Christum esse, qualem se fecit, nempe Dei Filium, ad redimendum genus humanum a Patre missum. Si enim vera, & stupenda edidit miracula, & si multa prænuntiavit, quæ naturaliter prævideri non poterant, & vaticiniorum veritatem probavit eventus, nemo adeo vecors, & pervicax erit, ut fateri non cogatur, ejus doctrinam tam claris divinitatis sigillis munitam fuisse cælestem, & divinam, eumque verum Messiam, & Filium Dei unigenitum, quem se esse constantissime prædicabat.

5. Multo autem validius hoc argumentum esse debet apud Judæos, qui ignorare non possunt, fuisse a suis Prophetis prædicta hæc venturi Messiæ miracula. Isaiæ 35. 4. & seq. *Confortamini, & nolite timere .... Deus ipse veniet, & salvabit vos; tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet, sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Qua in re facile nobiscum conspirant veteres, novique Rabbini; licet nos ipsis consentire non possimus, cum quædam inaudita, ridicula, ac fictitia prodigia a Messia edenda comminiscuntur; ut cum R. Moyses Hadarsan in *Beressith Rabaa* ipsos damnatos ab inferni pœnis per Messiam liberandos esse confingit.

6. Reipsa hoc potissimo argumento Christus Dominus convincebat Judæos, Matth. XI. 2., & seq. cum Joannes Herodianis vinculis constrictus, miranda Christi opera audisset, misit duos de suis discipulis, qui ipsum Christum ita interrogarent: *Tu es, qui venturus es* (nimirum Messias toties per Prophetas promissus), *an aliium expectamus?* Respondens autem Jesus ait illi: *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Quibus verbis liquido apparet, Christum Dominum voluisse, ut ex signis, & prodigiis, quæ faciebat, cognoscerent Judæi, se esse Messiam, quem expectabant. Sic pariter eosdem ad opera sua stupenda provocabat Joann. V. 36.: *Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Ibid. X. 38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Hinc etiam illi, qui credebant, se miraculis ad credendum adactos fatebantur, dicentes cum Nicodemo Jo. III. 2. *Scimus, quia a Deo venisti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Et Joann. I. 41. dicebant: *Invenimus Messiam.* Et cap. IV. 25. *Messias venit.* Ac denique ita erat Judæis persuasum, Messiam juxta oracula Prophetarum magna edituram esse prodigia, ut sæpius a Christo Jesu signa, & miracula exposcerent: *Magister, volumus a te signum videre* Matth. XII. 38., & iterum: *Quod ergo tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi?* Joann. VI. 30. Miracula ergo Christi Domini validissimum, & invictum præbent Judæis argumentum, ut divinam ejus missionem credant (a).

7. Hinc etiam argumento *a posteriori* Judæi colligere possent, & deberent, in Christo fuisse adimpleta omnia veterum Prophetarum vaticinia; ejusdem enim miracula huic veritati infallibile præbent testimonium. Unde S. Petrus act. II. 22. seq., ita suos contribules alloquebatur: *Viri Israelitæ, audite verba hæc. Jesum Nazarenum, virum approbatum* (ἀποδεδειγμένον demonstratum) *a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, & vos scitis &c.*; & eo quidem felici exitu hæc dicebat, ut iis auditis ad tria circiter millia Judæi baptizati sint. Utinam, & modo simile conversionum

---

bico eorum libro *Talmud*. Hic liber, qui proprie *Rituale*, vel *Cæremoniale* est Judæorum, totum ipsorum jus sacrum, & civile continet. Duæ autem illius sunt partes, quarum prior *Mischna* dicitur, altera *Gemara*; quæ prioris quasi glossa est, & commentarius. Duplex autem est *Talmud*; alind Jerosolymitanum, sæcul. II. Æræ Christ. compositum, in quod Jochanan, una cum Rab, & Samuel Commentarium; seu *Gemaram* edidit. Alind est Babylonicum, quod R. Asa una cum filiis suis magno labore elucubravit, & alteri longe præfertur; ita ut Judæi hoc fere solo utantur. Plures habentur hujus editiones, sed omnium magis celebris est illa, quæ prodiit Venetiis per Dan. Bombergium anno 1529., & modo rarissima est. R. Maimonides compendium Talmudis dedit, quod ab eruditis majori in pretio habetur, quam *Talmud*. Lectio hujus libri severissime interdicta fuit a Gregorio XI. anno 1230., & ab aliis ejusdem successoribus, maxime autem a Paulo IV. 1559. Vid. Sixtus Senensis in *Biblioth. Sancta* Lib. II., Bartolocceius in *Biblioth. Rabbinica*, Joann. Henr. Otto *Hist. Doct. Mischnic*, Buxtorfius in *Biblioth. Rabbin.*, & Rich. Simonius in *Catalog. Auctor. Jud.*

(a) Reipsa Messiæ adventum esse insignibus miraculis confirmandum, tradunt Rabbini apud Buxtorfium in *Synagoga Jud.* cap. 39. ; quamquam miracula ab iis commemorata sint ad genium Rabbinicum conficta. Decem ibidem in libello inscripto אבות רבקל *Abkat Rochel* recensentur, quæ nec exercibo inerentur. Sufficiat nobis Rabbinorum confessio, Messiam venturum in signis, atque prodigiis.

num exemplum renovaretur! Quod eo facilius nostra ætate sperandum foret, qua miseri Judæi toto orbe dispersi adimpleta fuisse alia vaticinia ignorare non possunt, quod illis primis conversis intueri non contigit. Sed de hoc postea videbimus. Modo cœptum invictum argumentum prosequamur.

8. Porro nullum aliud contumacibus effugium superest, quam aut hæc miracula Jesu Christi, ejusque Discipulorum, quamvis non clam, & in angulo, sed in media Judæa coram omnibus facta, impudenter negare; aut ea magicis artibus, atque incantationibus tribuere. At vero primum facere nequeunt, quin miraculis Moysis, & Prophetarum fidem detrahant; neque enim illa majoribus gaudent veritatis characteribus, quam miracula Christi. Imo non dubitaverim asserere, utraque miracula non posse in dubium revocari, quin una simul omnia Historiæ tam sacræ, quam profanæ fundamenta evertantur.

9. Alterum vero effugium præclusit ipse Christus Salvator noster Matth. XII. 25. & sequ. ostendens, se non potuisse ejicere dæmonia in Beelzebub principe dæmoniorum, ut ipsi calumniabantur; unde etiam concludebat: *Si ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.* Et ulterius etiamsi quis fingere velit, Christum magicis artibus, vel dolis, aut præstigiis populos ludificasse, dum viveret, quomodo suspicandum erit, id etiam eum efficere potuisse post mortem? Mortui quippe nullæ sunt præstigiæ, nullæ fraudes, aut fallaciæ. At vero Apostoli, & multi Discipuli ita fuerunt de Christi resurrectione certi, ut pro ea non solum innumeros labores, ac crudeles persecutiones, sed etiam mortem ipsam perpeti incredibili animi fortitudine non dubitaverint; qua de re ubertim actum est in primo Tomo P. I. Dissert. III. cap. 3. (*a*).

10. Hinc argumento, quod plane invictum esse deberet, nisi Judæi vel ipsi Critices sanioris regulis, imo & communi sensui oculos mentis clauderent, aliud additmus, quod nobis suppeditavit quidam *legis Doctor honorabilis universæ plebis* Gamaliel nomine ex Pharisæorum secta. Cum enim in Concilio Judæorum acerrime disputaretur, an Christus esset verus Messias, quemadmodum illum prædicabant Apostoli, surgens Gamaliel ita præclare effatus est: „ Viri Israelitæ, attendite vo„ bis super hominibus istis, quid acturi sitis. „ Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens se „ esse aliquem (*nempe Messiam*), cui consen„ sit numerus virorum circiter 400., qui occi„ sus est, & omnes, qui credebant ei, dissipa„ ti sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc exti„ tit Judas Galilæus, in diebus professionis, & „ avertit populum post se; & ipse periit, & o„ mnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. „ Et nunc itaque dico vobis, discedite ab homi„ nibus istis, & siuite illos: quoniam si est ex „ hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur. „ Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere il„ lud. Placuit universis prudentissimum hoc Gamalielis consilium, *& consenserunt illi*, Act. V. 35. seq. Jam vero obsecramus Judæos, ut ex mirabili Religionis Christianæ dilatatione, ac duratione judicent cum eorum Magistro Gamaliele, an hoc consilium, aut opus fuerit ex hominibus, an ex ipso Deo.

11. Quid ad tam valida argumenta reponunt Judæi? Præter ea, quæ lucreduli ad elevandam veritatem miraculorum Christi objiciunt, quæque in P. I. *Isagogica* a nobis soluta fuerunt, peculiarem difficultatem excitant ex hoc, quod Christus veterem eorum legem abrogaverit; cum tamen Deus Patribus eorum sæpius promiserit, pactum, quod cum Abraham, Isaac, Jacob, & Moyse inierat, futurum *sempiternum*. Hinc Pharisæi miraculum, quo cæco nato Jesus visum dederat, credere nolebant, quia id factum fuerat in sabbato, dicentes Joan. IX. 16. *non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit*. Revera sabbatum erat *pactum sempiternum*, *signumque perpetuum* inter Deum, & filios Israel, Exodi XXXI. 16. (*b*).

12. Sed vana est hæc objectio multiplici ex capi-

(*a*) Non equidem reor, Judæos, si qui sunt, sanioris judicii, ad putidam illam fabellam nos provocaturos, quæ legitur in libro שבחולדות *Jesua Toledot Generationum Jesu*, scilicet ætate Jesu Christi, qui ibidem filius *Pantheræ*, nominatur fuisse in templo nomen Dei ineffabile יהוה lapidi fundamenti inscriptum, quod David reperit supra os abyssi, & in Sancto Sanctorum deposuit, Jesum autem illud invenisse, & una cum mysteriis inembrana inscriptum, incisa sui corporis carne sub pelle condidisse: hac arte potuisse rugitus draconum leonum, qui ex ære confecti, & cum incantationibus ad custodiam illius nominis positi erant, eludere, ut scilicet ejusdem nominis recordari posset, postquam per leonum rugitus arte magica ejusdem obstacula fuerat; illius autem nominis mira virtute prodigia omnia, quæ volebat, effecisse. Hoc erat insulsum veterum Rabbinorum commentum, ut argumento miraculorum Christi, quæ negare non audebant, quocumque tandem modo responderent, ut videri potest in *Gemaris* Jerosolymit., & Babylonica. Hic liber primo editus fuit in *Pugione fidei* nostri Raym. Martini, & post ipsum a Wagenseilio in *Telis ignets Satanæ*; ac demum a Joan. Jac. Ulderico Lugduni Batavorum 1705. in 8., quamquam hæc postrema editio in aliquibus est ab aliis diversa. Hujus putidissimi operis figmenta refutat Jac. Basnagius Lib. VI. *Hist. Jud.* cap. 28., quamquam operam perdidisse videtur, postquam recentiores Judæi illud nauci faciunt, ut plane dignum est. Consul. R. Zevi in *Theriaca Judæorum* cap. 1. §. 7. latinæ versionis Vulseri.

(*b*) Hoc est unum ex potissimis præjudiciis gentis Judaicæ contra Jesum Christum; & reipsa inter suæ sectæ fundamenta ponunt, legem Moysis nunquam esse abolendam, aut immutandam, ut declaratur in art. 9. *Confessionis fidei*, quam Smo. XII. Æræ Christ. ediderunt, in tredecim articulos divisam, cujus auctor

pite. Primo enim promissio *fœderis sempiterni* non potuit aliis promissionibus repugnare, quibus Deus apertissime, & frequenter novum fœdus pollicitus est Jerem. XXXI. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Judæ fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum*, cum iis, quæ sequuntur; & quæ omnia repetens S. Paulus in epist. ad Hebr. VIII. 8. & sequ. ita demum concludit: *Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est*. Vetus ergo pactum initum cum Patriarchis hoc sensu dicitur *sempiternum*, quia durare debebat usque ad novum iisdem sanctis Patriarchis promissum. Hujus æternitatis minus proprie sumptæ plura ex sacris litteris proferri possent exempla, sed unum sufficiat omnino ad rem nostram idoneum ex Genes. XVII. 8., ubi Deus promisit Abrahæ omnem terram Chanaan *in possessionem æternam*; a qua tamen Judæi post patratum Deicidium expulsi sunt. Pari ergo ratione lex durare debebat *in æternum*, scilicet usque ad Messiam. Hinc Christus Dominus Matth. V. 17. dicebat Judæis: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere*; quia in ipso promissio facta per legem, & per Prophetas fuit reipsa adimpleta.

13. Præterea in novo testamento antiqua Judæorum religio sublata non fuit, sed tantummodo mutatus fuit modus, quo Messias credebatur, & colebatur. Veteres Patres eum venturum credebant, ab eoque redemptionem sperabant; unde ferventes illæ preces, ut promissus Salvator tandem aliquando mitteretur, & tot sacrificia, atque omnes cæremoniæ ad ejus adventum significandum institutæ erant. Nos autem eum jam advenisse gratulamur, eique divinos tribuimus honores. Hostiæ antiquæ, & veteres cæremoniæ cessarunt, ut cessare debebant eo adveniente, quem præfigurabant. Et si sancti illi Patriarchæ, quibuscum Deus fœdus inierat, nobiscum viverent, nobiscum etiam divinum novi fœderis mediatorem venerarentur, & cognoscerent, nostram Religionem non esse ab avita eorum religione diversam; sed unam, eamdemque esse in duplici statu, in quorum altero Messias promissus fuit, & venturus expectabatur, in altero autem, promissione adimpleta, Messias ut præsens a nobis adoratur.

14. Additum demum, præcepta Decalogi, quæ spectant ad internum atque immutabilem Dei cultum, adhuc invariata manere, ut semper manebunt; totamque mutationem factam esse in præceptis cæremonialibus purificationum, oblationum, hostiarum, aliorumque id genus, quæ ad præfigurandum novum fœdus instituta erant, eoque proinde adveniente cessare debebant. Quantum vero spectat ad præcepta judicialia, eum hæc ad politiam, & reginen populi Israelitici spectarent, cessare poterant, aut mutari, quin Religio cessaret, aut mutaretur. Imo eum hæc exerceri non possent nisi quamdiu populus Israeliticus sui juris esset, jam non amplius vigent, cum infelices Judæi non propriis suis legibus, sed legibus Principum, quibus subjecti sunt, parere teneantur. Sic etiam est de multis cæremoniis legalibus; maxime autem de sacrificiis, quæ in solo loco, *quem elegerat Deus*, nempe in templo, offerri debebant Deuter. XII., & seq.; quod cum jam a septemdecim, & pene octodecim sæculis fieri amplius nequeat, hoc etiam indicium est manifestissimum, hæc præcepta cæremonialia cessare debuisse, & revera cessasse.

15. Obj. 2. Si tot, tantaque prodigia Jesus vere edidisset, hebræa natio, quæ suum Messiam avidissime expectabat, ejus doctrinam fuisset amplexa; atqui contra se res habet; nam tota Synagoga in Concilio collecta, ipsum seductorem esse judicavit, ac propterea morte dignum: ergo &c.

16. Resp. primo, hanc Synagogæ cæcitatem, atque incredulitatem fuisse a Prophetis longe ante prænunciatam; unde Jo. XII. 37. seq. dicitur: *Cum autem tanta signa* (Jesus) *fecisset coram eis, non credebant in eum; ut sermo Isaiæ impleretur, quem dixit* (cap. LIII. 1.): *Domine, quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est? propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias* (VI. 9.): *excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos*. Etiam Daniel, postquam clarissimum edidisset oraculum adventus, & necis Messiæ, addidit postea: *& non erit ejus populus, qui eum negaturus est*. Cap. IX. 26. Ceterum non patuci Christum ut verum Messiam a Deo promissum agnoverunt, eique constanter adhæserunt; unde illa vox Pharisæorum: *ecce mundus totus post eum abit*. Vide quæ hac de re dicta sunt Tom. I. pag. 209. seq.

17. Respond. secundo, hujus cæcitatis causam fuisse commune fere carnalium Judæorum præjudicium, Messiam venturum cum gloria, & majestate regia, cum potentia armorum, ac divitiarum copia, quibus regnum Israelis temporale restitueret, atque orbe toto amplificaret. Cum ergo viderent Jesum humili loco natum, fabri filium, inopem, paucisque, atque ignobilibus discipulis stipatum, sibi facile persuaserunt, hunc non esse Mes-

fuit R. Moses Ben Maimon Cordubæ in Hispania natus, vir tantæ apud suos celebritatis, ut dici soleret: *A Mose usque ad Mosen non fuit sicut Moses*. Hoc pactum, seu fœdus sempiternum memorati dicunt plu-

ribus in locis: unde etiam Deuter. XXIX. 29. Israelitæ sponderunt, se facturos universa verba legis *usque in sempiternum*.

Messiam: scilicet non attendentes ad illa Prophetarum oracula, quibus hæc omnia prædicta erant, ejusque regnum non terrenum, sed cæleste futurum. In Psalmo enim XXI. dicit de seipso Messias: *ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Isaiæ LIII. 3. *quasi absconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum;* & clarius adhuc Zach. IX. 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus, & salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Prava ergo, quam sibi finxerant Judæi opinio veritati Messiæ cum splendore gloriæ terrenæ causa fuit, cur hæc, aliaque bene multa similia Prophetarum vaticinia non intelligerent; adeoque nec Messiam præsentem agnoverint.

18. Et de hoc argumento, quod alibi non indiligenter tractavimus, satis. Nunc rerum ordo postulat, ut ex veterum Prophetarum oraculis contra pervicaces Judæos Messiam jamdiu advenisse, eumque fuisse D. N. Jesum Christum invicte demonstremus; nam hunc ipsum ordinem etiam Christus secutus est, divinam suam missionem ex prophetiis ostendens; unde merito Joan. V. 46. Judæos increpabat, dicens: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit.* Apostoli autem frequentissime ad convincendos incredulos Judæos veteris testamenti testimonia adhibebant; quorum eo major erat eo tempore vis, & efficacia, quo ex pervulgata traditione eorum sensus notissimus; nec adhuc inventæ erant subtilitates, & cavillationes, quibus Rabbini quasi quadam obducta caligine eadem obscurare conati sunt (*a*).

19. Cum autem tortuosissimi isti adversarii vania excogitaverint effugia, ut omnia, quoad fieri potest, præcludantur, hoc ordine procedemus. Primo eos confutabimus, qui cum nodum dissolvere non possint, quasi desperatione acti, eumdem secare voluerunt, impudentissime negantes, quod omnes pene alii confitentur, scilicet promissum a Deo fuisse Messiam, populi liberatorem. Secundo alii confutandi erunt, qui venturum quidem Messiam fatentur, contendunt tamen, nullam fuisse a Deo revelatam ejusdem adventus epochan; aut si revelata fuit, eamdem potuisse nonnullis de causis retardari; ut in hac adventus Messiæ incertitudine, quasi in quadam obscuritate se abscondant, nec facile convinci possint, Messiam jam advenisse. Tertio majore molimine ex multis insignioribus prophetiis invicte ostendemus, Messiam in Lege promissum jamdiu advenisse, eumque non esse alium, quam Dominum Jesum Christum, in quo non unum, vel alterum, sed omnia plane sacrorum Vatum oracula completa sunt. Quo in argumento molestissimus erit labor in præcipuis callidissimorum hominum technis ac subtilitatibus expungendis. Sed Deo opem ferente, omnes tenebras dissipandas esse speramus.

CAPUT II.

Breviter indicantur Veteris Testamenti prophetiæ, quibus divini Liberatoris adventus promissus fuit.

20. Supervacaneum non est hac de re saltem breviter pertractare, tum propter quosdam Rabbinos, qui id negarunt; tum etiam quia non erit inutile, nec injucundum amatoribus nostræ Religionis, sub uno veluti obtutu vetusta hujus insignis divini beneficii vaticinia conspicere (*b*).

21. Et prima quidem divini liberatoris promissio facta est Adamo statim post peccatum iis verbis symbolicis Gen. III. 14. & seq. *Et ait Dominus ad serpentem .... inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus*, κατὰ τὸ ῥητὸν litteraliter intelligi possunt, cum non solum mulieribus, sed etiam viris serpentes invisi sint, & utrisque insidia-

(*a*) Miracula Christi non voluit excludere, sed eadem cum Prophetiis conjungere Lactantius, quando in Lib. V. *Divin. Instit.* cap. 3. ita Hieroclem buccinatorem prodigiorum Apollonii Tyanei alloquebatur: „ Disce igitur, si quid tibi cordis est, *non solum* id- „ circo a nobis Deum creditum Christum, quia mira- „ bilia fecit, sed quia vidimus, in eo facta esse omnia, „ quæ nobis annunciata sunt vaticinio Prophetarum. „ Fecit mirabilia; magnum putassemus, ut & vos nunc „ putatis, & Judæi nunc putaverunt, si non illa ipsa „ factarum. Christum Prophetæ omnes uno spiritu præ- „ dicassent. Itaque Deum credimus, *non magis* ex fa- „ctis (codex primus, seu antiquior Bononiensis Bi- „ blioth. Cænobii S. Salvatoris habet: *tam ex factis*) „ operibusque mirandis, quam ex illa ipsa cruce, „ quam vos sicut canes lambitis; quoniam simul & „ ista prædicta est. Non igitur suo testimonio (cui „ enim de se dicenti potest credi?) sed Prophetarum „ testimonio, qui omnia, quæ fecit, ac passus est, „ multo ante cecinerunt, fidem divinitatis accepit; „ quod neque Apollonio, neque Apulejo, neque cui- „ quam magnorum potuit, aut potest aliquando con- „ tingere.“

(*b*) Quamquam in duodecimo articulo *Confessionis fidei* Judæorum a R. Maimonide Sæc. XII. elaboratæ expresse dicatur, *Messiam venturum, & etiamsi diu tardaverit, expectandum tamen semper, donec venerit*: imo ibidem addatur, eos, qui de adventu Messiæ dubitant, totam legem mendacii accusare; non deficiunt tamen, qui hunc Messiæ adventum ad fabulosas traditiones annumerarent; & R. Joseph Albo in celebri collatione, quæ in Hispania habita est coram Antipapa Benedicto XIII. anno 1412. hoc dogma esse adiaphorum contendebat, conquestus de R. Maimonide, quod illud inter articulos Judaicæ fidei recensuisset. Feliciter illius disputationis, qua tria Judæorum millia ad Christiana castra transierunt, exitum deberi S. Vincentio Ferrerio, narrat Nic. Antonius in *Bibl. Hisp. Vet.* T.

diari soleant, & sæpius a vitis, quam a mulieribus conterantur. Neque verisimile est, voluisse Deum in funesta illa occasione lapsus Adami, post commissas illi, & serpenti promeritas pœnas, de inimicitia serpentem inter & mulierem loqui.

22. Verus itaque illorum verborum sensus directus erat ad sustinendos nostrorum protoparentum animos, ne propter admissum peccatum in desperationem ruerent, sed redemptionem a divina misericordia sperarent. Prædicitur ergo illis, caput serpentis, nempe diaboli, esse conterendum a muliere, idest a Maria Virgine, quæ genitura erat Salvatorem mundi, a quo diabolus victus, & contritus est. Aut potius diaboli caput esse a mulieris Semine conterendum; quod enim noster Vulgatus interpres habet *ipsa*, mendosum videtur, & ex hebraico foute legendum esse *ipse*, nempe זרעת *semen*, quod apud Hebræos masculini est generis. Ita legit Hieronymus in *Quæst. Hebraicis*, & pluribus aliis in locis; ita S. Irenæus, aliique Patres græci: imo & LXX. Interpretes. Ita etiam nonnulli latini, inter quos S. Leo in Serm. II. *de Nativit.*, & ante eum S. Cyprianus Lib. II. *Testimoniorum adv. Judæos* cap. 9. (*a*).

23. Quod vero in hoc vaticinio serpenti dictum est, *& tu insidiaberis calcaneo ejus*, manifeste indicat multiplices Jesu Christi persecutiones, quibus tota dæmoniorum cohors, utens impio Judæorum ministerio, conata Messiam variis modis opprimere.

24. Hæc futuri liberatoris fides fuit ab Adam suis filiis sine dubio communicata, & iterum ab istis in posteros propagata, variisque modis conservata, præcipue autem sacrificiis, quæ statim post lapsum Adami, Deo, ni fallor, ita præcipienti, instituta fuere, quæque magni illius sacrificii, quod Christus æterno Patri pro nostra salute in cruce oblaturus erat, figuram gerebant (*b*).

25. Hæc autem sacrificia ab ipso mundi exordio fuisse Deo oblata, manifestum facit lugubris illa tragœdia occisionis Abel, inde orta, quod Cain fratri suo invideret, quia ad illius munera Dominus respiciebat, ad sua autem non respiciebat: cujus discriminis hæc causa erat, quod Abel sua sacrificia offerebat fide in Christum venturum, non autem Cain. Hac de re nos certos facit Apostolus Paulus Hebr. XI. 4. inquiens: *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo:* quibus verbis duo nos docet; primo sacrificiorum antiquitatem, quæ homini coæva sunt; deinde illa sacrificia debuisse offerri *fide in Christum*, sine qua Deo accepta non erant. Quod bene notavit S. August. in Ps. XXXIX. n. 12. Tom. IV. inquiens: *Antiqui, quando adhuc sacrificium verum, quod fideles norunt, in figuris prænuntiabatur, celebrabant figuris futuræ rei, multi scientes, sed plures ignorantes.*

26. Atque hac ratione divinæ hujus promissionis veritas continuata fuit in filiis, ac nepotibus Seth, veræ religionis cultoribus, & usque ad Noe, qui secundus Adam dici potest, quia ab ipso genus humanum iterum multiplicatum est. A Noe autem παράδοσις, traditione in omnes gentes derivata est; ita ut non solum populus Hebraicus, quem Deus peculiari benevoleutia delegerat, sed illi quoque Gentiles, qui verum Dei cultum retinuerunt, aliquam hujus promissionis notitiam traditione habuerint.

27. Id patet potissimum ex Sancto Job, qui Moysi coævus, aut fortasse illo prior in Idumæa regnabat, quique omnem spem suam in venturo Messia, ac Redemptore collocabat; & qui etiam Christi Domini sine ullo peccato suo tam multa patieutis, figura fuit. Nota sunt hujus sancti verba c. XIX. *Scio, quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum .... reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

28. Sed postea multo clariores, & frequentiores a Deo factæ sunt futuri Messiæ repromissiones; quod maxime apparuit in Abraham vocatione, quæ describitur Geneseos XII. 2. & seq.; hunc enim sanctissimum Patriarcham gratuito elegit Deus ex omni populo, ut pater esset multarum gentium, dixitque illi: *faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus: benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ*; idest *in semine tuo*, ut in sequentibus Deus ipse declaravit (*c*).

29. Hæc autem benedictio, quæ non respiciebat solum Abraham, sed extendebatur ad omnes gen-

---

II. Lib. X. cap. 1. Contra Judæos tunc pugnavit Hier. a Sancta Fide ex Judæo Christianus, cujus duo sunt libri inscripti *Hebræo mastix*, qui Francofurti prodierunt ann. 1602., & Tomo XXVI. *Biblioth. max. Pat.* inserti sunt.

(*a*) Etiam ex quo Eva vocata fuit *mater omnium viventium*, colligunt aliqui revelationem divini Redemptoris nascituri ex Virgine Maria; nam sine hac futuræ redemptionis fide, Adam debuisset potius vocare Evam *matrem omnium morientium*. Sed ab hoc sensu mystico abstinemus, ne acutis adversariis ansam præbeamus cavillandi.

(*b*) Repugnat Jo. Spencerus Lib. II. *de Legibus Hebræ-*

ritualibus Dissert. II., contra quem vid. Nat. Alexander in *Hist. Eccl. V. T.* in IV. mundi ætate Dissert. III. art. 2. S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. probat, oblationem sacrificii pertinere ad jus naturale.

(*c*) Quæ, & quanta fuerit Patriarchæ hujus celebritas inter Gentes, ostendit Eusebius Lib. IX. *Præpar. Evang.* cap. 17. & seq., allatis testimoniis Berosi, Hecatæi, Nic. Damasceni, Alexandri Polystoris, Eupolemi, Artapani, aliorumque veterum Scriptorum, quos ipse Eusebius consulere potuit. Nunc autem istorum opera deperdita esse dolemus. Igitur etiam ex ore Abrahami potuerunt Gentiles promissionem futuri Messiæ cognoscere.

gentes, non alia erat quam promissio Messiæ, ex benedicta Abrahami stirpe nasciturí. Eamdem promissionem illi Sancto Patriarchæ sæpius Deus iteravit, sancito etiam *fœdere sempiterno* in circumcisione, quæ erat pactum inter Deum, & semen Abrahæ, Genes. XVII. Ut autem explicat Sanctus Paulus Roman. IV. 11. seq., circumcisio erat *signaculum justitiæ*, *& fidei*; & sic Abraham factus est pater, *non iis tantum, qui sunt ex circumcisione*, nempe Judæis, *sed & iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ*, scilicet Gentilibus, ad quos etiam fides Abrahæ propagata fuit.

30. Denique solemnissime hanc Messiæ promissionem Abrahæ confirmavit Deus, addito juramento, inquiens Genes. XXII. 16.: *Per memetipsum juravi .... benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Cujus benedictionis mentionem fecit etiam Beata Maria Virgo, quando in Cantico Lucæ I. 55. dicebat: *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini ejus in sæcula*.

31. Porro Abraham cum duos habuisset filios, Isaac, & Ismael, suam benedictionem transmisit *ad Isaac*, quam Deus ratam esse voluit iisdem verbis Genesis XXVI. 4. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*.

32. Et rursus Isaac cum duos geminos ex Rebecca suscepisset, Esau, & Jacob, huic postremo, quamquam natu minori, paternam hæreditatem, Deo sic disponente, reliquit, & una cum hæreditate etiam benedictionem; unde ut refertur Gen. XXVIII. 13., vidit Jacob in somnis Dominum innixum scalæ dicentem sibi: *Ego Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Isaac .... benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ*. Hinc Apostolus ad Hebr. XI. 9. vocat Isaac, & Jacob *cohæredes* repromissionis factæ Abrahæ. Quæ benedictio Jacob etiam confirmata fuit in celebri illo vaticinio Balaam Num. XXIV. 17. *Orietur stella ex Jacob*; nomine autem *stellæ* hic designatum fuisse Messiam, plures veteres observarunt, non solum Christiani, sed etiam Judæi (*a*); & ipse Dominus noster aperte declaravit Apoc. XXII. 16. dicens: *Ego sum radix, & genus David, stella splendida, & matutina*.

33. Demum Jacob, cum ex pluribus uxoribus duodecim suscepisset filios, hæreditatem terræ Chanaan singulis ex æquo partitus est; promissionem autem Messiæ tribuit Judæ peculiari illa benedictione Gen. XLIX. 8. seq. *Juda, te laudabunt fratres tui .... adorabunt te filii patris tui ... non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium* (*b*).

34. Hactenus tamen illæ promissiones Messiæ soli traditioni orali commendatæ erant, ut a Patribus in filios, ac nepotes descenderent. Sed postea Moysi dedit Deus legem scriptam digito suo Exodi XXIV. Hæc autem lex scripta, ut Sanctus Thomas observat 1. 2. qu. 98. art. 2. duplíciter homines ad Christum ordinabat, primo testimonium Christo perhibendo; unde Christus ipse Lucæ ult. 44. dicebat: *Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege, & in Psalmis, & in Prophetis de me*; & Joann. V. 46. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit*. Secundo lex ordinabat per modum alicujus dispositionis, dum retrahens homines a cultu idololatriæ, concludebat eos sub cultu unius Dei, a quo salvandum erat humanum genus per Christum; unde Apostolus ad Gal. III. 23. dicit: *priusquam veniret fides, sub lege custodiebantur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat*.

35. Pulchre S. Augustinus Lib. VII. *de Civ. Dei* cap. 32. „ Hoc mysterium vitæ æternæ, *in-* „ *quit*, jam inde ab exordio generis humani per „ quædam signa, & sacramenta temporibus con- „ grua, quibus oportuit; per Angelos prædicatum „ est. *Deinde loquens de populo Hebræo ita prosequitur*: Omnes enim non solum prophetiæ, „ quæ in verbis sunt, nec tantum præcepta vi- „ tæ, quæ mores, pietatemque conformant, at- „ que illis litteris continentur; verum etiam sa- „ cra, sacerdotia, tabernaculum, sive templum, al-

(*a*) Communem fuisse apud Judæos opinionem, nomine *Stellæ* designari Messiam, inferri recte potest ex illo celebri impostore Ben. Chusiba, qui cum se Messiam esse mentiretur, Bar. Chocheba, idest Filius stellæ, appellari volebat. Consentiunt quoque Onkelosus in Paraphrasi Chaldaica, Interpres Jerosolymitanus, R. Maimonides, & alii. Ex nostris autem Origenes Tomo XIII. in Jo. n. 26. explicans verba mulieris Samaritanæ Jo. IV. 25. *Scio Messiam venturum esse*, inquirit, quomodo Samaritæ, qui nonnisi quinque libros Moysi admittebant, Christi adventum expectarent? Respondet vero, eos fuisse motos ad id sperandum, ex benedictione Judæ, & verisimiliter etiam ex prophetiis Balaam. Videri etiam potest Eusebius Cæsar. Lib. IX. *Demonstr. Evang.* c. 1.

(*b*) S. Thomas 1. 2. q. 98. art. 4. hene observavit, quod „ non fuit propter meritum Abrahæ ut talis pro- „ missio ei fieret, ut scilicet Christus ex ejus semine „ nasceretur, *sed ex gratuita Dei electione, & vo-* „ *catione*; unde dicitur Isaiæ XLI. *Quis suscitavit* „ *ab Oriente justum, vocavit eum, ut sequeretur se?* „ Sic ergo patet, quod *ex sola gratuita electione* Patres promissionem acceperunt &c. “ Quod postea fusius exposuit Bossuetus in suo eximio Sermone *De historia universa*; & nos etiam commemoravimus in Tom. II. p. 316. Hæc gratuita Dei electio maxime apparet in peculiari illa benedictione, quam Jacob divino utique instinctu, non Josephi, qui inter omnes fratres plurimum excellebat, nec Benjamin, quem Pater præ cæteris diligebat, sed Judæ, cujus nulla erat peculiaris prærogativa, tribuere voluit. Sic postea ex tribu Juda electa fuit familia Isai; & ex filiis Isai electus David ultimo loco natus: atque ex ipsa regia Davidis sobole omnibus præfatus est Salomon, ut semper eluceat gratuita Dei electio.

„ altaria, sacrificia, cæremoniæ, dies festi, & „ quidquid aliud ad eam servitutem pertinet, „ quæ Deo debetur, & græce proprie λατρεία dicitur, ea significaverunt, & prænuntiaverunt, „ quæ propter æternam vitam fidelium in Christo & impleta credimus, & impleri certissimus „ & implenda confidimus.

36. Post Moysem vero, ac legem ab eo scriptam tam multa de venturo Messia edita sunt vaticinia, ut integri fere *hagiographi*, & *prophetici* libri nobis exscribendi essent, si omnia huc afferre vellemus. Et non solum Messiæ adventus, sed omnes etiam minutiores circumstantiæ prænunciatæ fuere. Ac primo prænunciatum fuit, eum oriturum ex regia David stirpe Jer. 23. 5. seq. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit rex .... In diebus illis salvabitur Juda* &c. Reipsa cum Jesus interrogasset Pharisæos: *quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est?* sine hæsitatione respondernnt: *David.* Matth. XXII. 41. & seq.

37. Secundo determinatum quoque fuit faustissimi hujus eventus tempus, quando scilicet *defecisset sceptrum de Juda, & dux de femore ejus*, Gen. XLIX., & post hebdomadas septem, & sexaginta duas a Daniele prædictas c. IX.: & antequam templum secundum destrueretur, Aggæi II., & Malachiæ III. Cum autem Malachias fuerit Prophetarum ultimus, voluit Deus, ut ultima quoque esset hæc venturi Messiæ promissio, & cum postrema promissione Prophetiæ vet. Testamenti clauderentur, ut etiam ex hoc intelligeremus, Messiam toties promissum jam advenisse.

38. Tertio prænunciatus est locus, scilicet Bethleem, Michææ V. *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Judæ, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* Reipsa cum Herodes rex congregatis Principibus Sacerdotum, & Scribis populi sciscitaretur, ubi Christus nasceretur, *dixerunt ei, in Bethleem Judæ*, Matth. VII. Prædicta est etiam cruenta illa infantium cædes, quæ hac occasione a crudelissimo Rege Herode facta est. Jeremiæ XXXI. 15. *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, & fletus, Rachel plorantis filios suos* (a). Tum fuga pueri Jesu in Ægyptum apud Oseam XI. 1. his verbis: *Ex Ægypto vocavi filium meum.*

39. Quarto prænunciatam clarissime habemus prodigiosam Messiæ nativitatem ex Virgine: Isaiæ VII. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Et* Jeremiæ XXXI. 22. *Creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum.*

40. Infinitus autem essem, si omnia quæ in Isaia, Jeremia, Ezechiele, aliisque Prophetis, potissimum vero in Psalmis, de Jesu Christi prædicatione, & miraculis, de Judæ proditione, Discipulorum derelictione, de sputis, flagellis, mannuum, pedumque perfossione, divisione vestimentorum, (*b*) de contumeliis, irrisionibus, aliisque gravissimis cruciatibus, quibus Christus sanctissimum redemptionis nostræ opus consummavit, non tam prædicata, quam descripta leguntur; imprimis autem de ejus divinitate, doctrina, novaque lege toto orbe disseminanda; ac demum de vocatione gentium, ac reprobatione Judæorum singillatim percensere vellem; ut vere dicere potuerit S. Augustinus qu. 73. in Exodum: *In veteri* (Testamento) *novum latet, & in novo vetus patet* (c).

41. Antequam vero hoc caput absolvamus, breviter saltem commemorandum est celebre illud Moysis vaticinium, quod legitur Deuter. XVIII. 15. seq., ubi Hebræorum legislator alium post se Prophetam sibi similem a Deo suscitandum esse his verbis prænunciavit: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies .... Et ait Dominus mihi .... Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus* &c. Perviacaces Judæi contendunt, non Messiam, sed successionem Prophetarum a Moyse hoc loco fuisse promissam, & quidam etiam ex Christianis interpretibus non ignobiles putarunt, non *solum* Messiam, sed alios etiam Prophetas, qui Moysi succedere debebant, his verbis designari. Quorum tamen sententia facile convellitur.

42. Nam primo Sanctus Petrus Act. III. 22. hanc prophetiam ad solum Christum pertinere, aperte declaravit, dum ea usus est, ut Judæis persuaderet, Jesum esse Messiam in Lege promissum. Similiter Sanctus Stephanus Act. VII. 37. hoc ipsum Moysis vaticinium attulit ad convincendos Judæos, quod uterque inepte fecisset, si hoc vaticinium non esset de Messia peculiariter intelligendum.

43.

(a) Infantes illi dicti sunt filii Rachel, quia fuerunt ex tribu Benjamin cum tribu Juda permixta, Benjamin autem erat filius Rachel, quæ in Bethleem sepulta erat: De illa *παιδοκτονία cæde infantium* fuse egit P. Castus Innocens Assalli Dominicanus in *Vindiciis Herodiani infanticidii*, Brixiæ 1746. in 4.

(*b*) Clarissima sunt ea verba Psalm. XXI. *Foderunt manus meas, & pedes meos ..... diviserunt sibi vestimenta mea*, & frustra recentiores Rabbini hoc inelentissimum vaticinium nobis eripere conantur, mutatis pro arbitrio vocalibus, & legentes כארו *Caarisicut leo*, *leo* כרו *Caru foderunt*. Sed primo posita eorum lectione nullus sanus exurgit sensus, qui possit cum sequentibus conjungi; ita enim sonaret periocha: *sicut leo manus meas, & pedes mei, dinumeraverunt omnia ossa mea* &c. Facile ulterius esset lectionem nostri vulgati Interpretis veterum Patrum Sancti Hieronymi, immo & Rabbinorum auctoritate defendere.

(c) Plura cupientibus abunde satisfaciet copiosissimus Dan. Huetius in suo πρωταλλαξισμῷ vet. *Test. cum novo in iis, quæ ad Messiam pertinent* Propositio IX. *Demonstr. Evang.* Sed hæc, quæ simul uno capite collegimus, postea uberius declarabuntur, ac vindicabuntur.

43. Et quamquam obstinatissimi Judæi non solum conversi non fuerint, sed potius tumultu facto S. Stephanum extra civitatem ejectum lapidibus obruerunt occidentes, certum tamen est, vulgarem, & communem apud Judæos hujus loci intelligentiam fuisse, his verbis novi legislatoris, seu Messiæ adventum esse designatum. Etenim statim ac S. Jo. Baptista apparuit, *miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes, & Levitas ad eum, tu quis es? .... Propheta es tu? Et respondit, non.* Et quamvis hæc interrogatio: *Propheta es tu?* in latina versione non significet Prophetam ab aliis distinctum, in textu tamen originali græco exprimit Prophetam aliquem determinatum, *ὁ προφήτης εἰς σὺ Es tu ille Propheta?* nempe ille, qui nobis promissus est? Et cum Joannes negasset, esse illum Prophetam, iterum interrogaverunt enim: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* græce *ὔτε ὁ προφήτης neque ille Propheta?* & quis ille Propheta, nisi quem Moyses prædixit sibi similem, imo majorem esse suscitandum? Et quando Christus panes multiplicavit Jo. VI. 14. *homines dicebant: Quia hic est vere Propheta* (græce *ὁ προφήτης*, cum articulo *ille Propheta*) *qui venturus est in mundum.*

44. In hanc sacri textus intelligentiam conspirant veteres Patres non pauci, ut Tertullianus Lib. IV. IV. *contr. Marcionem* cap. 12. S. Cyprianus Lib. *contra Judæos* cap. 18., S. Athanasius, aliique; præcipue autem S. Augustinus Lib. XXI. *contra Faustum* cap. 19. ita scribens: „ Dicat mihi, quem Prophetam promiserit Deus, „ cum ait Moysi: *Suscitabo illis Prophetam de* „ *fratribus eorum, sicut te, vel similem tibi?* „ Multi enim Prophetæ postea fuerunt, sed utique *unum quemdam* intelligi voluit, " nempe Christum.

45. Quia tamen, ut supra dixi, aliqui non ignobiles interpretes, ut Vatablus, Emmanuel Sa, Tostatus, Oleaster, Tirinus, Grotius, aliique celebre hoc Deuteronomii promissum non ad solum Christum, sed ad omnes Prophetas, qui post Moysem a Deo dati sunt, referendum putarunt, ideo ab hoc argumento magis urgendo contra Judæos abstinebimus, ut ad evidentiora properemus.

46. Obiter autem solvenda est obvia quædam difficultas; videlicet, si in verbis supralandatis designatus esset Messias, necessario consequi, hunc Messiam futurum parem hominem similem Moysi; cum tamen Christiani contendant, Jesum Christum non hominem fuisse, sed Deum, qui propterea a Moyse infinite distet.

47. Mera tamen isthæc cavillatio; neque enim ut Christus dicatur Propheta similis Moysi, necesse est, hanc similitudinem esse perfectam, adæquatam, & omnimodam; sed sufficit, hanc similitudinem inveniri in eo, de quo potissimum agebatur. Agebatur autem de lege Moysis observanda, quousque alter Propheta veniret Moysi similis, seu legislator, seu potius, ut explicuimus, *ille Propheta*, qui novam legem promulgaturus, novumque fœdus cum Israelitis ictucus, quem Moyses audiendum præcipit. In hoc ergo solo tota similitudo Christi cum Moyse sita est.

CAPUT III.

Epocha adventus Messiæ a prophetis prædicta est. Nec fingi potest ejus adventum aliqua de causa esse dilatum.

48. Hoc capite eos Rabbinos confutare aggredimur, qui miseros Judæos in sua obstinatione confirmant, iis persuadendo, aut epochaam adventus Messiæ nunquam fuisse in sacris litteris revelatam; aut si revelata fuit, eamdem postea fuisse aliquibus de causis dilatam (*a*). Contra quos sit

PROPOSITIO I.

Epocha adventus Messiæ fuit variis oraculis Prophetarum determinata.

49. In primo ostendunt duæ celebres Prophetiæ Jacob, & Danielis. Harum enim prima habetur Gen. XLIX. 8. & seq., cum Patriarcha Jacob benedicens Juda dixit ei: *Juda, te laudabunt fratres tui .... non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* In hac enim benedictione non solum continetur promissio Messiæ, sed tempus etiam determinatur, quo faustissima hæc divini liberatoris promissio a-

(*a*) Primo artificio callide usi sunt R. Maimonides in duodecimo art. *Confessionis Fidei*, & in *Comp. Pandectarum Talmud.* tract. *Melachim* c. 12. Chaldæus Paraphrastes ad cap. 8. Ecclesiastes, R. Jos. Aben-Jachia in Comment. ad cap. 12. Dan., R. Menasse ben-Israel libro *spes Israel*, & nonnulli alii, videntes scilicet falsas semper fuisse eas epochas, quibus famosiores Rabbini adventum Messiæ consignarunt. Ad alteram evasionem multo plures confugiunt; ut olim confugerunt Rabbini Hispani in memorata superius Collatione habita sæc. XV. coram Antipapa Petro de Luna. Luculenter etiam id traditur in *Gemara Babylonensi* tract. *Sanedrim* p. 350. editionis Coccejanæ, tum etiam in *Pesichta Sotarta*, quæ extat Tom. XIV. *Thesauri* Ugolini, atque in *Targum Seir-Ascirim* c. 7. Nec denique defuerunt, qui una cum R. Jonatham in Tract. *Sanedrim* veterent investigare tempus adventus Messiæ; imo maledictiones evomerent contra eos, qui id facere auderent, dicentes: *Rumpatur spiritus eorum, qui supputant fines, aut temporum terminos.* Ita duo celebres Rabbini Samuel, & Jonathan, in Tract. *Sanedrim*, Gamaræ Babyl. Vid. Jo. Buxtorfius in *Fon Nim.* Cetera de epochis venturi Messiæ, quas aliqui Rabbini, suis somniis indulgentes, statuerunt, quos tamen fefellit eventus, nec attinet modo dicere.

adimpleri debebat, nempe antequam sceptrum de tribu Juda auferretur.

50. Adhuc clarius tempus præfigitur in vaticinio Danielis cap. 9., ubi sancto Prophetæ ab Angelo Gabriele dictum fuit: *Scito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt .... & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Quæcumque autem possit modo esse difficultas in aliquibus punctis determinandis, sciliect principio harum hebdomadum, supputatione annorum, & earumdem hebdomadum, termino, certum tamen omnino est, Angelum Gabrielem omnia hæc Danieli perspicue manifestasse, quamvis ex circumstantiarum ignorantia nobis hæc facta sint obscura.

51. Accedit præterea vaticinium Aggæi II. 3. seq. *Dicit Dominus exercituum: adhuc modicum est .... Et veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria &c.*, quibus significatum est, venturum Messiam, antequam templum secundum Jerosolymitanum a Zorobabele ædificatum destrueretur. Cui simile est illud aliud Malachiæ III. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis &c.*

52. Demum, cum omnes futuri Messiæ characteres a Deo revelati fuerint una cum circumstantiis etiam minutioribus nativitatis, vitæ, prædicationis, miraculorum, passionis, ac mortis, quis sibi persuadeat, solam temporis circumstantiam fuisse silentio prætermissam? Sed hæc majorem postea lucem ex infra dicendis accipient, cum hæc vaticinia in Jesu Christo Nazareno accurate adimpleta fuisse ostendemus.

53. Interim tamen juvat animadvertere, quando Jesus Christus in plenitudine temporum apparuit, communem fuisse omnium Judæorum persuasionem, tunc Messiam esse venturum. Hanc communem Messiæ expectationem indigitat etiam Josephus Flavius Lib. VIII. *de bello Judaico* cap. 5. inquiens, *vaticinium fuisse antiquum in sacris libris repertum, illis circiter temporibus quemdam ex ipsorum finibus profectum orbis terrarum imperio potiturum.* Ubi tamen Josephus non solum cum ceteris Judæis enormiter erravit, putans Messiæ regnum futurum terrenum, & cum potentia armorum; sed etiam turpissima adulatione ejusdem Messiæ vaticinia Vespasiano accommodare non est veritus; nec Vespasianus ea accepare dedignatus est, quoniam & hæc ejus novæ dignitati, & potentiæ pondus non leve addebant.

54. Svetonius item ad communem Judæorum persuasionem venturi Messiæ respexisse videtur, dum in *Vespasiano* ita scripsit: *Percrebuerat Oriente toto vetus, & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.*

55. Demum & illa erat antiqua traditio, quæ etiam refertur in Talmud tract. 4. *Sanedrim*, mundum sex millia annorum duraturum, quorum duo priora millia fluere debebant ante legem, duo sequentia post legem usque ad Christum, & reliqua duo usque ad finem, de qua dignus est, qui legatur Thomas Malvenda Lib. I. *de Antichristo* cap. 28. & seq. (a).

56. Pauca habent Rabbini, nec admodum gravia, quæ contra hanc veritatem tam luculenter expressam, & tam frequenter in sacris litteris repetitam objiciant. Hæc tamen affersenda sunt, & solvenda, ut omnis cavillandi ansa, quoad fieri potest, hominibus pervicacissimis subtrahatur. Objiciunt itaque primo contra prophetiam Danielis. Hic S. Propheta non orabat Deum, pro adventu Messiæ, sed pro liberatione populi a captivitate: revelatio igitur illi facta non respicit Messiam, sed solutionem diuturnæ captivitatis Babyloniæ.

57. Resp. 1. Quomodo sciunt, aut asserere audent Rabbini, Danielem solummodo orasse Deum pro liberatione populi a captivitate temporali, & non una simul etiam vota sua cum ceteris omnibus Prophetis, & Patriarchis, Deo obtulisse pro liberatione a captivitate spirituali; quæ certe multo gravior erat, & cujus captivitas Babylonica figura fuit? Ulterius, quid prohibet Deum, qui dives est in misericordia, voluisse hac occasione manifestare Danieli non solum tempus liberationis populi a captivitate Babylonica, & restaurationis Jerusalem, sed etiam tempus venturi Messiæ, ac universalis redemptionis a durissima servitute dæmonis? Id autem voluisse Deum revelare, manifeste apparet ex toto prophetiæ illius contextu.

58. Obj. 2. Eidem Prophetæ Danieli, qui clarius aliis temporis adventus Messiæ vaticinari visus est, ita Dominus præcepit cap. XII. 4. seq. *Tu an-*

(a) Ex vulgari illa opinione tunc temporis Messiæ adventuri, factum est, ut aliqui adulatores hanc Messiæ prærogativam, delinerint Heredi; alii autem Vespasiano Imperatori. Multi quoque impostores se provero Messia venditarunt, ut Theodas, & Judas Galilæus, quorum meminit Sanctus Lucas. Sed postea inter eos eminuit celebris ille Bascocheba, sub Adriano, qui non solum rudes populos, sed etiam sapientiores Rabbinos, mira arte decepit. Videri potest Dissertatio, *de falsis Messiis* inserta Tom. XIII. *De la Sainte Bible &c.* De communi autem Synagogæ opinione, quod circa hæc tempora Messias venturus esset, legendum consulo celeberrimum Hebraicæ linguæ in regia Universitate Parmensi Professorem Jo. Bern. De Rossi in Tract. *de vana expectatione Messiæ*, ubi plurimas collegit veterum Rabbinorum sententias; unde etiam nos aliqua pro Lectorum nostrorum utilitate decerpsimus.

an-

autem, Daniel, claude sermones, & signa librum usque ad tempus statutum; plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia. Et cum interrogasset, *usquequo finis horum mirabilium?* responsum est ei, *quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et cum completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur universa hæc. Et ego audivi, & non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc? Et ait: Vade, Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones usque ad præfinitum tempus.* Si ergo Daniel ipse non intellexit, nec potuit scire tempus completionis eorum, quæ prædicta fuerant; quomodo alii intelligere poterunt? Aut quis dicet, fuisse istorum omnium epochain a Deo revelatam?

59. Resp., distinguenda esse, quæ Danieli revelata sunt cap. IX., a posterioribus. In eo capite agitur manifestissime de promissione Messiæ, ut ex omnibus adjunctis apparet, quæ diligenter inferius expedemus; & illi determinatur tempus præcisum ejus adventus, & ejus occisionis, seu tempus, quo Jerusalem, & templum, quæ reædificanda erant, & Mosaicus cultus ibidem restituendus, durare debebant; quo cessante novus erat ritus instituendus in æternum duraturus. In cap. autem XII. agitur de tempore Antichristi, & de resurrectione mortuorum, quando ii, *qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium.* Porro certum est, minime revelatum fuisse, quando *erit finis horum mirabilium*, & de hoc intelligenda sunt ea verba: *Claude sermones, & signa librum usque ad tempus statutum* cum reliquis, quæ sequuntur: sicuti etiam ea intelliguntur, quæ Christus Dominus dixit Apostolis Actor. I. 7. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.*

60. Dices. Etiam difficile est supputare tempus, quo completa erant vaticinia contenta in cap. IX. scilicet hebdomadum 70., de qua re vel doctissimi inter Christianos non parum inter se dissentiunt, & pugnant, & omnia caligine plena sunt.

61. Resp. Quidquid sit de variis hebdomadum illarum supputationibus, certum est primo, tempus adventus Messiæ ibi fuisse determinatum; nihil enim magis perspicuum iis verbis: *Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt* &c. Secundo certissimum pariter est, hoc tempus fuisse jamdiu elapsum; ea enim, quæ in eo loco futura prædicuntur, nempe destructio Jerusalem, devastatio templi, ac populi Judaici dispersio, jamdiu evenerunt: quo fit, ut etiam adventus, & occisio Messiæ, quæ ibidem simul prænunciantur, jam præterierint; quæ duo impræsentiarum sufficiunt, ut evincamus contra pervicaciam Judæorum, determinatam, & revelatam a Deo fuisse in eo oraculo epocham adventus Messiæ. Addo, quamquam Theologi, & Chronologi inter se valde disputent in calculo ineundo initii, & finis illarum hebdomadum, omnes tamen in eo convenire, quod caput est, scilicet totum illud tempus jamdiu effluxisse (*a*).

62. Omnium tamen probabilissima videtur hæc annorum supputatio. Primo Angelus Gabriel Prophetæ revelat temporis illius initium, *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*; quæ verba illi recte non possunt, nisi de edicto, quo rex Artaxerses, a Græcis dictus μακρόχειρ, seu *Longimanus*, anno regni sui vigesimo potestatem Nehemiæ fecit, ut iterum muros Jerusalem, & plateas ædificaret, ut legimus Libro secundo Esdræ cap. II.; alia enim duo edicta, quæ a Regibus Persarum pro Judæis lata fuerant, nonnisi templi, non autem urbis, reædificationem spectabant. Ita etiam ab hoc anno initium hebdomadum illarum sumunt Julius Africanus, S. Jo. Chrysostomus Orat. II. *contra Judæos*, & Theodoretus in cap. IX. Danielis; quibus multi recentiores Interpretes adhærent (*b*).

63. Secundo ab hoc initio usque Christum enume-

(*a*) Aliqui Synagogæ Doctores varias celeberrimi hujus vaticinii epochas determinarunt, quæ tamen omnes elapsæ jam sunt. Sic R. Schelomo Jarchii Commentad ea verba Danielis. VII. 25. *usque ad tempus, & tempora*, cum negare non posset, epochas ab aliis Rabbinis constitutas jam effluxisse, novum ipse invenit annorum cursum, quorum initium post templi eversionem figitur; & finis in anno mundi 5169. Sed hic etiam annus jam præteriit. Longum nimis esset similia Rabbinorum somnia afferre. Judæi tamen toties a suis Magistris decepti oculos non aperiunt, & quotidie sibi illudi patiuntur; & quotiescumque aliquis impostor se esse Messiam mentitus est, turmatim ad eum felices Hebræi conurrerunt. De istis impostoribus consuli possunt Jac. Basnagius in *Hist. Judæorum* Tomo IX. Wolfius in *Biblioth. Hebr.*, & qui plura simul colligit doctissimus Jovin. Bern. De-Rossi in cap. VI. *della cana apertazione degli Ebrei* &c. Hodierni autem Rabbini, quando his hæc toties repetita suorum majorum mendacia objiciuntur, frigide respondere solent, propter coalitum Judæorum peccata Messiæ adventum semper differri. Quod effugium nox præcludens.

(*b*) Tres quidem fuerunt Reges Persarum nomine *Artaxerxes*, scilicet *Longimanus*, *Mnemon* & *Ochus*, vel *Nothus*, ut alii dicunt. Sed Nehemias, qui hanc facultatem ædificandi Jerusalem obtinuit, secundi, aut tertii Artaxersis ætate in vivis esse non poterat; dicitur enim in primo Libro Esdræ cap. II., Nehemiam anno primo Cyri regis Persarum cum Zorobabele, aliisque reversum fuisse in Jerusalem: jam vero ab anno primo Cyri usque ad annum vigesimum Artaxersis Mnemonis anni ad minus 150. effluxerunt, multoque plures usque ad annum vigesimum Artaxersis Ochi; nonnisi igitur de anno vigesimo Artaxersis Longimani verba vaticinii intelligi possunt. Accedit etiam auctoritas Josephi Flavii; qui Lib. XI. *Antiquitatum Judaic.* cap. 5. Nehemiam se contulisse ait ad ædificandam Jerusalem, *cum jam annum quintum, & vigesimum In regno ageret Xerses*. Xerses autem anno regni sui quinto Artaxersem Longimanum filium suum in regni con-

merat hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duas. Porro istæ hebdomades nonnisi annorum esse potuerunt; neque enim poterant esse dierum, quia summa tot dierum minime sufficeret ad ea omnia explenda, quæ ibi futura prædicuntur (*a*).

64. Multo autem minus dici possunt hebdomades decadum, jubilæorum aut sæculorum, ut quidam Rabbini pueriliter nugantur; tum quia nullum talium hebdomadum exemplum nobis sacræ litteræ suppeditant; tum etiam quia septem hebdomades, quæ fluere debebant *ab exitu sermonis* usque ad ædificationem Jerusalem, si essent singulæ *decem annorum*, constituerent annos 70.; & si essent jubilæorum, annos 350.; & multos plures, si esseut hebdomades sæculorum: quod cum Historia sacra pugnat.

65. Sunt ergo hebdomades annorum, quarum exempla cum apud sacros (*b*), tum apud profanos scriptores inveniuntur; atque harum hebdomadum septem expleri debebant post regium edictum, usque ad ædificationem civitatis, dicente Angelo: *hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & murl in angustia temporum*; ita nempe ut hebdomades septem designent tempus, quod imprudentum erat in ædificatione civitatis; & hebdomades sexaginta duæ tempus venturi Ducis, seu Messiæ (*c*). Jam vero ex Libro II. Esdræ habemus, Nehemiam cum maxima difficultate spatio quidem 52. dierum muros civitatis extruxisse, ut eam ab hostium incursionibus tutam redderet; post autem plateas, domos, aliaque publica, & privata ædificia, ad quod opus certe multo plus temporis insumi oportuit, adeo ut septem annorum hebdomades minime supervacaneæ videantur.

66. Superest igitur demonstrandum, quomodo *ab exitu sermonis* &c. usque ad Christum Ducem hebdomades septem, & sexaginta duæ annorum fluxerint, & quomodo in dimidio hebdomadis septuagesimæ Christus occisus fuerit. Ita autem hanc rem conficit Nat. Alexander in Diss. II. *Hist. Eccl. V. T. VI. mundi ætate*. Vigesimus annus Artaxersis Longimani, prout Usserius, aliique Chronologi statuunt, incidit in annum mundi 3550.; his si addas annos 483. (quam summam conficiunt hebdomades annorum 69.) habebimus annum mundi 4033., seu æræ Christ. 33., quo Christus baptizatus fuit; & prædicationem suam auspicatus est. Tunc vero incipit annus primus hebdomadis septuagesimæ, in cujus dimidio Christus occisus fuit, nempe post tertium annum suæ prædicationis.

67. Neque vero obest, quod Sanct. Lucas III. 23. dicat, Jesum, quando baptizatus est, fuisse *quasi annorum* 30.: potuit enim sacer Scriptor uti numero rotundo ad designandam Jesu Christi ætatem; nam particula illa ὡσεὶ *quasi* idem est ac *circiter*. Unde multi Chronologi putant, nostræ æræ vulgari deesse quatuor annos, & Christum anno ætatis suæ 33. fuisse baptizatum, & trigesimoseptimo passum. Vid. Nat. Alexander Dissert. II. in Sæc. I. *Hist. Eccl.* Quæst. 2. (*d*),

68. Hanc tamen Chronotaxin, nou ut omnino certam proponere audemus; scimus enim alios, doctosque Theologos ei minime subscribere, & varios, ac diversos annorum calculos inire, quod in chronologicis quæstionibus sæpe usurvenire solet.

sortium assumpsisse creditur. Humphr. Prideaux in *Hist. Judaor.* Lib. V. non aliqua veri specie asserit, hoc beneficium pro natione Judaica fuisse a Persarum Rege impetratum ab Hadassa, quæ postea Esther dicta fuit, & Regi erat admodum chara, quamquam ad Reginæ dignitatem nondum esset elevata.

(*a*) Contendunt Rabbini aliqui, hebdomades dierum ibi intelligi, quia Nehemias (ut legitur 2. Esdræ VI. 15.) spatio 52. dierum muri ædificationem complevit, idest hebdomadis dierum septem cum dimidia. Sed in pluribus errant, primo quod initium hebdomadum sumunt ab adventu Nehemiæ in Jerusalem, imo ab initio operis, cum tamen desumendum sit *ab exitu sermonis*, *ut ædificaretur Jerusalem*; secundo, quod hebdomadibus septem conjungunt alium postremam, quæ in vaticinio ponitur ad finem hebdomadum sexaginta novem, & in cujus dimidio deficere debebat hostia, & sacrificium; tertio quia si reliquæ hebdomades sexaginta duæ dierum constituantur, non apparet, quomodo post illas sit occisus Christus, civitas cum sanctuario dissipata, & cetera perfecta, quæ ibi prædicuntur.

(*b*) Levitici XXV. 8. dicitur: *Numerabis quoque tibi septem hebdomades annorum, idest septies septem: quæ simul faciunt annos* 49. Et quemadmodum Hebræi hebdomadem dierum absolvebant Sabbato, quod sanctificabant, ita etiam *septimo anno Sabbatum erat terræ* ibid. 4., & septimo anno fiebat remissio Deut. XVI. 1.

(*c*) P. Car. Houbigant suspicatur, textum hebraicum fuisse a librariis immutatum, atque ita fortasse legendum: *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem hebdomadas septem, & rursus ædificabitur late in vollicitudine, & in angustia temporum; & inde usque ad Christum Ducem hebdomades sexaginta duæ erunt.* Certe sensu illorum verborum alius esse non potest.

(*d*) Haud ignoramus, quæ, & quanta sint Chronologorum his de rebus dissidia. Satis erit pervolvere duas eruditissimas Dissertationes Marii Lupi Primicerii Ecclesiæ Cathedralis Bergomensis *De notis Chronologici anni mortis*, *& Nativitatis D. N. J. C.* Romæ 1744. Hic doctissimus vir patriæ meæ illustre decus in juvenili adhuc ætate primum hoc edit multiplicis suæ eruditionis specimen, sapientissimo Benedicto XIV. dicatum. Quantum postea in sacræ, ac profanæ antiquitatis peritia una cum ætate profecerit, notum omnibus fecit immortalis PIUS VI. feliciter regnans honorificentissimis litteris ad ipsum datis 9. Kal. Martias 1785., quem primum ipsius volumen *Codicis Diplomatici Civitatis*, *& Ecclesiæ Bergomatis percurreret*. Insigne etiam Ecclesiæ Bergomatis Capitulum eidem *honoris*, *gratique animi testandi causa προσωπον* (effigiem umbilico tenus) *cum titulo adhuc viventi de sua pecunia collocari jussit*. Deus Opt. max. hunc celeberrimum Scriptorem Religioni, Patriæ, reip. litter., atque amicis diu sospitem servet.

let. Sed hæc eruditorum dissensio nihil omnino prodesset Rabbinis; omnes enim Theologi unanimiter in eo consentiunt, illas hebdomadas a Daniele prædictas elapsas jam esse, undecunque earumdem initium sumatur. Quæ vero Judæi contra hoc vaticinium objiciunt, inferius perspicue excutientur, & dissipabuntur (*a*).

PROPOSITIO II.

Sine ullo fundamento fingitur, adventum Messiæ aliquibus de causis fuisse dilatum.

69. Refutato illo Rabbinorum errore, qui dicunt, nullam fuisse a Deo venturi Messiæ epocham revelatam; facilius jam erit alterum aliorum figmentum explodere, qui dicunt, eamdem quidem fuisse manifestatam, sed postea aliquibus de causis dilatam (*b*). Tres autem hujus dilationis causas comminiscuntur; scilicet primo scelera, ac præcipue idololatriam patrum suorum: secundo peccata hodierni populi hebraici, ac potissimum *sabbati* violationem: tertio ut longa spe, dilataque expectatione populus missionem sui liberatoris promereatur, atque obtineat.

70. Sed contra primam, & secundam causam satis est observare, promissiones toties repetitas divini liberatoris, quas enumeravimus, esse absolutas, nullique prorsus conditioni alligatas: quo ergo fundamento fingunt Rabbini, eas propter peccata præterita, aut præsentia potuisse impediri, aut retardari?

71. Afferunt illi quidem nonnulla exempla prædictionum, quæ videbantur absolutæ, a quibusdam tamen conditionibus implicitis pendebant, quarum defectu adimpletæ non fuerunt, cujusmodi sunt subversio Ninivæ, mors Regis Ezechiæ, & præcipue promissio eum juramento facta Regi David Psalmo CXXXI. 11. & seq. de conservando Israelis solio ejus filiis.

72. Sed longe dispar est ratio; hæ enim prophetiæ erant comminatoriæ, quarum finis cum sit peccatoris ad pœnitentiam excitandi, conditionem in scipsis includebant, scilicet nisi pœnitentiæ operibus Dei justitia placaretur. Contra autem res se habet in prophetiis, quæ aliquod bonum promittunt; semper enim absolute intelligendæ sunt, nisi expressa apponatur conditio, ut in laudato Psalmo CXXXI. 11. *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos*; ubi conditio expresse posita est. Quamquam illa conditio non respiciebat, nisi regnum temporale; promissio enim Messiæ, quæ etiam in illo Psalmo continetur, nulli erat conditioni districta.

73. Promissiones itaque Messiæ, quæ beneficium Dei omnium maximum continent, nullam prorsus natura sua conditionem involvunt, nec ullam iisdem expresse appositam leginus: causa igitur non erat, ut statutis temporibus non adimplerentur. Imo tantum abest, ut propter scelera populi earum adimpletio differri deberet, quin potius Messias venturus erat, *ut consummaretur prævaricatio, & finem acciperet peccatum*. Hinc etiam Messias vocatus est *expectatio gentium*; quia Gentiles idololatria ejurata ad verum Dei cultum per Messiam converti debebant.

74. Hæc adeo aperta sunt, ut multi Rabbini, tam antiqui, quam moderni erroneam hanc patrocinium opinionem de retardato propter populi scelera Messiæ adventu acriter confutaverint. Celebris hac de re fuit disputatio inter R. Joasucua ben-Levi, & R. Eliezer (quæ videri potest in Tomo XIII. *Thesauri* Ugolini in Tract. *Taanid*, & in *Gemara Babyl.* edit. Cocceji Tract. *Sanedrim* excerpt. 51.); in ea enim R. Joasucua has retardationis causas ita profligavit, ut adversarium ad silentium plane redegerit.

75. Eumdem errorem refellit R. Abarbanel, recentium Judæorum doctissimus in suo משׂגיּ יד *Mascmiah Jescuah*, seu *Præcone salutis* (quem Jo. Henr. Majus latine versum edidit Francofurti ad Mœnum anno 1711. (*c*), una cum multis aliis, quos facile esset allegare. Imo potius aliqui contendunt, eam promissionem fuisse acce-

(*a*) Nostræ hebdomadum supputationi suffragantur Chronologi plerique doctissimi, & consuli de ea potest Pater Nicol. August. Ghignoli Ord. Præd. Exerc. XXVII. in Danielem, ubi falsos esse magnorum virorum Petavii, Berti, Newtoni, aliorumque calculos solidis animadversionibus ostendit; timide autem, & admodum modeste proponit. De aliorum Chronotaxi videri potest Humphr. Prideaux in *Hist. Judæorum*, *aliorumque post. proxim.* Lib. V., ubi contendit, initium 70. hebdomadum esse desumendum ab anno VII. regni Artaxersis Longimani, non autem ab anno ejusdem regni XX. Sed nos in difficiles istos chronologicos labyrinthos ingredi nolumus; neque necessarium putamus, postquam, ut supra innuimus, certo certius statui potest, harum hebdomadum terminum jam effluxisse, undecumque earum sumatur initium.

(*b*) In *Gemara Babylonica* Tract. *Sandrin* editione Coccejanæ Excerpt. 30. cap. 11. non solum hæc dilatio adventus Messiæ pro certa habetur, sed variæ etiam afferuntur hujus dilationis causæ. Dolosam hanc populi decipiendi viam inierunt etiam aliqui Rabbini recentiores; nulla etiam ipsis videtur melior ad nutriendam vanam Messiæ expectationem.

(*c*) R. Don Isaac Abarbanel floruit Sæcul. XV., & tantam sibi doctrinæ famam apud suos comparavit, ut celebri Mosi Maimonidi non solum æquiparetur, sed etiam præferatur. Origine fuit Lusitanus, & in aula Alphonsi V. diu vixit; Alphonso mortuo in Hispaniam migravit, ac demum Neapolim, ubi regibus Ferdinando, & Alphonso charus fuit. Ejus commentarii in Pentateuchum, & in Prophetas magno in pretio sunt. Vid. Jul. Bartholoccius Tom. III. *Biblioth. Magnæ Rabbin.*

leratam, tum ex verbis Danielis: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt*; tum ex aliis Isaiæ LX. 22. *Ego Dominus in tempore ejus subito faciam illud*; vel ut Hebræus legit, *festinare faciam*, aut *accelerabo illud*. Quem locum male, & arbitratu suo ita interpretatus est P. Abarbanel: *Si mereantur, accelerabo: Si non mereantur, in suo tempore*. Quæ tamen in sano sensu intelligenda sunt, scilicet ad denotandam Dei misericordis propensionem ad sua beneficia elargienda; non quasi Deus natura sua immutabilis consilia mutet.

76. Sed neque fingi potest, fuisse adventum Messiæ dilatum, ut populus Hebræus gravissimas, quibus undique premitur, ærumnas toleraudo, enm recipere mereatur; sæpe enim Deus ore Prophetarum testatus est, se redempturum Israel, non propter ejus merita, sed propter seipsum tantum, Isaiæ XLVIII. 11. *Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo*; & Ezech. XXXVI. 22. *Hæc dicit Dominus Deus, non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum*; & vers. 32. *Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis; confundamini, & erubescite super viis vestris, domus Israel*. Hinc etiam Jeremias orabat, dicens cap. XIV. 7. *Domine, fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt aversiones nostræ, tibi peccavimus*. Id vidit præter alios celebratissimus apud Judæos R. Isaac ben-Abraham, qui in suo *Munimine fidei* (quem Wagenseilius ex codice Mss. hebraice, & latine edidit, ac ceteris Judæorum libris perniciosiorem existimavit) ingenue confessus est, redemptionem humani generis non a meritis hominum, sed ab una Dei bonitate, & misericordia pendere.

77. Sed si etiam quis fingat, voluisse Deum ad humilitatem, & patientiam populi Judaici respicere, annon illius in omnes gentes dispersio, & longum per octodecim fere sæcula exilium Dei justitiæ placandæ sufficeret? Annon tot tribulationes, persecutiones, & calamitates, quas ubique gentium quotidie perpeti coguntur? Vix sine animi commotione ea legi possunt, quæ R. Sam. usque describit in suo libro inscripto *Consolatio tribulationibus Israel* anno 1553., & quæ pariter narrat R. Manasse ben-Israel in suo opere *Conciliator* (quod laude dignum, & variis eruditionibus repletum vocat Julius Bartholoccius in *Biblioth. Rabbinica*): præcipue cum has tribulationes se innocenter pati sæpius Judæi conquerantur. Annon etiam multos se habere gloriantur insignes pietate viros, quorum preces Deus exaudire deberet? Si itaque hac de causa dilata fuisset divini Redemptoris missio, sperandum sane erat, jamdiu advenisse tempus, quo Deus ad misericordiam semper proclivis infelicem populum consolaretur. Veruntamen tantum abest, ut ex magnis illis, quas patiuntur, ærumnis aliquam venturi Messiæ spem concipere possint Judæi, quin potius efficax inde argumentum prodit, quo Messiam jam advenisse demonstratur, quod argumentum nos etiam postea cap. 9. non indiligenter pertractabimus.

78. Obj. nonnulla Prophetarum oracula, quibus manifeste declaratur, admodum remotam esse venturi Messiæ epocham. Nam primo Malachias nos monet, antequam veniat Messias, mittendum esse Eliam, inquiens cap. IV. 5.: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis; & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*. Secundo Isaias aliud signum venturi Messiæ nobis manifestat, inquiens cap. XXX. 26.: *Erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit: ecce nomen Domini venit de longinquo*. Vel itaque epocha adventus Messiæ determinate revelata non fuit, vel ad postrema mundi tempora dilata, quibus venturus esse creditur Elias, & futura sunt signa in sole, & luna, & stellis.

79. Resp. ad primum, Malachiæ vaticinium spectare ad novissima mundi tempora, quando Jesus Christus iterum venturus est judex vivorum, & mortuorum, sicut Christus ipse promisit Matth. XVII. 10. & seq., ubi interrogantibus Discipulis: *Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?* respondit Jesus: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia*: idest juxta allata Malachiæ verba, *convertet cor patrum ad filios* &c. Hoc manifeste indicat Malachias ipse, vocans diem illum *magnum, & horribilem*; cujusmodi certe non erit dies nativitatis Messiæ, in qua omnes ad jubilandum, & exultandum invitantur.

80. Quamquam aliquo sensu Elias etiam præcessit primum adventum Domini, unde ibidem subditur: *Elias jam venit, & non cognoverunt eum*, indicans scilicet Joannem Baptistam, de quo antea cap. XI. 14. jam dixerat: *Ipse est Elias, qui venturus est*. Et Angelus prænuncians Zachariæ nativitatem Joanni: *Ipse*, inquit, *præcedet ante illum* (Messiam) *in spiritu, & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam*.

81. Ad secundum Verba Isaiæ a S. Hieronymo referuntur ad signa; quæ præcedent diem judicii, seu secundum Domini adventum. Veruntamen alii observantes, in toto illo capite agi de incursione Assyriorum in Judæam, & clade illa insigni, qua totus eorum exercitus sub rege Sennacherib deletus fuit, admodum probabiliter putant, luce illa extraordinaria lunæ, & solis nihil aliud significari, quam ingentem lætitiam, quæ futura erat in Jerusalem ab hostium imminentium timore liberata. Vid. Lib. 4. Regum cap. XIX.

82. Dices. Adveniente Messia, promissa est con-

conversio omnium gentium; hæc autem nondum facta est, nec fiet, nisi in novissimis diebus, nempe jam fine mundi, prout prænunciavit Isaias cap. II. 2. his verbis: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & venient ad eum omnes gentes:* igitur nondum in mundi fine Messias expectandus est.

83. Resp. per *novissimos dies* non hic significari finem mundi, sed tempora venturi Messiæ, quæ ab Isaia vaticinante admodum remota erant; unde S. Paulus ita suam epistolam ad Hebræos exorsus est: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio:* quæ phrasis Apostoli omnino accurata est, attento longo intervallo sæculorum, quod a Prophetarum oraculis usque ad Christum excurrerat. Nomine autem *montis domus Domini* intelligitur Ecclesia a Christo fundata, ad quam confluere debent omnes gentes: quæ prophetia statim post ejusdem Christi ascensionem ad cœlum adimpleri cœpit, quamquam nondum tota completa sit. Neque insolens est apud sacros Scriptores illud pronomen כל *col omne* accipi pro majore, aut etiam solum pro magno numero, non autem stricte pro omnibus, & singulis; ut proinde *ad omnes gentes* significet *multas*. Quod autem ista vox non rigide pro omnibus accipiatur, indicat ipse Isaias, statim subdens: *Et ibunt populi multi, & dicent: venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Reipsa Ecclesia Christi in Jerusalem primum sumpsit exordium, & inde per totum mundum propagata est.

Sed pressius rem agamus contra Judæos, examinatis præcipuis Prophetarum de ipsius adventu vaticiniis.

CAPUT IV.

Ex vaticinio Jacobæo, refutatis falsis ipsius interpretationibus, evincitur, Messiam jamdudum advenisse, eumque esse Jesum Nazarænum.

84. Nisi cum pervicacibus, & cavillosis hominibus res nobis esset, nihil plane facilius videretur, quam ex simplici illius vaticinii expositione demonstrare, Messiam jamdudum advenisse, eumque non alium esse, nisi Jesum Nazarænum. Patriarcha enim Jacob, morti proximus, filios suos congregans, ac singulis benedicens, benedictionibus propriis, cum venisset ad Judam quarto loco natum: *Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui ... non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium.* Naturalis, & obvius hujus benedictionis sensus se illico offert, scilicet sceptrum, hoc est politicam potestatem, & Legislatorem (nempe Magistratus, legum conditores, & custodes) in Juda perseverare debere usque ad adventum Messiæ, & postea auferri. At vero in historia nihil testatius est, quam circa tempora Jesu Nazareni sceptrum fuisse a Judæis ablatum; unde consequitur, Messiam, qui mittendus promittitur, missum jam fuisse; eumque alium non esse quam Jesum Nazarænum, in quo etiam aliæ prophetiæ impletæ sunt.

85. Objicunt primo aliqui inter Rabbinos, hoc Jacobæum vaticinium minime ad Messiam spectare, Moyses enim Deuteronom. XXXIII., ubi inter alias benedictiones Jacob hanc etiam compendio repetit, nihil prorsus de Messia indicat. Ita quippe vers. 6. exhibet benedictionem Judæ. *Hæc est Judæ benedictio. Audi, Domine, vocem Judæ, & ad populum suum introduc eum; manus ejus pugnabunt pro eo; & adjutor illius contra adversarios ejus erit*, ubi nec minima futuri Messiæ habetur mentio, aut indicium aliquod.

86. Resp., Rabbinos contra sanioris Criticæ regulas graviter peccare, dum clarissima Israelis morientis verba ex hoc perditissimi Mosaico textu obscurare nituntur, cum potius recta ratio postulet, ut hæc obscura Moysis periocha ex aliis perspicuis Jacobi verbis exponatur (*a*). Et certe Messiam in hac Judæ benedictione fuisse promissum, magno consensu olim credebant Rabbini. Ita LXX. Interpretes; ita Paraphrastes, Onkelosus, & Jonathan; ita Targumin Jerosolymitanum & Babylonicum: ita demum & recentiores illi Judæi, qui cum non posseut negare, Messiam prædictum esse venturum, quando fuerit sceptrum a Juda ablatum, regnum Judæ adhuc florentissimum esse in remotissimis quibusdam regionibus commenti sunt: de quibus infra dicetur.

87. Objicunt secundo alii varias cavillationes, quibus vaticinium tam illustre obscurare nituntur, quarum præcipuas hue afferemus. Primo cavillantur circa illa verba: *non recedet sceptrum*, hebraice enim ita habetur שבט לא־יסור *to jusur schevet*; nomine autem *schevet* hoc in loco designari contendunt, non virgam politicæ potestatis, quam *sceptrum* nominamus, sed potius virgam afflictionis; quasi Jacobus prædixerit, calamitates non recessuras a Juda, donec Messia advenerit: vocem autem *schevet* significare virgam afflictionis, colligunt ex cap. XXI. Exodi 20., & Proverb. XXIII. 13. & 14. (*b*).

88. Resp. Rabbinos inficiari minime posse, vocem *schevet* multis aliis in locis sacr. litter. signi-

(*a*) P. Car. Honbigant Messiam saltem obscure indicari putavit iis verbis: *Ad populum suum introduc eum*; sen. ut ipse legit ex fonte hebraico: *Deduc eum ad populum ejus*; quasi Moyses Dominum oret, ut Messiam populo suo nosci, & adorari faciat.

(*b*) Ita aliqui Rabbini, quasi Jacob sic prædixerit:

gnificare *sceptrum*, seu virgam potestatis, & auctoritatis, ut cum Amos I, 8. dicatur: *disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum* (*schevet*) *de Ascalon*, & Zachariæ X. 11. *sceptrum* (*schevet*) *Ægypti recedet*. Jam vero hoc loco *schevet* designare *virgam auctoritatis*, manifestum est primum, quia Jacobus posteris Judæ non tristia; sed fausta ominatur: secundo quia ibidem addit: *& Dux de femore ejus* hebraice מְחֹקֵק *Mechokek Legislator*, ut ita Jacob expressius significaret imperium futurum in Juda, utrumque conjungendo, scilicet signum imperii, & jus ferendi, atque interpretandi leges: tertio, quia in tribus authenticis *Targumin* scilicet Onkelosi, Jonathanis, & Jerosolymitano, tum in antiquissimis versionibus Syriaca, Arabica, Æthiopica, Aquilæ, Symmachi, atque Alexandrina (quæ omnium vetustissima habetur, & 300. ferme annis ante Christum condita) *schevet* sumitur pro scepitro potestatis: quarto quia id non diffitentur sapientiores Rabbini, ut *Abenezra*, Salomon Jarchi, aliique non pauci. Demum quamquam etiam ante Christum pluribus, magnisque calamitatibus populus Judaicus propter peccata sua fuerit obnoxius, certum tamen est, sub multis piis Regibus eumdem opibus, potentia, gloria floruisse: ut proinde nullatenus dici queat, meras calamitates & ærumnas fuisse Judæis usque ad adventum Messiæ a Jacobo prædictas.

89. Secundo cavillantur multo infelicius pauci quidam Rabbini explicantes, seu verius pervertentes. illa verba לֹא־סָר *loiasur*, quasi non significent: *non auferetur*, sed potius *non accedet sceptrum*; ut sensus sit, tunc demum regnum ad tribum Juda accessurum, cum venerit Messias: quod in Davide adimpletum est.

90. Resp. Falsum, & absurdam hanc esse interpretationem, vel ex eo solo liquet, quod cum verbo סָר *Sur* conjungatur vox מִבֵּין רַגְלָיו *min jehudah*, hoc est de *Juda*, ut proinde nullatenus dici possit, *sceptrum accessurum ad Judam*, sed dici omnino debeat, *non recessurum a Juda*.

non desinent exactores affligere Hebræos, donec veniat Messias, seu liberator. Vid. Wagenseilius in T. I. operis inscripti *Tela ignea Satanæ*, ubi confutat *Carmen memoriale* R. Lipmanni, scilicet opusculum quoddam, in quo R. Lipmannus potiora sui libri *Mizzachin* breviter complexus est memoriæ juvandæ causa.

(*a*) Ita enim vertit verba Jacobi morientis: *Sceptrum, legislatorve de Juda sanguine creatus ab eo non recedet in perpetuum, quia veniet Cilo*; quam in rem facile Basnagio fuit exempla nonnulla afferre ex Dan. Huetio in *Demonstr. Evangel.* Prop. IX. cap. 4. num. 6., ubi fuse more suo de hac particula עַד כִּי *Had chi* agit. Basnagius secutus est Rabb. Bechai, & Salomonem, quos confutatos reperies apud Matt. Poly in *Synopsi Criticorum Sacr.* ad hunc locum. Non est dissimulandum, etiam Card. Cajetanum in expositionem hujus versic. aperte velle, regnum æternum tribui Judæ fuisse iis verbis promissum; verum insignis hic

Noster Sanctes Paguinus hebraicæ linguæ scientissimus in *Thesauro linguæ sanctæ* aperte testatur vocem סוּר *Sur*, quando est cum *mem*, significare *motum a loco*.

91. Tertio cavillantur pariter illi Rabbini ita verba Jacobi coordinantes: *Sceptrum a Juda non auferetur in æternum, quando venerit schiloch*: nempe particulam עַד־כִּי *had chi*, quæ significat *donec*, in duas dividunt, quarum prior *æternitatem* explicat, altera *quando*; dividendam autem esse eam particulam volunt propter accentum *jethibb*.

92. Resp., ineptam esse hanc cavillationem; quæ primo satis refellitur ab antiquissimis versionibus, quæ constanter per has particulas *had chi* intellexerunt *donec*, vel *quousque*. Secundo accentus *Jethibb* signum distinctionis non est, quotiescumque immediate ante reperitur *atnachtha*, at hic reperitur. Quamquam piget in frivolis his subtilitatibus tempus terere, ad quas confugientes Rabbini deploratam esse suam causam ostendunt; & satis mirari non possumus, hanc explicationem placuisse Sam. Basnagio in *Annal. Politico-Eccles.* an. ante Christum 40. n. 24. (*b*).

93. Cavillantur quarto in illis verbis דְּרָכָיו מִבֵּין *Nibben Ragelau*, quæ noster Vulgatus vertit *de femore ejus*, volentes *pure; litteraliter* verti debere *de inter pedes ejus*, unde occasionem arripuerunt Rabbini in hunc locum interpretandi: *Non deerunt Doctores inter Judæos, ad quorum pedes discipuli sedeant, donec veniat Messias*; hoc autem adhuc apud Judæos vigere contendunt, atque hinc colligunt, Messiam nondum advenisse.

94. Resp. futilem esse hanc interpretationem, & nimis procul petitam. Quamvis autem Christiani in proprio eorum verborum sensu determinando non omnino consentiant, admodum tamen probabili illorum interpretatio videtur, qui id explicant de naturalis legislatoris nativitate, ex progenie Judæ, quam modeste hac phrasi indicatam volunt (*a*). Nec etiam sua probabilitate caret illorum interpretatio, qui attendentes ad verba præce-

Purpuratus non negat, etiam regnum *temporale* fuisse promissum tribui Judæ, duraturum usque ad adventum Messiæ; sed solum vult, regnum *spirituale* Messiæ ex tribu Juda nasciturî futurum æternum: *cujus regni non erit finis*.

(*b*) Jo. Harduinus in *Chronogia V. T.* huic interpretationi suffragatur: sed merito eruditis displicet, quod ibidem addit: „ Erunt ex Juda Reges Principes, Duces, nec defuturi sunt ex Regum stirpe *primogeniti* „ *masculi* ex masculis ejusdem familiæ nati, qui sint „ propterea *hæreditario jure*, *etsi non semper facto*, „ ut Jureconsulti loquuntur, Reges ac Duces populi, „ donec veniat, apparsatque is, qui mittendus est, ut „ sit Dux, & Salvator populi sui &c. “ Unde enim probat Harduinus, ad masculos *primogenitos* eam prophetiam pertinere, & reipsa omnes Reges, ac Duces in Juda fuisse primogenitos? David certe primogenitus non erat, sed ultimo loco natus. Deinde cum splen-

celentia: *Catulus leonis Juda .... requiescens accubuisti, ut leo &c.* putant, nobili figura hic repræsentari tribum Juda quasi leonem cubantem, & pedum amplexu tenentem sceptrum, & legislatorem. Sed quidquid sit, ex horum verborum obscuritate nihil solidi erui potest contra prophetiæ adimpletionem, quæ in ceteris nimis ex se patens est, & manifesta.

95. Negotium etiam nobis facessunt Rabbini in verbo שִׁילֹה *schiloch*, in cujus radice investiganda multum laborant hebraicæ linguæ periti; qui tamen non tam usum, quam vim & potestatem hujus vocabuli indagare vident. Si itaque verum hujus vocis in hoc loco significatum quæramus, minime dubium est, ibi intelligi Messiam, qui toties mittendus promittitur, unde nostra Biblia vulgata habent: *Qui mittendus est*, a radice שָׁלַח *scalack mittere*, quomodo Moyses ajebat Exodi IV. 13.: *Obsecro, Domine, mitte, quem missurus es*. Hoc sensu eam intellexerunt tria *Targumim*, antiquæ versiones, atque etiam veteres Rabbini, ut videre est apud Jo. Christoph. Wagenseilium in Dissert. peculiari *de loco Gen.* XLIX. Immo nec dissentiunt plerique recentiores, sed in hoc solum errant, quod hujus vocis significatum non Jesu Nazaræno applicant, sed ad alios detorquent; ut R. Aben Ezra, qui eo oraculo regnum David præfigurari commentus est, ita Jacobi valicinium explicans: *Non recedet sceptrum eminentiæ a Juda, donec venerit David, quod est principium regni Judaici*. At vero præterquamquod nihil insulsius hoc sensu fingi potest, certum est etiam, finem regni Judaici ibi significari, non autem initium regni Davidici.

96. Nec tamen contemnenda est, aut facile rejicienda versio LXX. Interpr., qui ita habent: ἕως ἂν ἔλθητε ἀπσυ μέτα αὐτῶ *donec veniant, quæ reposita sunt ei*; scilicet benedictiones promissæ semini Abrahæ, Isaac, & Jacob (vide sup. num. 28. & seq.) quemadmodum explicat Eusebius Lib. VIII. *Demonstr. Evangel.* Ceterum versio nostri vulgati Interpretis primigenio hebraico textui conformior est (*a*).

97. Superest demum ut postrema illius vaticinii verba maxime notanda explicemus וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים, *& ipse erit expectatio gentium*; vel ut alii vertunt: *& ipsi congregatio populorum*; vel *& ipsi obedientia populorum*: hæc enim omnia fere in idem recidunt, & significant vocationem gentium ad veram Religionem, quæ sæpius a Prophetis, immo ab ipso Christo prædicta fuit, & reipsa etiam subsecuta est. Nihil enim frequentius apud Isaiam reperitur; ut cum dicitur: *Ipsum gentes deprecabuntur XI. 10. Legem ejus insulæ expectabunt XLII. 5. Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus* LV. 4.; ac demum clarissima sunt verba Aggæi II. 8. *Et movebo omnes gentes, & venient desiderata cunctis gentibus*. Unde etiam Simeon senex, cum in ulnis suis puerum Jesum gestaret, eum vocavit *lumen ad revelationem gentium* Lucæ II. 30. & seq.. Neque ab hoc sensu abhorrent Rabbini; in eo tamen vehementer errant, quod putent, Messiam dominaturum gentibus dominatu temporali; sed hæc de re nonnulla dicta sunt supranum. 16. & quædam etiam inferius dicentur cap. VII. 98. Hactenus de Judæorum cavillationibus, quibus genuinum Jacobæi vaticinii sensum pervertere conantur. Nunc de alia difficultate haud levi discendum est, quam Rabbini recentiores maximopere urgere solent, contendentes, illud vaticinium multis ante Jesum Nazarænum annis exitum habuisse, scilicet quando Judæis in captivitate adductis, & mortuo Sedecia Rege regnum Juda plane cessavit. Et quamquam soluta captivitate babylonica respublica Judaica caput iterum extulit, nullus tamen amplius Rex in ea fuit usque ad Aristobolum, qui teste Josepho Lib. XII. *Antiqu. Judaic.* cap. II. annis 481. post babylonicam servitutem primus sibi diadema regium imposuit. Fuerunt quidem ante eum Duces Assamonæi, sed hi ex tribu Levi erant (*b*).

99. Resp. Non una est, nec omnino plana hujus difficultatis solvendæ via apud eruditos, sed Doctissimus Duguet (Tom. I. *des Principes de la Foi Chret.* P. II. cap. 10.) nodum hunc ita facilius, quam alii, solvit. Observat, nomine sceptri tribui Juda promissi non intelligi supremam auctoritatem in tota Hebræorum republica, qualem Reges obtinuerunt, sed illam, quæ unicuique tribui propria erat, ut scilicet suis regeretur legibus, suosque Magistratus, ac Principes haberet, quorum frequens est in Historia Judæorum mentio. Quamquam enim omnes simul tri-

jus etiam sine *facto* ad prophetiæ adimpletionem sufficere putat, non vidit, se arma Judæis suppeditare, qui jus ad sceptrum sibi adhuc competere asserunt, quamquam *facto* illius possessione spoliati sint? Neque illorum sententia probari potest, qui ut difficultatem tollant, hebraicos codices hic vitiatos esse dicunt, & loco דִּבְרֵיךְ *Regian* legendum putant: cum codice Samaritano תִּכְרֵיךְ *Duglas*, idest *de vestibus ejus*; neque enim codicis Samaritani tanta est auctoritas, ut ex eo solo vitiatos esse codices hebræos probari possit.

(*a*) De origine vocis צִנְּתֵי *Schiloch* variæ sunt eruditorum sententiæ; sed duæ probabiliores videntur. Prima eam repetit a cognata voce שִׁלּוּחַ, quæ *Secundinam* significat Deuteron. XXVIII. 57., eamque vertunt *filium ejus*; & hanc significationem adoptavit Targum Jonathanis, inquiens: *Rex Messias parvus filius illius*, altera a שָׁרַת *tranquillus, pacificus*, quod Messiæ κατ' ἐξοχὴν *singulariter* convenit, qui dictus est *Princeps pacis*. Plura cupientibus dabit Jo. Morinus in Append. *De locis hebræi textus restituitis* cap. 2. & 3. Fuse de hac voce agit Just. Georgius Zelnerus in Dissert. inserta P. I. *Thesauri novi theol. philos.*

(*b*) Ita opponunt R. Lipmannus in *Carmine*, & in *Nizzacon*, R. Isaac ben-Abraham in *Munimine fidei*, R. Nichmanides in *Disp. cum F. Paulo*, & alii.

tribus universam Israelis remplicam constituerent, singulæ tamen suis distinctis regionibus, ac legibus continebantur. Quando itaque Jacob benedicens Judæ, qui quartus erat ipsius filius, dixit: *Juda, te laudabunt fratres tui ... non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*; non ipsi promisit regium sceptrum, seu supremam in toto Israele auctoritatem; alioquin debuisset statim eamdem consequi, & exercere usque ad adventum Messiæ; cum tamen constet, initium regiæ, & supremæ auctoritatis in Juda nonnisi ad David factum esse.

100. Duo ergo Jacob iis verbis Judæ promisit: primo præminentiam illius tribus super ceteras, quam etiam statim obtinuisse videmus; nam jubente Domino, ut singuli Duces per singulos dies offerrent munera in dedicationem altari, primo die obtulit oblationem suam Nahasson de tribu Juda Num. VII. 11. & sequ. & sic etiam Dominus interrogatus, quis primus ascenderet contra Chananæum, respondit, *Judas ascendet*, Judic. I. Hæc prærogativa non alia de causa tribui Juda competere poterat, quam ex benedictione Jacob: *Juda, te laudabunt fratres tui*.

101. Altera promissionis pars in αὐτονομία sita erat, qua tribus Juda constanter, ac perpetuo usque ad adventum Messiæ sua jura retineret, quibus scilicet se ipsam propriis legibus regeret, suosque Principes, ac Magistratus haberet. Hæc autem promissio reipsa adimpleta fuit; scimus enim decem tribus Israel, quæ se a Juda separarunt, fuisse tandem a Regibus Syriæ in captivitatem abductas, & inter gentes dispersas, eosque, qui variis modis se a captivitate subtraxerunt, fuisse cum tribu Juda, quam semper invenimus omnium populosissimam, commixtos: tribum etiam Benjamin, partem item tribus Simeon, plurèsque Levitarum familias ita fuisse tribui Juda quasi insertas, ut post schisma decem tribuum illi Hebræi, qui Roboam fideles adhæserunt, non alio quam *Judæorum* nomine appellarentur. Hinc est quod dicitur etiam Lib. III. *Regum XII.* 20. *Nec secutus est quisquam domum David* (scilicet Roboam Regem) *præter tribum Juda solam*: & Libro quarto cap. XVII. 18. *Non remansit, nisi tribus Juda tantummodo*. Hinc demum tota illa terra *Juda* dicta est (*a*).

102. Ita exposito benedictionis Jacobææ sensu, longe evidentissimum est, sceptrum in tribu Juda perseverasse usque ad adventum Messiæ, seu Jesu Nazaræni; nam tunc solum Judæa a Romanis subacta, atque in provinciam redacta, cœpit tribu Juda parte suorum jurium expoliari, donec Jerusaleum sub Tito destructa, fuit hæc ipsa infelix tribus toto orbe dispersa, & quidem, ut nulla amplius ei supersit pristinæ dignitatis, atque auctoritatis forma, immo nec a ceteris distinguatur: ita enim fatentibus omnibus sunt perturbatæ genealogiæ, ut non solum modo ignorent Hebræi, de qua familia, sed etiam de qua tribu sint, vel saltem id certis documentis ostendere nequeant (*b*).

103. Dices cum Dan. Huetio in *Demonstr. Evang.* Propos. IX. c. 4. num. 5., non posse nomine *sceptri* commode intelligi αὐτονομίαν seu potestatem legibus suis utendi, cum potius principes aliquos Juda oriundos debere intelligi, sequentia verba *neque dux de femore ejus* liquido demonstrent.

104. Resp. levem hanc esse observationem; nam difficultas prorsus evanescit, si consideremus, in Tribu Juda, sicut & in qualibet alia, semper fuisse Principes, & Duces a vulgari populo distinctos, penes quos erat totius tribus civilis administratio. Hos Principes, & Duces nunquam in tribu Juda defuturos Patriarcha Jacob promisit, quousque Messias adveniret: quod & factum est.

105. Dices iterum. Duæ tribus Benjamin, & Levi non minus, quam tribus Juda suas leges servarunt, suamque πολιτείαν usque ad Romanorum tempora: nihil ergo peculiare promissum fuit tribui Juda, si oraculum Jacobæum eo sensu intelligatur, quo nos explicuimus.

106. Resp., non totam tribum Levi in Palæstina remansisse; cum enim hæc esset inter omnes alias tribus dispersa, magna, imo major Levitarum pars fuit simul cum decem infelicibus tribus in captivitatem post Euphratem adsportata. Tribus etiam Benjamin adeo extenuata fuerat post fatalem illam cladem *Judicum XX.* descriptam, ut nunquam potuerit extollere caput, & se aliis tribubus Israel æquiparare; unde, ut supra observavimus n. 102., sola tribus Juda remansisse dicitur, & Israelitæ non alio, quam *Judæorum* nomine appellabantur.

107. Non tamen hoc loco omittere debemus aliam Theologorum responsionem difficultati n. 98. objectæ. Primo autem observant, quod Rabbini urgent de cessatione regni in captivitate Babylonica futile esse, cum hæc captivitas juxta prædictionem Jeremiæ c. XXIX. brevi duratura esset, & potius suspensio, quam ablatio sceptri dicenda sit. In ipsa captivitate Judæ suis legibus regebantur, neque ut mancipia, sed potius ut nova co-

lo-

(*a*) R. Jonathan ben-Ubiel in suo Targum ita explicat verba benædictionis Jacobææ: *Te laudabunt fratres tui, & vocabuntur Judæi de nomine tuo*. Consentit Targum Jerosolymitanum, inquiens: *Juda te laudabunt fratres tui, & de nomine tuo vocabuntur omnes Judæi*. Utrumque Targum invenitur in Tomo IV. Polyglot. Londinensium.

(*b*) Hic modus explicandi vaticinium Jacobæum fuit postea a Th. Sherlock in Diss. II. annexa operi *de l' usage, & du fin de la prophetie* admodum illustratus, quamquam prius a Daniele Huetio *Demonstr. Evang.* Prop. IX. cap. 4. fuerat indicatus, & fusius etiam explicatus a Jac. Basnagio *Hist. des Juifs* Lib. V. c. 4. editionis Hagæ 1716.

lonia ad augendum civium numerum Babylone degebant. Erant quoque inter ipsos Principes dicti ἀρχμαλωτάρχαι Æchmalotarchæ, qui captivis præerant: ac demum apud Judæos fuisse jus vitæ ac necis, colligitur ex celebri Susannæ historia Dan. XIII.

108. Quantum autem spectat ad posteriora Reipublicæ Judaicæ tempora, de quibus solis difficultas esse potest, contendunt, in tribu Juda permansisse sceptrum, si nomine illius intelligatur non regia dignitas, sed duntaxat absolutum imperium, quo quælibet respublica in suos subditos utitur. Post solutam enim captivitatem hoc imperium exercuit Zorobabel, cui successerunt Esdras, Nehemias, aliique de tribu Juda, donec ad Asamonæos, seu Machabæos delatum fuit, qui erant de tribu Levi. Sed tunc etiam sceptrum in tribu Juda permansisse dicendum erit, si formam regiminis Judaici consideremus, quæ erat mixta ex Aristocratia, & Democratia, ut patet ex Libro primo Mach. XII. 6., & XIII. 7. Cum enim tribus Juda multo potentior esset, quam reliquæ, tam Synedrion, in quo summa residebat imperii potestas, quam major etiam populi pars, ad tribum Juda pertinebat.

109. Nec denique desunt, qui nomine *Judæ* hic non intelligunt peculiarem tribum, sed totam Hebræorum nationem, quæ sententia placuit Pererio, Petavio, Casaubono, Spanhemio, aliisque eruditis, potissimum vero Natali Alexandro in *Hist. Eccles. vet. test.* de tertia mundi ætate Dissert. XII. propos. 3.; & si vera esset, facile sceptrum in Juda usque ad adventum Messiæ conservatum fuisse monstraretur.

110. Ceterum nemini negotium facessere debet harum opinionum diversitas, quæ non ad ipsam rei substantiam pertinet, sed ad aliquas tantummodo circumstantias: in cunctis autem fere prophetiis aliqua semper invenitur obscuritas, ut omnes circumstantiæ accurate determinari, explicarique non possint, quanquam id, quod caput est, & scopus, satis perspicuum sit. Sic in hoc celebri vaticinio perspicue apparet primo, promissum fuisse Messiam: secundo eum oriturum ex tribu Judæ: tertio Messia adveniente sceptrum esse a Juda auferendum: quæ omnia accurate fuisse adimpleta tempore Jesu Nazaræni, luce meridiana clarius est (*a*).

111. Deridendos autem se omnibus præbent Rabbini, dum sceptrum gentis Judaicæ adhuc conservari comminiscuntur in remotissimis quibusdam Orientis partibus, ut refert Buxtorfius in Præfat. ad librum *Cosri*, ad quas tamen accessus minime patet propter *sabbaticum* flumen, cujus ea natura est, ut nonnisi die sabbati, quo peregrinari Judæis prohibetur, pertransiri possit. Ejusdem generis sunt, quæ R. Benjamin Tudedensis in suo *Itinerario* narrat de magna Israelitarum multitudine, qui in amœnissimis locis ab omni aliorum societate remotis, & propter vastissimas solitudines interjectas adiru difficillimis, sub principibus a tribu Juda descendentibus felicissime vivunt (*b*).

112. Porro his, quæ Rabbinorum genium sapiunt, aliquam auctoritatem conciliare se posse putavit R. Ghedalia, cum an. 1533. solemnis legatio a David Rege Æthiopiæ ad Clementem VII., R. P. missa fuit: ex hebræo enim Regis nomine, tum ex aliquibus aliis levibus conjecturis, præcipue autem ex circumcisionis lege ab iis populis observata, proclive statim fuit colligere, eam totam gentem esse hebræam (*c*).

113. Sed ineptiæ hæ sunt plane aniles, quarum suppudere debent earum auctores in tanta hujus ævi geographiæ peritia; ut nec operæ pretium sit in iis explodendis bonas horas consumere. Quantum autem attinet ad legationem David regis Æthiopum, brevi impostura detecta fuit, & omnibus palam factum, Æthiopes origine Hebræos non esse, quanquam circumcisionem, uti nonnulli alii populi, adhibeant: quod apertissime demonstra-

(*a*) Tempus in prophetiarum adimpletione designatum plerumque est morale, non autem physicum, & mathematicum; cujusmodi fuit prophetia de eversione civitatis, & templi Jerosolymitani. Idemque dicendum de ablatione sceptri a tribu Judæ. Qui tamen credunt, nomine *sceptri*, & *ducis*, intelligi principem de tribu Judæ, qui dominaretur universæ reipublicæ Judæorum, facile demonstrant, utramque defecisse, quando a Romanis fuit traditum Judææ regnum Herodi, qui erat *alienigena*; seu quod natus fuerit ex patre Idumæo, & matre Araba, ut aliqui volunt, seu quod natione fuerit Philisthæus, ut aliis placet. Eum alienigenam fuisse, magno consensu testantur S. Justinus in *Dialogo contra Tryphonem*, Origenes Tom. XVII. in Genesim, Julius Africanus apud Eusebium Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 6., aliique, quos recenset Natalis Alexander in *Hist. V. T.* de VI. mundi ætate Dissert. IX. *De genere Herodis*. Herode autem regnante natus est Christus in Bethleem.

(*b*) Multa hujus generis inveniri poterunt in Rabbinorum fœcunda imaginatione, præcipue apud R. Maimonidem in *Jad Chazacuch*. Guill. etiam Postellus sua eruditione præsertim in linguis exoticis, suis infortuniis, suis erroribus, suisque Rabbinicis visionibus Sæculo XVI. admodum famosus, P. I. *Histor. Oriental.* cap. 5. & 6. vult ex decem tribus, quæ diu in partibus Orientalibus latitarunt, Tartaros & Turcas natos esse. In fabuloso item Libro IV. Esdræ cap. XIII. 40., & seq. dicitur, decem Tribus, quas Salmanasar in captivitatem duxit, profectas in *regionem, ubi nunquam habitavit genus humanum* &c.: unde venturæ postea sunt in novissimo tempore. Sed omnes norunt, nullam esse apocryphi hujus libri auctoritatem. Vid. hac de re copiosa Bartolocii Dissertatio in Tomo I. *Biblioth. Rabbinicæ*.

(*c*) Vix credibile esset, Judæos ad similes ineptias confugere, nisi hæ legerentur in eorum libris, ut in *Igheret Orechod Olam. Peritzoli*. Confer Julium Bartolocii in Tom. I. *Biblioth. Babbin.* ubi plusquam par esset, operam dat huic commentitio figmento explodendo.

stravit Ludulphus in *Comm. Hist. Æthiop.* Sed si quis hujusmodi næniis; putidisque fabulis delectatur, adire poterit præter Buxtorfium laud. loc., & in Epist. ad Spizel. Tom. XIV. *Amœnit. Liter.* Schelhornii, Jul. Bartolocium Tom. I. *Biblioth. Rabbin.*, & Th. Hyde in notis ad *Ighered Orechod Olam* Tom. VII. *Thesauri* Ugolini. Ceterum omne imperium a Judæis jamdiu defecisse, totamque infelicem nationem ubique dispersam, alienis Regibus servire, fatentur cordatiores Rabbini, ut necesse non sit, in his, aliisque id genus commentis refutandis diutius immorari. Quod si etiam fabulosum illud Israelitarum regnum in partibus hujus mundi ignotis, & inaccessis existeret, nihil tamen prodesset, ut probaretur, sceptrum in tribu Juda remanere, prout ipsi a moriente Patriarcha Jacob peculiariter prædictum fuerat: esset enim hoc fictitium regnum decem tribuum Israelis, non tribus Juda, quam respiciebat oraculum Jacobæum.

114. Dices. Tempore Jesu Nazaræni sceptrum de Juda ablatum dici non potest, cum adhuc penes gentem Judaicam jus esset vitæ, & necis. Pilatus Judæis ejus mortem petentibus respondit: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum*, Jo. XVIII. 31. Stephanus etiam a Judæis lapidatus, Apostoli in vincula conjecti, ac Christiani variis modis vexati..

115. Respond. Hæc omnia nihil aliud probant, quam aliquod antiquæ potestatis apud Judæos remansisse vestigium, non autem illam auctoritatem, quæ proprie sceptri nomine designatur; hæc enim tota cessavit, postquam Judæa fuit a Romanis in provinciam redacta. Verba autem Pilati significant, voluisse eum Judæis potestatem judicandi Christum concedere; hanc enim se non habere ibidem testati sunt, dicentes: *Nobis non licet occidere quemquam*.

116. Lapidatio Stephani non judiciaria potestate, sed potius tumultuario impetu a Judæis facta est, ut colligitur Act. XII. 56. Persecutiones denique Christianorum potius violentiæ, quam auctoritati tribuendæ sunt. Ceterum si quid supererat apud Judæos precariæ potestatis, id totum postea penitus sublatum fuit: neque in hujusmodi prædictionibus tempus *mathematice* notari solet, sed potius *moraliter*, ut supra notavimus ad num. 110.

117. Nec improbabilis est eorum opinio, qui dicunt, Synedrio Judæorum a Romanis relictam fuisse potestatem de iis criminibus judicandi, quæ ad eorum leges pertinebant, reservatis Augusti Procuratoribus, quæ immediate majestatem usque Romanam lædebant. Hinc facile intelligitur, quomodo de nece Jesu Christi, qui accusatus fuerat, quod subverteret populum, ut se faceret Regem, nihil Judæi decernere potuerint, dicentes: *Nobis non licet interficere quemquam*; potuerint sævire in Stephanum, atque Apostolos, tanquam violatæ, ut ipsis videbatur, Religionis reos (*a*).

118. Ob. ult. Vaticinium Jacobæum longe ante Jesum Nazarænum fuit adimpletum. Quemadmodum enim promissum fuit, *non auferendum sceptrum de Juda, donec veniret, qui mittendus est*, ita inferius v. 22. & seq. prædictæ fuerunt omnis generis benedictiones tribui Joseph, *donec veniret desiderium collium æternorum*: quo fit, ut eadem statnatur epocha cessationis sceptri in tribu Juda, ac benedictionum in tribu Joseph; atqui benedictiones in tribu Joseph cessarunt multo ante Jesum Nazarænum, quando illa simul cum aliis fuit a Salmanasare in captivitatem abducta, & inter gentes dispersa: ergo &c.

119. Hæc difficultas facile tollitur, si originalem hebraicum textum consulamus; in illo enim ita habetur: כדפת אפיך ננדי עלרכתתידי צר האזת נבעת צלם: qui textus litteraliter sic verti debet: *benedictiones Patris tui prævaluerunt super benedictiones genitorum meorum usque ad terminum* (seu desiderium) *collium sæculi*: particula autem illa עד *usque* intelligi debet in sensu *exclusivo*, ut significetur, benedictiones Joseph futuras majores benedictionibus aliorum fratrum suorum, excepta tamen prærogativa originis Messiæ, quæ Judæ promissa fuerat. Ita Card. Cajetanus in *Commentariis* n. 110. At vero P. Car. Franc. Houbigant ita hunc locum vertit: *benedictiones Patris tui præstantiores sunt benedictionibus montium, donec erunt vota collium æternorum, illæ aderunt in caput Joseph, in cervicem ejus, qui Rex est fratrum suorum:* & quoniam benedictiones Joseph certe tamdiu duraturæ non erant, quamdiu erunt montes, & colles, vult P. Houbigant, Jacobo in mentem venisse alterum Joseph, nempe Christum in eo præfiguratum. Porro LXX. Interpretes sic habent: εὐλογίαι πατρός σου, ᾧ κίσχυσε σκήπτῳ σφυρῷ ὑπὲρ εὐλογίαι ὀρέων μονίμων, ἔσ᾽ ἐπ᾽ εὐλογίαις δώδεκ᾽ ἀγγέλων κ. τ. λ., idest, *benedictiones patris tui, & matris tuæ præstantiores sunt benedictionibus montium stabilium; & benedictionibus collium æternorum:* quæ lectiones si admittantur, corruit tota vis argumenti. Magis tamen placet Cajetani observatio.

120. Neque operæ pretium est multum temporis insumere in iis confutandis Rabbinis, qui in Jacobæo vaticinio aut Davidem, aut Saulem, aut Jeroboam, aut Ahiam Silonitem, aut alios quosdam designari comminiscuntur. Primo enim hæc omnia conciliari nequeunt cum promissione sceptri perseveraturi in tribu Juda usque ad adventum Mes-

(*a*) Vid. D. Bened. Bacchinius Ord. S. Ben. *De Eccl. Hierarchiæ originibus* P. I. c. 1. Hanc sententiam illustravit etiam Salomon Deylingius in *Dissert. De Judæorum jure gladii, tempore Christi*, quam Blasius Ugolinus inseruit T. XXVI. *Thesauri antiquit. sacrarum.*

Messiæ .. Deinde antiqua Judæorum traditio hoc vaticinium semper ad Messiam retulit.

121. Insulse postremo R. Bechai Cabbalista ex regulis Gematriæ nomine *schiloh* intellexit *Moysem*, cum in utroque nomine numerus 345. exhibeatur, & cum Moyses sceptrum Judæ abstulerit, imperio in totum Israelem sibi arrogato. Contra hujus Rabbini, aliorumque somnia vid. si placet, Hnetius in *Demonstr. Evangel.* Propos. IX.

122. Unus adhuc restat scrupulus, facile tamen eximendus, scilicet Christum Dominum, Apostolos, & Evangelistas, cum multa allegaverint veterum Prophetarum oracula, de hoc Jacobæo vaticinio alte silusse. Sed leve hoc est, cum certum sit, non omnia, immo nec multa veterum Prophetarum oracula fuisse a Christo, vel a sacris scriptoribus distincte, & propriis verbis recitata, sed potius generatim Judæos remissos ad scrutandas Scripturas; unde etiam Christus inquiebat Jo. V. 39., & seq.: *Scrutamini Scripturas ... & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me .... Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit.*

123. Addi etiam potest, vaticinium Jacobi de ablatione sceptri a Juda Christi ætate adimpleri quidem cœpisse, non fuisse autem omni ex parte consummatum, vel saltem potuisse tunc temporis ab incredulis adhuc sperari sceptri restitutionem reipubl. Judaicæ, quomodo sæpius jam contigerat; quæ spes post 17., & amplius sæcula jam evanescere debuisset.

CAPUT V.

Ostenditur, Danielis vaticinium fuisse in Jesu Nazaræno adimpletum.

124. Quamvis id censeri potest superius cap. 3. jam confectum; quia tamen illa temporis Danielis ab Angelo prædicti suppotatio multis, magnisque tenebris est involuta, independenter ab illa ostendendum nobis erit, nonnisi Jesu Nazaræno ea convenire, quæ in celeberrima illa prophetia continentur; ita ut calculi non sint inundi a principio prophetiæ usque ad ipsius complementum; sed contra eum certo constet de tempore complementi prophetiæ, ordine retrogrado ab hoc immobili puncto ascendere debeamus ad septuaginta hebdomadum initium, ut viri apprime docti recte observarunt. Hoc autem ut luce solari clarius palam fiat, singula ipsius membra exponenda sunt, & a falsis Rabbinorum interpretationibus vindicanda.

125. Primo itaque ibidem dicitur: *Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ sunt* (hebr. יחרה) decisæ sunt (*a*) *super populum tuum, & super urbem sanctam tuam;* idest placuit Deo pro infinita misericordia sua Danieli revelare, fuisse tempus *abbreviatum*, vel *determinatum*, ut *consummetur prævaricatio* (vel ut textus hebr. exprimit לכלא משע *cohibeatur prævaricatio.*), *& finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas* (hebr. וּלְכַפֵּר עָוֹן *ad expiandam iniquitatem*) *& adducatur justitia sempiterna.* Porro cæcus est, qui non videat, hæc omnia nonnisi ei convenire, qui venit ad tollenda mundi peccata, quemadmodum etiam Isaias prædixit c. LIII., & adimpletum vidit Joannes Christi præcursor Jo. I. 29., & qui ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ vocatus est *justus, Justitia* a Prophetis. Jerem. XXIII. 6. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster;* vel ex hebraica phrasi *Dominus justitia nostra.* Suffragantur nimia rei evidentia convicti etiam plures Rabbini, ut R. Isaac ben-Abraham in *Munimine fidei*, cap. 42., Rabbini Moses Hadarsam, & Levi ad hunc locum Danielis, & R. Berachias ad illa verba Isaiæ XLV. 8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum.* Atque ab hoc solo justo poterat iniquitas hominum expiari, ut suo loco ostendetur (*b*).

126. Addit postea Angelus Gabriel: *& impleatur visio, & prophetia;* in hebræo autem legitur וְלַחְתֹּם חָזוֹן וְנָבִיא *& obsignetur visio, & Prophetia;*

(*a*) Id est *definita*, ac *determinata*, non autem, ut quidam cum Hnetio volunt, eo sensu *abbreviatæ*, ut alies, menses, & anni ceteris breviores futuri essent, & lunares, non solares designentur: verbum enim hebraicum חָתַךְ has interpretationes non patitur. Multo autem minus ferenda est sententia Hardnini, qui ut textum Danielis suæ chronotaxi accommodet, 70. hebdomades *abbreviatæ* intelligit pro *decurtatis*, easque ad 62. redigit. Si verbum Vulgatæ retinere velimus, potius dicendum erit, fuisse adventum Messiæ acceleratum ad 70. hebdomades, cum potuisset ad longius tempus differri; non quidem eo Rabbinorum sensu, quem superius cap. 3. prop. 2. explosimus, sed ad divinam misericordiam magis exprimendam. Vid. n. 65.

(*b*) Præclara est illa S. Grégorii Magni observatio Lib. 27. *Moraliùm* c. 30. n. 46. T. I. edit. Paris. 1705., *ubi inquit*: „ Delenda erat talis culpa (*Adami*); sed „ *nisi* per sacrificium deleri non poterat. Quærendum „ *erat* sacrificium. Sed quale sacrificium poterat pro „ absolvendis hominibus inveniri? Neque enim justum „ fuit, ut pro rationali homine brutorum animalium „ victimæ cæderentur ... Requirendus erat homo, qui „ pro hominibus offerri debuisset, ut pro rationali pec„ cante, rationalis hostia mactaretur. Sed quid, quod „ homo sine peccato inveniri non poterat, & oblata „ pro nobis hostia quando nos a peccato mundare potuisset, si ipsa hostia peccati contagio non careret? „ Inquinata quippe inquinatos mundare non potuisset. „ Ergo ut rationalis esset hostia, homo fuerat offeren„ dus: ut vero a peccatis mundaret hominem, homo „ & sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, „ si ex peccati commixtione descenderet? Proinde ve„ nit propter nos in uterum Virginis Filius Dei; ibi „ pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo na„ tura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium, cor„ pus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine „ peccato, quæ & humanitate mori, & justitia imma„ dare potuisset. "

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tia; sed intricatæ lectionis idem est sensus, scilicet in Messia esse adimplendas omnes visiones, & prophetias, quia erat omnium vaticiniorum finis: quod ita est evidens, & Rabbinis ipsis compertum, ut quoque orationem non desideret. At vero in Jesu Nazareno fuisse omnia oracula impleta, præter ea, quæ hactenus dicta sunt, manifestius adhuc fiet in seq.

127. Nec audiendus est R. Abarbanel, qui verba illa, *obsignetur visio, & prophetia*, explicat *de occultatione prophetiæ; obsignatio* enim, de qua hic sermo est, idem significat, ac *confirmatio*, quæ fit per oppositionem signi, vel sigilli.

128. Sequitur deinde: *& ungatur Sanctus Sanctorum*, vel hebraice קדש קדשים *Sanctum Sanctorum*, aut etiam *sanctitas sanctitatum*, quæ phrasis perperam a quibusdam Rabbinis ad templum referitur, seu *Sanctuarium*, quod certe adveniente Messia ungi non debebat, sed everti, & destrui, ut mox videbimus. Designat ergo ipsum Messiam, qui idem est ac χριστὸς seu *unctus*, & dici potest *Sanctus Sanctorum*, quia excellentior est omnibus *Sanctis*; ac *Sanctitas sanctitatum*, utpote ipsa sanctitas divina. Hinc etiam Syrus interpres vertit: *Usque ad unctum Sanctum Sanctorum*.

129. Postquam vero Angelus revelavit Danieli tempus, quo urbs Jerusalem cum mœnibus, & plateis reædificanda erat, scilicet hebdomades septem, & deinde tempus hebdomadum 62, usque ad *Messiam Ducem*, dicit: *& post hebdomades 62. occidetur Christus*, vel secundum litteram hebraicam משיחא *exscindetur Christus* (a): quorum verborum sensus obvius, & litteralis mortem designat, qua Jesus Nazarænus verus Messias a Judæis sublatus fuit juxta Prophetarum oracula, præcipue autem Isaiæ, qui crudele Christi supplicium non tam prophetice ut futurum prædixisse videtur, quam ut præteritum, vel præsens, historice enarrasse.

130. Sed notatu maxima digna sunt sequentia: *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est*. Quamquam autem in nostris hebræis codicibus duntaxat dicatur לו אין *& non ei*, conjectare tamen facile possumus, in priscis illis codicibus, quibus S. Hieronymus usus est, hæc verba reperta fuisse, ad designandam reprobationem Judæorum a multis aliis Prophetis prædictam, imprimis autem ab Osea I. 10: *Dicitur eis, non populus meus vos*. Retenta tamen hebraica lectione illa verba: *& non si* significare possunt *non sibi*, vel non *sui causa*, nempe Christum propter scelera nostra, ac propter nostram utilitatem occisum fuisse, quomodo etiam de eo Isaias dicebat LIII. 8. *Abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum*; unde græci quoque interpretes reddiderunt ὃς χρίσμα οὐκ ἴσχυσεν ἐν αὐτῷ. *& nullum in eo crimen*: alii vero significari putant, nullum Christo patienti auxiliatorem fuisse; reipsa enim ab omnibus derelictus fuit.

131. Tandem prophetia concluditur terribili illa comminatione: *Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo ... & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio*; cujus comminationis exitum infelices Judæi experti sunt, quando Romani sub Duce Tito eos, suprema clade affecerunt, civitatem ferro, flammaque vastarunt, & quando templum ipsum incensum fuit, ac solo æquatum. Qua in re ut clarius divini oraculi vis appareat, ex historia constat, omnem operam a Tito adhibitam fuisse, ut stupendum illud ædificium a communi ruina eximeretur: frustra tamen; nullo enim modo flammarum, seu potius divini furoris vis cohiberi potuit. Et hæc quidem desolatio, ut vaticinium ferebat, finem non habet, cum ab octodecim fere jam sæculis Judæi patriis sedibus expulsi sine rege, sine templo, sine sacerdotio, sine sacrificiis ubique extorres aliis Principibus servire cogantur, magnis ubique calamitatibus oppressi.

132. In medio autem terribilis istius comminationis hæc verba legimus: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium*. Priora verba nihil aliud significant, nisi fœdus novum, quod Christus instituit, & quod luculentius fuerat etiam a Jeremia prædictum XXXI. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum ... dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum &c.* Posteriora vero declarant, Christi sacrificio abolita fuisse sacrificia veteris legis, quæ ipsius figura erant. Atque ut certius appareret futura horum sacrificiorum abolitio, prædicitur etiam destructio templi, in quo solo Hebræis licebat Deo litare. Hæc omnia si simul considerentur, nullum plane dubium relinquunt, vaticinium Danielis spectare promissum in lege Messiam, ac fuisse a Jesu Nazareno plene, & adæquate impletum.

133.

(a) Versio quidem LXX. Interpr. ita habet ἐξολοθρευθήσεται χρίσμα *exterminabitur unctio*; sed minus fideliter, ut Sanctus Hieronymus hunc locum notavit; quod mirandum non est, utpote quia versio illa, quæ nunc prostat, a Theodotione facta fuit Judæorum proselyto: versio autem LXX. viralis non ita pridem e Chisiano codice Romæ edita, & altera ex Codice Syro Bibliothecæ Ambrosianæ, paulo aliter habent. Hinc fortasse deceptus est Eusebius, dum Libro VIII. *Demonstrat. Evangelic.* hæc verba non de Christo, sed de Ordine Sacerdotum, & Pontificum intellexit, quorum series post Christum defecit. Has diversas lectiones ad calcem capitis adjungemus.

135. Innumera plane sunt Rabbinorum commenta, ut invicti hujus argumenti vim declinent; & quamquam omnes in eo consentiunt, ut Jesum Nazarænum ab Angelo minime designatum esse velint, mire tamen inter se dissentiunt in vero vaticinii sensu determinando. Alii enim cum R. Salomone in *Exposit. sup. Danielem* illud ad Cyrum referunt, qui *Christus*, ab Isaia XLV. 1. dictus est. Alii cum Aben Ezra ad Nehemiam; alii ad Zorobabel; alii ad Regem Agrippam II.

134. Sed ineptiunt omnes; nam præterquam quod ita laborant in chronotaxi septuaginta hebdomadum hujusmodi viris adaptanda, ut exitum nullatenus invenire queant, nemini etiam eorum ea convenire possunt, quæ de Messia Gabriel Danieli prænunciavit. Ecquis enim istorum dici poterit *Sanctum Sanctorum?* Sub quonam *expiata est iniquitas terræ?* Quandonam *obsignata est visio, prophetia?* Quomodo *defecit hostia, & sacrificium?* Fuitne sub aliquo eorum *civitas, & sanctuarium dissipatum?* Ac demum quo tempore secuta est *abominatio desolationis usque ad consummationem, & finem perseveratura*, nisi post occisum Jesum Nazarænum, quem ut verum Messiam obcæcata Synagoga agnoscere detrectavit?

135. Multo magis æcutit R. Abarbanel, dum in hac prophetia non *Messiam Ducem* post 62. hebdomades exscindendum vidit, sed potius populum in captivitatem redigendum, nisi hoc temporis intervallo a peccatis resipisceret; quasi scilicet oraculi sensus hic sit, adhuc per 70. hebdomades voluisse Deum patienter expectare populum ad pœnitentiam, iis autem exactis durissimæ captivitatis, omnisque generis miseriis esse subjiciendum usque ad adventum Messiæ. Nugæ planæ hæ sunt, quæ nec refutari merentur, cum non solum nullum habeant in sacro textu fundamentum, verum etiam ipsi adversa fronte repugnent.

136. Sed quomodo, sciscitatur Rabbinus, dici potest *consummata prævaricatio, deleta iniquitas, & adducta justitia sempiterna* post adventum Jesu Nazareni, cum videamus vitia, & peccata ubique in omnibus populis, atque inter Christianos ipsos grassari (a)?

137. Resp., verum illorum verborum sensum non esse, Christo adveniente nulla amplius futura in hoc mundo peccata; sed Christi passione fuisse divinæ justitiæ pro peccatis nostris satisfactum, & nobis etiam suppeditata remedia, quibus & præterita expiare, & futura cavere possimus; unde Isaias LIII. 5. de Christo prædixit: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra ... & livore ejus sanati sumus*; & LXI. 1. loquens in persona Christi dicebat: Deus *misit me, ut medicer contritis corde*; & infinita sunt hujus generis testimonia. Hunc esse illorum verborum sensum plerique cordatiores etiam inter Judæos confessi sunt, ut R. Simeon in *Beressith Rabba*, & R. Manasse ben-Israel in *Termino vitæ*, ubi etiam testatur, non aliam fuisse hac de re veterum Judæorum sententiam.

138. A veritate etiam omnino aliena est quorundam Rabbinorum opinio, qui *dissipationem sanctuarii, & abominationem desolationis, in templo a Daniele prædictam* ad Antiochum Epiphanem referunt; qui, ut legitur I. *Machab.* I. 57., ædificavit *abominandum idolum desolationis super altare Dei*.

139. Aliena est, inquam, a veritate hæc opinio. Nam primo Daniel sævissimam hanc Antiochi persecutionem non hoc capite, sed inferius cap. XI. 31. prædixit; quæ proinde prophetia ab alia Messiæ venturi distinguenda est. Secundo sub Antiocho multa quidem, & gravissima mala Judæi perpessi sunt; non fuit tamen Jerusalem destructa, aut dirutum templum, quod post Messiæ occisionem futurum esse prædicitur. Tertio non fuit illa desolatio perpetua, sed sub Machabæis respublica Judæorum iterum caput erexit, multis victoriis inclaruit, antiquam Patrum suorum religionem restituit, omnisque generis bonorum abundantia floruit, ut in libris *Machab.* videre est, præcipue autem Lib. I. cap. XIV., ubi gloria gentis Judaicæ sub Simone Duce late & copiose describitur.

140. Prætermittere hoc loco non possumus absurdam Jo. Harduini interpretationem vaticinii Danielis, quæ a refutatis hactenus Rabbinorum commentis non procul abest. Hic auctor suis paradoxis notissimus in *Chronologia* V. T. contendit, Christum a Daniele prædictum esse Onian Pontificem, qui a Menelao proditoria Andronici manu occisus fuit II. *Machab.* IV. 34. nec alia ratione vaticinium Danielis posse ad Jesum Nazarenum referri, nisi *typice*, quia Onias ipsius figuram gerebat: quæ si vera essent, qui non videt quantum efficaciæ hujus vaticinii ad convincendos Judæos detraheretur (b)?

141. Multa sunt, quæ novæ huic Harduini inter-

(a) Hoc est unum ex potissimis argumentis, quo Rabbini populo indocto, & facile credulo fucum faciunt, scilicet Messia adveniente omne sublatum iri peccatum. Ita R. Isaac in suo *Munimine Fidei*, R. Manasse ben-Israel in *Conciliatore* Quæst. 28. in Isaiam. Ita plurimi alii; quibus nos nostris moribus, quod maxime dolendum est, ansam præbemus.

(b) P. Bernardus Lamy in suo *Apparatu Chronol. & Geograph. ad Comment. in Harmoniam IV. Evang. in Dissert. de 70. hebdom.* Harduinum pro meritis castigavit. Harduinus autem refutatoria oratione sub adscititio nomine Eusebii Franco-Romani non sine acrimonia Lamyo respondens, suum systema confirmare conatus est, in quo initium 70. hebdomadum capit a quarto Joachimi Regis anno: finem autem hebdomadum 7. statuit in Cyro, quem vult esse *Christum Du-*

terpretationi opponuntur, potissimum autem ejus chronotaxim, ratione temporum perturbata, nec sibi ipsi, nec solidioribus Historiæ monumentis cohærere. Sed quod magis Theologis displicere debet, est primo, quod nomine *Christi Ducis* non intelligat Jesum Nazarænum; cui tamen soli, ut videmus, omnia ea convenire possunt, quæ in vaticinio continentur. Immo eo progressus est Harduinus, ut negaret nomen *Ducis* (hebr. נגיד *nagid*) fuisse unquam vero Messiæ tributum, atque eruditos fidenter provocaret, ut vel unum Scripturæ textum, in quo id inveniatur, proferrent; cum tamen in promptu sit Isaiæ testimonium LV. 4. *Ecce testem populis dedi eum, Ducem* (hebr. נגיד Nagid) *ac præceptorem gentibus;* quod certe de Messia dictum est, de quo prophetavit David: *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Secundo quod verba illa: *Confirmabit autem pactum multis*, quæ designant novum fœdus a Christo institutum, detorqueat arbitratu suo ad Judæos, qui sub Maihathia fideles fœderi antiquo permanserunt. Multo plura Harduino objecit post laud. Bern. Lamy P. Nicol. August. Chignoli *Exercitat. XXVI. ad Danielem Prophetam*.

142. Harduinum præcesserat, saltem ex parte, Jo. Marshamus, qui in *Canone Chronico Sæc.* 18. ut novam suam, maleque contextam hebdomadum Danielis chronotaxim defenderet, ita v. 25. legebat: *Ab exitu verbi ad reverti faciendum, & ad ædificandum Jerusalem usque ad unctum Ducem hebdomades 7.* deinde illud: *ab exitu verbi* explicandum esse vult de illis verbis Gabrielis v. 25. *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo:* tertio contendit, *Christum Ducem* esse aut Zorobabel, & Jesum filium Josedec, qui cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem I. Esdræ V.: quarto ita ordinat verba sequentia, vers. 25. *& hebdomades 62. erunt, & redibit & ædificabitur platea, & fossa in angustia temporum, & post hebdomades 62. exscindetur unctus, vel unctio;* hoc autem adimpletum fuisse putat sub Antiocho Epiphane, cujus sævissima persecutio describitur Lib. I. *Machab.* I.

143. Hoc Marshami systema non minus, quam mox confutatum Harduini, peccat contra sanioris Chronologiæ, & Hermeneuticæ regulas, quod fuit a pluribus eruditis demonstratum. Sed nobis in præsentiarum sufficit, ad illud rejiciendum, quod, ut sæpe dictum est, vaticinii verba nec Cyro, nec Zorobabeli, nec cuicumque alteri convenire possunt præter Jesum Nazarænum.

144. In eo etiam absurde peccat Matshamus, dum verbum משיח *Marshiah* vertit *unctio*, cum tamen dubio procul reddendum sit *unctus* seu græce χριστὸς. Plura dabit contra Harduinum, necnon contra P. Calmet, qui tertiam quamdam Danielis interpretationem, hactenus refutatis non admodum diversam edidit, D. Rondet *in Dissert. sur les septantes semaines de Daniel* Tom. XI. *de la S. Bible* edit. 1772.

145. Antequam caput hoc absolvamus, paucis explananda sunt ea verba prophetiæ v. 27. *& erit in templo abominatio desolationis*, quæ Christus Dominus Matth. XXIV. 15. allegans, inquit: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat:* textus enim primigenius hebraicus habet על כנף *Al ceneph super alam;* quod noster Interpres reddidit *in templo*. Hæc autem verba, si proprie loqui velimus, indicare videntur abominationem, quæ futura erat, non in ipso templo, sed potius in circuitu Jerusalem, quia a Propheta appellatur *ala*, vel *latus*, quando nempe profanæ Romanorum vexilla, in quibus idola depicta erant, in loco sancto, id est in circuitu Jerusalem, quæ vocabatur *civitas Dei, & civitas sancta*, explicanda erant. Scimus tamen Flavio Josepho referente Lib. VI. *de bello Jud.* cap. 6. etiam templum ipsum fuisse a Romanis profanatum; cum enim templum, & quæ circa templum arderent omnia, inquit Joseph, *Romani signis in templum illatis, positisque contra portam Orientalem, illis ibi sacrificarunt.*

SCHOLION.

De celebri versione Danielis secundum LXX. ex Tetraplis Origenis.

146. Annus labitur nunc XVII., ex quo curante clar., doctissimoque viro Simone de Magistri Oratorii Rom. Presbytero, elegantissimis typorum formis prodiit diu, multumque desiderata versio Danielis græca Septuaginta Senum ex vetusto codice Christianæ bibliothecæ. Fuit illa quidem magno eruditorum plausu excepta, sed postea cum non pauca inventa in ea sint sphalmata, fimeri cœpit, an textus ipse incorruptus esset, & alter codex desiderabatur antiquior, & purior, qui versionem LXX. viralem Danielis exhiberet (*a*). Huic desiderio ex parte saltem satisfecit vir solertissimus Cajetanus Bugatus Collegii Ambrosiani Doctor,

---

cem a Gabriele prænunciatum; hebdomadas denique extendit usque ad Judam Machabæum, post quas occisus est Onias Pontifex, in cujus nece occisio Jesu Nazareni præfigurabatur. Mira autem confidentia de sua interpretatione exultans ei nihil aliud opponi posse jactat, *præter novitatem, sed fiet*, inquit, *illa temporis accessione vetus*.

(*a*) Primo enim plura in Codice illo Chisiano detecta sunt menda librarii imperiti, aut parum diligentis in verborum, ac sententiarum omissione, in litterarum immutatione, ac demum in signorum Origenariorum perturbatione; qua de re aliqua etiam monuit vir his in rebus peritissimus Alexius Symmachus Mazochius in Diatriba *De græco Prophetarum codice Chisiano* inserta Tom. 3. Collect. Calogerianæ. Sphalmata longe plura post memoratam editionem Romanam in eo Co-

ctor, edito *Daniele secundum editionem LXX. Interpretum ex Tetraplis desumptam ex Codice Syro-Estranghelo Bibliothecæ Ambrosianæ* Mediol. 1788. in 4., ut textu siriaco hujus codicis cum græco codicis Chisiani collato, errores emendari possent. Hæc breviter notasse sufficiat; qui plura desiderat, adeat laudatos hos celeberrimos Duumviros in Præfatione præmissa suis editionibus Danielis.

147. Nunc pro re nostra exhibebimus vaticinium Danielis de Messia venturo ex utroque Codice, ut noscantur variationes a nostri Vulgati interpretatione, qui primigenium hebraicum textum secutus est, & majorem proinde fidem meretur, potissimum quando disputamus contra Judæos, qui testibus Origene in epist. ad Africanum n. 5. T. I., & Hieronymo in Præfat. ad Librum Psalm., & alibi, textui primigenio hebraico, potiusquam versioni LXX. virali, inhærere solent, quamquam nec variationes tanti momenti sint, ut vim nostri argumenti contra Judæos infringere valeant. Textus igitur, qui conferuntur, sic habent.

Versio nost. Vulg. Cap. 9. 24. seq.

Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.

Scito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum.

Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio.

Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.

Versio ex Codice Chisiano.

Septuaginta hebdomades decretæ sunt super populum tuum, & super civitatem Sion, ut consummetur peccatum, & deficiant iniquitates, & deleantur injustitiæ; & intelligatur visio, & detur justitia sempiterna, & consummentur visiones, & Prophetæ, & lætetur Sanctus Sanctorum.

Et scies, & intelliges, & lætaberis, & invenies præcepta, ut respondeatur: & ædificabis Jerusalem civitatem Domino.

Et post septem, & septuaginta, & sexaginta duos deficiet unctio, & non erit: & regnum gentium destruet civitatem, & sanctuarium cum unctio, & veniet consummatio ejus cum furore, & usque ad tempus consummationis a bello oppugnabitur.

Et prævalebit testamentum in multis, & rursus revertetur, & ædificabitur in latitudine, & longitudine: & juxta consummationem temporum: & post septem, & septuaginta tempora, & sexaginta duo annorum usque ad tempus consummationis belli, & auferetur desolatio in prævalendo testamento ad multas hebdomadas: & in fine hebdomadæ auferetur sacrificium, & libamen, & in templo abominatio desolationum erit usque ad consummationem: & consummatio dabitur super desolationem.

Versio ex Codice Ambrosiano.

Septuaginta hebdomades decretæ sunt super populum tuum, & super civitatem Sion, ut consummetur peccatum, & imminuatur iniquitas, & deleantur injustitiæ, & intelligatur visio, & detur justitia sempiterna, & consummentur visio, & Prophetæ, & lætetur Sanctum Sanctor.

Et scies, & intelliges, & lætaberis, & invenies præcepta ad respondendum, & ædificabis Jerusalem civitatem Domino.

Et post septem & septuaginta, & sexaginta duas recedet unctio, & non erit: & regnum gentium destruet civitatem, & sanctuarium cum uncto, & veniet consummatio ejus cum ira, & usque ad tempus consummationis a bello oppugnabitur.

Et prævalebit testamentum in multis, & rursus revertetur, ædificabitur iterum in latitudinem & in longitudinem, & juxta consummationem temporum, & post septem, & septuaginta tempora, & sexaginta duos annos usque ad tempus consummationis belli, & auferetur desolatio, dum prævalebit testamentum in hebdomadas multas, & in consummatione hebdomadæ auferetur sacrificium, & libatio, & in templo abominatio desolationum erit usque ad consummationem, & consummatio dabitur super desolationem.

148. Nec postremo omittenda est lectio ex versione Theodotionis, qualem exhibet laudatus supra P. de Magistris quæ sic habet: 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum,*

dice notavit Jo. David Michaelis celebris in Gottingana Universitate Professor, T. IV. suæ *Biblioth. Orientalis, & exegeticæ.*

tuum, & super civitatem sanctam quoadusque antiquetur delictum, & consummetur peccatum, & obsignentur peccata, & deleantur impietates, & propitientur iniquitates, & adducatur justitia sempiterna, & signetur visio, & Prophetа, & ungatur Sanctus Sanctorum. 25. *Et scies, & intelliges, ab exitu sermonum ad respondendum, & ut ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ, & revertetur, & ædificabitur platea, & circummurale, & evacuabuntur tempora.* 26. *Et post hebdomadas sexaginta duas exterminabitur unctio: & judicium non est in eo. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit cum Duce adveniente, & exscindentur, quasi in diluvio, & usque ad finem belli concisi desolationibus. Confirmabit autem testamentum multis hebdomadа una, & dimidium hebdomadæ cessare faciet thymiama, & sacrificium, & libamen, & super pinnaculum ordine desolationis, & usque ad consummationem, & festinationem ordine, & destructione.* 27. *Et confirmabit testamentum multis hebdomadа una, & in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium, & libamen, & post hæc in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolatione.*

149. Hic autem conturbare nos minime debet diversitas lectionis, quæ est inter duos laudatos codices Chisianum, & Ambrosianum, ac nostra Biblia Vulgata (nam versio Theodotionis cum nostris fere convenit). Non inquam hæc diversitas conturbare nos debet. Nam primo quantum ad characteres venturi Messiæ, omnes versiones conveniunt, præcipue autem in ablatione sacrificii, & in perpetua desolatione sanctæ urbis, & templi; ex quibus characteribus, potiusquam ex supputatione annorum, efficacissimum argumentum contra pervicaces Judæos desumitur, ad probandum Jesum Nazarænum, in quo omnia adimpleta fuerunt, esse Messiam in Lege promissum. Ulterius adoptent Judæi quam volunt ex tot diversis, quæ prodierunt, Chronotaxim; & si nulla placet, novam confingant, semper tamen fateri cogentur, illud temporis intervallum effluxisse, adeoque Messiam ibi promissum jam advenisse. Quisnam autem esse poterit hic Messias, nisi Jesus Christus, quem ipsis, ut Filium Dei, & Redemptorem mundi, adorandum proponimus?

150. Demum admodum placet observatio doctissimi Cajetani Burgati pag. 149., nempe „ 70. vi„ ralem hebdomadarum Danielis expositionem, ut „ alia eorumdem Interpretum bene multa, suas „ habere difficultates non ita facile dissolvendas. „ Itaque (subdit) mirari nemo debet, eam hoc „ potissimum in loco a Patribus cum latinis, tum „ græcis repudiatam fuisse; quos cum dico, non „ solum posteriores appello, qui post Origenem, „ atque adeo post Vulgatam, atque ab Ecclesia „ receptam Theodotionis versionem florere, sed „ vetustissimos etiam, Tertullianum (*Adv. Judæos*), & Clementem Alexandrinum (*Lib. I. Stromatum*), qui secundo Christi sæculo scripserunt, atque utrisque paullo antiquiorem Irenæum (*Lib. V. adv. hæreses.* cap. 25. n. 4.) Isti enim, & qui alii ex vetustioribus hoc Danielis oraculum proferunt, & exponunt, ut cum textu hebraico, atque adeo cum Theodotione, & Vulgato latino Interprete, qui eum presse secuti sunt, optime conveniant, nullaque ex parte cum LXX. Interpretibus. Ex quo sane alterutrum inferamus oportet, vel LXX. viralem interpretationem eos non esse secutos, vel editione usos paulo puriori, atque alia, quam quæ est ab Origene in Tetraplis collocata, quæque ad nostra usque tempora in Chisiano Codice, atque adeo in Syro nostro pervenit." Et hæc de celebri Danielis vaticinio satis. Nunc de aliis.

CAPUT VI.

De Vaticiniis Aggæi, & Malachiæ.

151. Cum plenitudo temporum, in qua toties promissus Messias venturus erat, jam appropinquaret, Prophetæ adhuc clarius locuti sunt, & hanc ipsam faustissimi hujus eventus propinquitatem populis annunciarunt. Duos tantummodo seligam brevitatis amore, Aggæum scilicet, & Malachiam.

152. Propterea Aggæus cum animos Judæorum concidisse animadverteret, eo quod templum a Zorobabele extructum antiqui illius Salomonici magnificentiam non æquaret; ut illos confortaret, eam prophetiam protulit, quæ legitur cap. II. 7. & seq.: *Hæc dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria .... magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ.* Jam vero *desideratus cunctis gentibus* nullus alius est, quam Messias, quem proxime adventum Aggæus promittit.

153. Sed præterea etiam prædicit, hujus secundi templi a Zorobabele erecti gloriam futuram majorem, quam primi; hæc autem gloria major non aliunde repeti potest, quam ex Messia, qui hoc templum ingressurus erat, & sua præsentia glorificaturus: venit ergo Messias, antequam hoc templum destrueretur a Romanis, & uemo alius esse potuit, quam Jesus Nazarænus.

154. Fingere autem, Aggæum, non de secundo templo locutum esse, sed de tertio quodam, quod ex cap. Ezech. XLI. futurum aliquando esse, sibi imaginantur Rabbini, est aperte contradicere ejus verbis: *Implebo domum istam gloria;* nam pronomen *istam* non potest nisi templo Zo-

ro-

robabelis adaptari. Accedit, templum ab Ezechiele prædictum non esse materiale, sed spirituale.

155. Porro non aliunde repeti posse, quam ex Messiæ præsentia majorem hujus secundi templi gloriam, plusquam manifestum est; nam præterquamquod antiquo illi Salomonis templo multum in magnificentia, & divitiis inferius erat, in eo etiam deerant, primo arca cum propitiatorio: secundo *Urim*, & *Thummim*: tertio *Shekina*, seu præsentia Dei, quæ in visibili nube supra propitiatorium manifestabatur: quarto ignis sacer, qui de cœlo super altare descendit 2. Paralip. 7., & postea semper vivus conservatus est; ac demum Spiritus prophetiæ, qui post Aggæum, Zachariam, & Malachiam penitus defecit. Hæc fatentur etiam veteres Rabbini apud Baym. Martini *in Pugione fidei* Part. 2. cap. 9., & prodigio fere simile est, Judæos in hoc vaticinio Jesum Nazarænum, ut promissum in lege Messiam, non agnoscere.

156. Sed id clarius etiam conficitur ex prophetia Malachiæ cap. 3., ubi Deus ore Prophetæ ita loquitur: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis: ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Porro quis est Dominator, quem quærebant Judæi, & Angelus testamenti, nisi Messias, qui ingredi debebat templum suum? Cum autem templum hoc a septemdecim, & amplius sæculis dirutum jam sit, dicant Judæi, quisnam alius esse poterit Messias, qui illud ingredi debeat, nisi Christus Jesus? Frustra vero quidam Rabbini cum Abarbanel de tertio quidam imaginario templo hæc vaticinia intelligunt, cum nimis clare utcrque Propheta de templo a Zorobabele ædificato loquatur.

157. Frustra etiam aliqui gloriam secundi templi majorem, quam primi; in eo collocant, quod diutius duraverit, quam primum: quod opulentius fuerit, magnisque regum muneribus cumulatum; & quod Alexander M., & Pompejus in illud ingressi fuerint. Quæ enim sunt ista, quibus persuadere possunt Rabbini, majorem fuisse gloriam secundi templi, quam primi? Sane referente Esdra Lib. I. cap. 3. 12. *Seniores, qui viderant templum prius .... flebant voce magna*, quod scilicet hoc ædificium majestati prioris minime responderet. Duratio secundi templi vix 10. annis superavit durationem primi: opulentia autem non obstantibus variis Principum muneribus longe minor fuit opulentia primi, ad quod auro, argento, omnique supellectili pretiosa ornandum duo potentissimi Reges David, & Salomon opes suas contulerant. Ut quid autem nobis memorant ingressum in templum Alexandri, aut Pompeji, quasi vero in hac profanorum hominum præsentia, & non potius in præsentia Messiæ Dominatoris Regum domus Dei reposuerint Prophetæ (*a*)?

158. Cavillosi tamen Judæi singula Aggæi verba ad trutinam revocantes, ea Jesu Nazaræno adaptari minime posse contendunt; primo quia eum Aggæus dicat: *adhuc unum modicum &c.* videtur significare rem brevi eventuram; scimus autem, Jesum Nazarænum, nonnisi post quatuor, & amplius sæcula apparuisse. Secundo de Jesu Nazaræno intelligi non possunt verba sequentia: *Et ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam*, quæ potius videntur referenda ad subversionem regnorum, quæ prædicitur ibid. vers. 22.: *ego movebo cœlum pariter, & terram, & subvertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium.* Tertio non videtur in Jesu Nazaræno adimpleta illa promissio: *In loco isto dabo pacem*, cum ipsius adventum maxima subsecuta fuerint bella.

159. Haud tamen difficile est, hæc omnia expedire. Et primo quidem Propheta ad erigendam Judæorum spem, potuit intervallum circiter quatuor sæculorum, quo exacto Messias gloria sua templum nobilitare debebat, *modicum* appellare, scilicet habita ratione quatuor pene annorum millium, quo expectabatur.

160. Quantum ad secundum, commotio illa cœli, terræ, maris, aridæ, & omnium gentium recte de temporibus, Messiæ adventum præcedentibus, intelligi potest, quibus scimus a Romanis fuisse tot regna subversa, & tot populos subactos, ac denique ipsam Romanorum rempublicam non sine ingenti rerum omnium mutatione in alium statum conversam. Huc etiam spectare videntur verba subsequentia vers. 22. & 23. *ego movebo &c.* Vel cum aliis hæc cœli, & terræ commotio explicari potest de stupendis J. C. miraculis. Vel denique hæc spiritualiter intelligi possunt, quatenus Christus non solum terrestria, sed etiam cœlestia instauravit, atque hunc sensum exhibet Apostolus Hebr. 12. 26., comparans commotionem factam in monte Sinai, quando Deus legem promulgavit, commotioni, quam Aggæus in adventu Messiæ futuram esse prædixit.

161. Promittit demum Propheta una cum Messia etiam pacem, sed non pacem temporalem; hoc enim pacto nunquam inveniemus tempus, quo oraculum adimpletum sit. Est ergo intelligenda pax spiritualis, quam Christus attulit mundo, homines Deo reconcilians, quam reliquit etiam discipulis, & per eos omnibus fidelibus, quam ipse ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Joan. 14. 27.

(*a*) Non is ego sum, qui ea in dubium revocare velim, quæ Josephus Flavius Lib. XI. *Antiquit. Judaic.* cap. 8. de profectione Alexandri Jerosolymam, de sacrificio ab eo in templo Deo oblato, ac de privilegiis Judæorum nationi concessis magnifice exponit; de quibus tamen multi docti Critici, atque Historici dubitarunt, immo aperte negarunt: quos solita sua eruditione confutavit P. Gastus Innocens Ansaldi in Dissert. *De profectione Alexandri Jerosolymam* Taurini 1780. Isdem tamen omnibus concessis, vel suppositis, nondum efficitur, gloriam secundi templi majorem fuisse, quam primi.

scipulis suis, quamquam eos mittere tamquam agnos in medio luporum: atque hoc ipso sensu vocatus est ab Isaia *Princeps pacis*.

162. Negotium etiam nobis facessere conantur Rabbini propter illa verba: *& veniet desideratus cunctis gentibus*, quæ perperam de Messia, aut de Jesu Nazaræno a nobis intelligi dicunt; gentes enim utrumque ignorabant, adeoque nec expectare poterant.

163. Sed plane mugari videntur Rabbini cum hujusmodi argutiis. Dicitur Messias desideratus cunctis gentibus, vel ut Isaias loquitur L. I. 3. *expectatus ab insulis*, quia juxta promissionem factam Abrahamo, in eo erant omnes gentes benedicendæ, quod re etiam ipsa completum est. Sensum autem hujus locis pervertunt Rabbini illi, qui nomine *seminis*, in quo benedicendæ sint omnes gentes, non Messiam intelligunt, sed totum Israelis populum: neque enim erant alio modo in populo Israelis benedicendæ gentes, nisi quatenus ex semine Abraham oriturus erat Messias. Multo etiam longius ab eodem sensu recedunt, qui ita verba Scripturæ interpretantur: *Tuo semini omnes gentes benedicent*.

164. Postrema Judæorum cavillatio in eo sita est, quod templum Zorobabelicum ante Jesu Nazareni adventum jam dirutum fuerit; referente enim Flavio Josepho Libro XV. *Antiq. Judaic.* cap. 11. Herodes *sublatis veteribus* fundamentis, *& jactis aliis templum super eis erexit*.

165. Ineptum plane, & insulsum mendacium hoc est; templum enim quod sub Tito incensum, & dirutum fuit, ab omnibus semper *secundum* appellari consuevit. Quæ refert Josephus a pluribus exaggerata putantur, ut gloriam Herodis extolleret, quasi novum ipse templum, illudque magnificentissimum extruxisset; cum tamen certum sit, nonnisi aliquibus additamentis, atque ornamentis fuisse ab Herode templum amplificatum, non autem prius dirutum, atque aliud ædificatum. Præter cetera hujus rei argumenta, illud sufficit, quod sacrificia, aliaque Religionis exercitia minquam fuerint interrupta, quod tamen necesse erat, si priore destructo fuisset novum templum erectum (a).

CAPUT VII.

Ex prædictione conversionis gentilium, aliisque prophetiis evincitur, Jesum Nazarænum esse Messiam.

166. Nihil frequentius in sacris Prophetarum oraculis occurrit, quam Messiam esse *expectationem gentium*. Præter ea, quæ supra notavimus num. 94. Isaiæ XLII. 6. Deus Messiam alloquens, *Dedi te*, inquit, *in fœdus populi in lucem gentium, ut aperires oculos cœcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris*; & 49. 6. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*. 55. 4. *Ecce testem populis dedi eum, Ducem, ac Præceptorem gentibus*; ac denique 62. 2. *Videbunt gentes justum tuum* (hebr. צדקך *justitiam tuam*) *& cuncti Reges inclytum tuum* (hebraice פארך *gloriam tuam*). Jam vero oculis tantum opus est, ut videamus, has prophetias esse opere completas; gentes enim in omnibus mundi partibus abjecta idololatrica superstitione, Jesum Nazarænum ut Præceptorem, ut Ducem, ac Deum adorant. Et quamquam adhuc sunt, qui idolis thura offerant, ac proinde non omnes omnino gentes serviant Domino, quod in nonnullis prophetiis prædictum videtur, cum tamen magna mundi pars idololatricam superstitionem abjecerit, earum prophetiarum veritas satis adimpleta fuit, & ante finem mundi eam omni ex parte adimplendam certo scimus (b).

167. Nec vero opponant Judæi, Jesum Nazarenum gentibus non prædicasse, nec eas ad suam doctrinam convertisse: imo aperte dixisse, *se non esse missum, nisi ad oves, quæ perierant domus Israel* Matth. XV. 24., & Discipulis suis ita præcepisse Matth. X. 5. seq.: *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis*. Non, inquam, id opponant; hæc enim omnia nihil aliud significant, nisi primo, & principaliter Christum venisse pro Judæis: non tamen voluisse a suis beneficiis excludere Gentiles. Id patet in puero Centurionis, quem sanavit Matth. VIII. Id etiam patet ex colloquio, quod habuit cum muliere Samaritana, & ex eo quod in ejusdem civitate bidno commoratus est, unde plures Samaritani crediderunt, ipsum esse ve-

(a) Joann. Harduinus de *nummis Herodiadum* Josephi auctoritatem hac in re nauci facit; immo in Resp. facta Jac. Basnagio pag. 336. ridiculum plane existimat, potuisse Herodem templum Jerosolymitanum ex integro extruere. Ejusdem sententiæ est Salianus ad ann. mundi 4023.

(b) Ex hac Prophetia triumphabat Tertullianus in Lib. *adv. Judæos* cap. 12. inquiens. „ Aspice universas nationes de voragine erroris humani exinde e„ mergentes ad Dominum Deum creatorem, & ad Deum „ Christum ejus. Et si andes, nega oracula prophe„ tarum. Statim tibi promissio Patris occurrit in Psal„ mis, dicens: *Filius meus es tu, ego hodie genui* „ *te, Postula me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam,* „ *& possessionem tuam terminos terræ*. Nec poteris „ enim magis David filium dicere, quam Christum; „ aut terminos terræ David potius promissos, qui in„ tra unicum Judæam regnavit, quam Christo, qui „ totum jam orbem Evangelii sui fide cepit &c. “

vere Salvatorem mundi Joann. V. Præterea jussit Apostolis, *ut euntes in mundum universum prædicarent Evangelium omni creaturæ* Marci XVI. 15. Et hoc ipsum fuerat a Prophetis prædictum Isaiæ LXVI. 19.: *Mitte ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare: in Africam, & Lydiam tendentes sagittam: in Italiam, & Græciam, ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annunciabunt gloriam meam gentibus .... & assumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus.*

168. Hæc adeo perspicua sunt, ut in oculos quoque adversariorum incurrant; sed in hoc decipiuntur simul cum Patribus suis, quod hæc Prophetarum oracula interpretantur de majestate, & potentia temporali, qua Messias venturus non solum regnum Israel restitueret, sed etiam subactis gentibus imperium toto terrarum orbe protenderet; qua in re plura afferunt vaticinia præcipue ex Isaia.

169. At vero cum in eodem Isaia, aliisque Prophetis quam sæpissime inculcetur, Messiam futurum pauperem, despectum, virum dolorum, ac denique crucis supplicio afficiendum, manifeste innuitur, gloriam regni ejus non futuram temporalem, sed spiritualem. Vid. inter alia Isaiæ caput LIII., & Zachariæ IX. 9., ubi dicitur: *Exulta satis, filia Sion: jubila filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus, & salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Quod oraculum ad litteram fuisse adimpletum Historia Evang. testatur Matth. XXI. 5.

170. Pergit autem Zacharias in eodem loco describere hujus pauperis Regis immensam potestatem inquiens: *Loquetur pacem gentibus, & potestas ejus a mari usque ad mare, & a fluminibus* (hebraice *a flumine*, nempe Jordane) *usque ad fines terræ.* En Messiam pauperem simul, & divitem, infirmum, & potentem; quæ facile conciliantur, si de duobus regnis, temporali, & spirituali intelligantur; ut Messias venturus prædicetur non in splendore majestatis humanæ, neque in potentia armorum, sed in splendore, & potentia miraculorum, & divinæ suæ doctrinæ efficacia, quo totum mundum ad se trahere debebat.

171. His accedit, quod regnum Messiæ appellatur regnum *pacis*, & regnum *æternum* Isaiæ IX. 6. seq. *Vocabitur nomen ejus ..... Princeps pacis: multiplicabitur ejus imperium* (Hebr. *multiplicandi ejus imperii*) *& pacis non erit finis. Super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & justitia amodo, & usque in sempiternum.* Quæ certe verba, aliaque his similia, quæ sæpe in sacris Vatibus occurrunt, non possunt de regno temporali intelligi; sed regnum Christi significant spirituale, quod in æternum durabit.

172. Nihil vero amentius, quam quod nonnulli ad hæc oracula Prophetarum conciliandа excogitarunt, scilicet non unum, sed duos venturos esse Messias, quorum alter in gloria, & majestate esset temporale Israelis regnum restituturus; alter vero humilis, atque abjectus esse deberet; qui in re mirum quantum Rabbini genio suo fabuloso indulgeant, ut videre est apud Jac. Basnage *Hist. des Juifs.* Lib. VI. c. 25. art. 5.

173. Commentitia enim prorsus est hæc duplicis Messiæ distinctio, & veteri Synagogæ omnino ignota. Sed facilis, atque aperta est hujusmodi oracula Prophetarum conciliandi via, si quæ de Messiæ abjectione, passione, doloribus, & morte prænunciantur, ad litteram intelligantur, prout reipsa in Jesu Nazaræno adimpleta fuerunt: quæ autem de ejus gloria, potentia, majestate, & regno prædicantur, referantur ad gratiam, quam sanguine suo nobis promeruit, ut illius lavacro regenerati filii Dei nominemur, & simus, hæredes regni cælestis, cohæredes ipsius Christi. Hac ratione Christus mundo pacem reddidit, reconcilians ima summis, imperium suum dilatavit ab ortu solis usque ad occasum, regnique ejus nullus erit finis.

174. Est etiam considerandum, fuisse in Jesu Nazaræno, quem nos ut Messiam adoramus, duplicem naturam, divinam, & humanam; qua posita distinctione facillime conciliantur Prophetarum oracula, quorum aliqua ad divinam, alia ad humanam naturam referuntur. Sed de Messiæ divinitate aliqua mox addemus (*a*).

175. Præter hæc alia est prophetia apud Malachiam I. 7. & seq. quæ sacrificium novum a Christo instituendum, atque offerendum, apertissime indigitat, quodque aliud esse non potest, quam illud, quod in lege Christiana Deo ubique offertur. Primo igitur Deus ibi ita arguit veteris legis Sacerdotes: *Offertis super altare meum panem pollutum;* deinde ita prosequitur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda &c.* Certum est hic non esse sermonem de sacrificio interiori, & spirituali, quia hoc nunquam fuit

(*a*) R. Ghenda Levi bar Bezaleel in *Victoria Israelis* impressa Fragæ 1599. cap. 22. aperte fatetur, *totum negotium Messiæ esse divinum, & spirituale, non corporale.* Et R. Menasse ben Israel Lib. III. de *Resurrectione mortuorum* cap. 5. duplicis Messiæ commentum refutat. Imo R. Moses ben Maimon eos, qui alium sibi fingunt Messiam, quam ex progenie David, & Salomonis, nomen Dei benedictum, & verba Prophetarum abnegare pronunciat.

fuit a Deo reprobatum, sed de sacrificio exteriori, quod opponitur sacrificiis veteris legis, quæ reprobari debebant, & ad quod offerendum prædixerat Deus, se assumpturum Sacerdotes ex gentibus. Isaiæ LXVI. 21. Jam vero dicant nobis Judæi, ubi sint Sacerdotes veteris legis, ubi victimæ, ubi altare, ubi templum? Agnoscant igitur, antiqui fœderis sacrificiis successisse oblationem mundam, scilicet sacrificium corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, quod in omni loco Deo offertur. Dicitur autem hæc oblatio *munda*, quia ut inquit Concil. Trid. Sess. XXII. c. 1., *nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest;* sicuti frequenter inquinabantur sacrificia veteris legis.

176. Addamus denique & Prophetiam Michææ V. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.* Porro constans semper fuerat apud Judæos traditio, Messiam ex tribu Juda, atque ex progenie David esse nasciturum, immo in Bethlehem David patria; unde etiam cum Herodes a Principibus Sacerdotum & Scribis populi sciscitatus fuisset, ubi Christus nasceretur, sine hæsitatione responderunt: *In Bethlehem Judæ* Matth. II. 4. & seq.; & cum Jesus Pharisæos interrogasset: *quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?* responderunt ei: *David.* Matth. XXII. 42. Hinc peculiarem Deus curam tribus Juda semper gessit, nec eam passus est inter gentes dispergi.

177. Jam vero ex historia Evangelica constat, in Bethlehem esse natum; quamvis enim ejus parentes habitarint in Nazareth, providentia tamen divina disposuit, ut appropinquante partu Mariæ Virginis edictum a Cæsare Augusto exiret, ut describeretur universus orbis; ascendit autem & Joseph cum Maria conjuge sua *in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo, & familia David* huc. II. Quibus omnibus patet, Michææ vaticinium, fuisse in Jesu Nazaræno ex peculiari dispositione divina perfecte adimpletum; atque eo magis id patet, quod tribus Juda postea fuit una cum aliis dispersa, & adeo confusa, ut nulla amplius familiarum genealogia in ea distinguatur, ac propterea genus David in ea frustra requiras. Immo narratur, post excidium Jerosolymitanum fuisse a Vespasiano eos omnes occisos, qui se de domo, & familia David esse profitebantur; ut proinde si Michææ vaticinium in Jesu Nazaræno impletum non est, nulla amplius supersit ejus adimplentionis spes.

CAPUT VIII.

Ex præsenti Judaicæ Nationis statu a Prophetis prædicte magis confirmatur, Jesum Nazarænum esse Messiam, a Deo promissum.

178. Quanquam in hanc rem superius allata invicta omnino sint, hoc tamen ad convincendos Judæos magis palpabile, magisque efficax esse deberet, nisi eorum excæcatio a Prophetis sæpius prænunciata obstaret. *Obscurentur*, dicitur in Psalm. LXVIII., *oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva .... quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt.* Vidimus superius cap. V. fuisse a Daniele prædictum in medio hebdomadis septuagesimæ occidendum esse Christum: post autem civitatem, & sanctuarium dissipatum iri, & talem esse statutam desolationem, quæ usque ad consummationem & finem perseverabit. Oseæ etiam III. 4. *Dies multos*, inquit, *sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod et sine theraphim.* Et adhuc clarius Lib. 2. Paralip. XV. 3. Propheta Azarias extremam hanc populi Israelitici calamitatem his verbis prædixit: *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, et absque Sacerdote, Doctore, et absque Lege.* Quæ prædictio cum nequeat captivitati Babyloniæ adaptari, nimisi infelicem hunc Judæorum statum significare potest, in quo sunt sine *Deo vero*, quia divinum Trinitatis mysterium nobiscum adorare recusant; sine Sacerdote docente, quia eorum Sacerdotium jamdiu abolitum est; sine Lege, quia Lex Mosaica abrogata fuit. Et multa hujus generis vaticinia facile esset coacervare.

179. Jam vero quanquam difficile haud sit, ex ipsis Prophetis eruere, hæc omnia illis evenire debuisse, eo quod Messiam non agnoverint, adeo tamen luculenter Christus Dominus harum prædictionum sensum explicavit, ac propriis vaticiniis confirmavit, ut nulla unquam prophetia magis perspicue edita fuerit, & magis litteraliter adimpleta.

180. Itaque ut legimus Lucæ XIX. 38. seq., eum Jesus triumphali modo Jerusalem appropinquaret; & turbæ ipsi lætanter acclamarent: *Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini*, videns civitatem, flevit super illam, dicens: *Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo ..... & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Hæc apud S. Lucam.

181. Clarius tamen invenitur hæc prædictio apud Matthæum XXIV.; ubi vers. 14. & seq. etiam tempus, quo hæc terribilis prophetia adimplenda erat, accurate prædicitur: *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus; & tunc veniet consummatio. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto: qui legit intelligat. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes, & qui in*

in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam: vers. 34. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.* Quæ prophetia etiam reperitur Marci XIII. Porro si hæc omnia ad apicem litterarum adimpleta fuisse videamus, quis adeo vecors erit, ut inficietur, Jesum fuisse verum Prophetam, adeoque etiam verbis suis veterum Prophetarum genuinum sensum determinasse?

182. Oculos nunc conjiciamus in populi Judaici excidium, quale a Flavio Josepho ejusdem nationis, & religionis nobis descriptum fuit. Annus æræ Christ. sexagesimus octavus, quando *generatio illa nondum præteriverat* (nam plurimi, qui hanc prophetiam audiverant, in vivis adhuc erant), cum Romani urbem Jerusalem vallo cinxerunt, & post longam, acerrimamque oppugnationem vi tandem, & armis occuparunt, tantaque facta est Judæorum omnis sexus, & ætatis cædes, ut ad undecim centena millia in ea obsidione fame, ferro, flammaque periisse dicantur: reliqua autem multitudo populi, urbe vastata, temploque *incenso*, in miseram captivitatem abducta fuit. *Et quia* civitatis destructæ adhuc vestigia quædam supererant, ut nihil prorsus prophetiæ adimpletioni deesset, post 60. circiter annos *(a)* Ælius Hadrianus Imperator lapides prioris jam destructæ transtulit, ut novam in vicina civitatem extrueret, quam ex suo nomine *Ælium* vocavit, atque ita, prout prædixerat Christus Marc. XIII. 2., *lapis super lapidem relictus non fuit.*

183. Notam pariter omnibus est, frustra tentasse postea Julianum Imperatorem templum reædificare; erumpentibus enim e terra flammis opus magno molimine incœptum perfici non potuit. Interea tamen contigit, ut ab ipsis Judæis, qui undique turmatim concurrerant, fundamenta destructi templi eruerentur, ut nova ponerent: quod cum perficere postea, Deo prodigiose impediente, nequiverint, ipsi propheticum oraculum nescientes impleverint: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea*, Ps. CXXXVI. 7. *(b)*.

184. Populus autem Judæus ubique terrarum exul, & profugus tot, & tantis calamitatibus premitur, ut omnium commiserationem promeretur, nisi voluntaria obstinatione suas ipse sibi miserias conscisceret. A septemdecim, & amplius sæculis Regem non habet, nec Sacerdotes, nec Levitas, nec sacrificia, nec templum: semper jactatur vana spe futuræ liberationis, ac sæpius a falsis impostoribus deceptus nullum diuturnæ suæ captivitatis terminum videt.

185. His breviter, ac superficie tenus consideratis, dicant tobis Judæi, quo tandem nefando crimine tantam Dei punitionem promeriti sint? Certe eorum Patres, propter idololatriam, quo ipsis fatentibus Hebræis *(c)* nullum majus esse potest scelus, multis magnisque calamitatibus affecti sunt, sed illæ omnes simul etiam collectæ nulla ratione cum ea comparari possunt, quam modo a tot sæculis patiuntur.

186. Perperam autem diuturnæ hujus, & gravissimæ punitionis aliam quærunt causam, præter eam, quam Propheta Oseas indigitat, clarius autem explicavit Christus Dominus. Primus in laud. nuper vaticinio ita subdit: *& post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum suum, & David Regem suum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum.* Si enim conversi quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum, scilicet Messiam filium David, quem dereliquerunt, manifeste patet, hoc, & non aliud esse illud gravissimum crimen, cujus pœnas luunt. Clarius autem Dominus Jesus id expressit, inquiens: *eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*

187. Atque ex postremis his Christi verbis patet, crimen hoc gravissimum, quo Judæi olim se obstrinxerunt, Jesum Nazarænum persequentes, ac morti tradentes, etiam in eorum filiis, ac nepotibus usque ad nostra tempora perseverare, & renovari, quemadmodum enim illi, Messia repudiato, maximi se criminis reos fecerunt, ita eorum posteri in eadem cæca obstinatione perseverantes pari se culpa obstringunt; immo fortasse etiam majori, quia, quo eorum captivitatis tempus fit diuturnius, eo etiam evidentiora fiunt argu-

(a) Vel post 50., ut S. Hieronymus scribit in ep. 129. ad Dardanum, inquiens: *Civitatis* (Jerusalem) *usque ad Hadrianum Principem per 50. annos mansere reliquiæ.* Ubi postea energica sua eloquentia premit Judæos, ut dicant, ob quod facinus clementissimus Deus per tanta spatia temporum miseriis suis non subveniat &c.

(b) Legendus hac de re Theodoretus Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 20., ubi narrat, Julianum sperantem, *prædictionem Domini se falsi convicturum esse*, Judæos omnes invitasse, ut templum, quod destructum fuerat, instaurarent; eos autem undique concurrentes & pecunias, & operam suam alacri animo ad hoc opus contulisse; sed cum reliquiis veteris ædificii destructis (ut ita non relinqueretur lapis super lapidem) nova omnia se constructuros sperarent, turbinibus, tempestatibus, ac procellis universam materiam fuisse dissipatam; cumque obstinate in pristino furore persisterent, ignis erumpens plurimos fodientium consumpsit, reliquos fugere coegit. Aliorum hujus prodigii testium veluti nubem facile esset afferre; sed ne eorum auctoritas, utpote Christianorum, a Judæis repudietur, unum addimus Ammianum Marcellinum, Scriptorem Ethnicum, Juliano coævum, ac Christianorum osorem acerrimum, qui tamen hanc lugubrem historiam minime reticere potuit initio Lib. XXIII., ubi variis Jeliani pro restauratione templi Jerosolimitani conatibus enarratis, tandem concludit, *metuendos globos flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecisse locum, exustis aliquoties operantibus; inaccessum.*

(c) Vid. parva *Periculta* in Numeros T. XVI. *The-*


image
not
available

distinctum; & cum antiqui ipsorum domitores Ægyptii, Syri, Persæ, ac Romani demum vicissitudine temporum destructi sint, Judæi ab ipsis subacti adhuc vigent, & toties horrendis stragibus pene extincti, in magnam rursus multitudinem excreverant. In hac mirabili gentis Judaicæ conservatione adimpletum esse videmus illud Jeremiæ vaticinium XLVI. 28. *Ego consummam cunctas gentes, ad quas ejeci te: te vero non consummam.* Et hinc colligere possumus, etiam adimpleuda esse ea vaticinia sæpius repetita de futura aliquando eorum conversione ad Christi fidem: *& post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum.* Oseæ III. 5. Quando autem hæc conversio futura sit, definiri non potest, & qui de ea aliquid prænunciare ausi fuerunt, se falsos Prophetarum interpretes ostenderunt (a). *Non est vestrum*, repetere hic possumus, quæ Christus dixisse refertur discipulis suis Act. I. 7., *nosse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.*

198. Ultima, & potissima Rabbinorum ars, qua *infelicem* populum misere decipiunt, repetitur ex clarissimis, & sæpe iteratis Dei promissionibus, tandem aliquando revocandi illos commiserandos, & ubique dispersos exules in patriam suam, iterum ædificandæ Jerusalem, instaurandique templi, in quo abolita jam tanto tempore sacrificia postliminio Deo offerantur, & regnum Israel in pristinum, imo multo majorem splendorem, potentiam, majestatemque restituendi. In quam rem plura in promptu habent sacra vaticinia. Sic Deuter. XXX. Moyses populum consolatus est, dicens: *Cum ergo ... ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, & reversus fueris ad eum ... Reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua, ac miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit. Si ad cardines cœli fuerit dissipatus, inde retrahet te Dominus Deus tuus. Et assumet, atque introducet in terram, quam possederunt Patres tui, & obtinebis eam.* Gemina inveniuntur passim apud Prophetas, quæ de captivitate Babylonica non videntur posse intelligi; utpote quia in ea non fuit populus Hebraicus dispersus in universa terra usque *ad cardines cœli*, ut modo dispersus est.

199. Præterea non uno in loco promisit Deus, reædificandum templum a Messia. Clara est prophetia Zachariæ VII. 12.: *Ecce vir, Oriens nomen ejus ... & ædificavit templum Domino.* Item Amos IX. 11. *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, reædificabo aperturas murorum ejus, & ea, quæ corruerant, instaurabo, & reædificabo illud, sicut in diebus antiquis.* Clarius adhuc Jerem. XXXI. 38. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ædificabitur civitas Domino ... non evelletur, & non destruetur ultra in perpetuum.* Et alibi sæpe promittitur Hebræis post Messiæ adventum felicitas sempiterna, qualis certe non fuit post adventum Jesu Nazaræni, non ergo Jesus Nazarænus est Messias Prophetarum oraculis prædictus.

200. Resp., primo, verba Moysis ex cap. XXX. Deuter. intelligenda esse de captivitate Babylonica, ut ea intellexit Nehemias, qui Lib. II. Esdræ cap. I. 8. seq. ita Deum orabat: *Memento verbi, quod mandasti Moysi servo tuo dicens: Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos: & si revertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea, etiamsi abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi &c.* Nehemia ergo interprete promissio liberationis a Deo facta per Moysen non respicit præsentem captivitatem, & dispersionem, cujus finem frustra præstolantur Judæi.

201. Secundo alia Prophetarum oracula possunt, & debent intelligi de mutatione infelicis Judæorum sortis, quando scilicet ducti pœnitudine cordis revertentur ad Deum, quem dereliquerunt, & nobiscum unigenitum ejus Filium adorabunt, qui venit ad nos liberandos a durissima Dæmonis servitute, & tunc promissiones divinæ adimplebuntur, non in sensu litterali, ut Judæi revertantur in terram Chanaam, ibique regnent, sed spiritualiter de regno Dei, ad quod etiam Gentes vocatæ sunt, & quod extenditur ab ortu solis usque ad occasum. Hoc autem regnum Christi perpetuum erit, secundum Prophetarum promissiones, quæ non in sensu litterali, sed mystico intelligi debent.

202. In sensu item mystico facta est reædificatio Jerusalem, & templi toties promissa, & quidem talis, ut non ultra destrui possit. Per hanc enim sanctam urbem, & per templum significatur Ecclesia ædificata super fundamentum firmissimum, & indestructibile, idest Christum. Hæc autem Ecclesia non solum Judæos, sed etiam Gentiles dilet sub sinu complecti. Et sic S. Jacobus in Concilio Apostolorum explicavit similia verba Prophetarum inquiens in Act. Apost. XV. 15. seq. *Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est* (Amos IX. 11.): *Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, quod decidit, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud,*

(a) Petrus Jurieu in suo libro *Accomplissement des prophecies* inter alia vaticinia, quorum se auctorem fanaticum, vel interpretem præbuit, brevi futuram, imo jam imminentem Judæorum restitutionem prænunciavit; qua de re lecta digna est lepida ad ipsum Epistola Rabbinorum Amstelodamensium, quam refero Rich. Simonius Tom. I. *des lettres choisies* pag. 319.

lud, ut requirant ceteri hominum Dominum, & omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus, faciens hæc.

203. Omnia ergo vet. Testamenti vaticinia, quibus promittitur renovatio Jerusalem, & Templi reædificatio, restitutio item, & amplificatio regni Israel, ac demum liberatio Judaici populi a durissima, qua premitur, captivitate, debent spiritualiter intelligi de Ecclesia, ac de regno Christi; non autem cum somniantibus Judæorum magistris litteraliter, & carnaliter de terrena restitutione aboliti per septemdecim & amplius sæcula Israelitici imperii. Hinc illæ vivæ imagines Prophetarum, ac præcipue Isaiæ, qui describit cælos novos, ac terram novam, ubi copia fructuum incredibilis, affluentia consolationum, & deliciarum, fluvius pacis, & quasi torrens inundans gloriam gentium, *& erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato*, idest perpetua successio neomeniarum, & festorum; quæ omnia sub figuris exprimuntur cap. postremo, ubi demum versu penultimo concluditur: *Venit omnis caro* (non Israel tantummodo, sed omnis natio), *ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.*

204. Coronidis loco non erit inutile breviter Judæis commemorare falsas recentiorum Rabbinorum prophetias, quibus sæpe ausi sunt suis contribulibus prædicere tempus, quo expectatus Messias venire debebat, quin tamen eventus inanibus his vaticiniis responderit. Celeberrimus inter alios fuit R. Maimonides, quem Moysi legislatori aliqui comparare non dubitarunt. Hic in quadam epistola ad Hebræos in Africa commorantes certo prædixit, Messiam venturum esse anno mundi 4972.; qui tamen annus præteriit, quin expectatio Judæorum expleta fuerit. Postea R. Salomon Malcus, qui sæculo XVI. Mantuæ tanquam solemnis impostor igne damnatus fuit, Messiam certe venturum promisit anno post mundum creatum 5360., secundum supputationem Hebræorum, quæ a nostra Chronologia deficit annis 240., sed neuter annus vidit vane expectatum Messiam. R. Jechiel ben Zevi natale Messiæ fixit anno 1724. nostræ æræ. Supervacaneum est, singulos hosce vaniloquos Prophetas recensere, quos etiam confutavit B. Azarias De Rossi *in* suo *Meor Enaim*.

CAPUT IX.

Ostenditur, Messiam in Lege promissum futurum verum & naturalem Filium Dei.

205. Quamquam reprobata modo Judæorum Synagoga Trinitatem Divinarum personarum omnino neget, ac consequenter doceat, Messiam in Lege promissum futurum purum hominem, haud difficile tamen nobis erit, hunc etiam maximum errorem ex propheticis vet. testamenti oraculis refellere. Et quidem de mysterio Trinitatis satis a nobis actum fuit T. III. Dissert. I. cap. 2. Nunc locus est opportunus, ut peculiariter contra eosdem Judæos veram promissi Messiæ divinitatem demonstremus. Quamquam si cogi aliquando possent, ut faterentur, Jesum Nazarænum esse verum Messiam, necessario etiam fateri cogerentur, veram esse doctrinam ab eo toties traditam de consubstantiali ipsius divinitate, de qua fuse actum est in eodem T. III. Dissert. III. cap. 5. Sed modo eam demonstrare aggredimur ex solis vet. testamenti oraculis.

206. Et quidem futurum Dei Filium, ipsi Judæi aperte confessi sunt, quando apud Matthæum XXVI. 63. Princeps Sacerdotum Jesum ita interrogavit: *adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei?* Putabat igitur Princeps Sacerdotum, Messiam futurum filium Dei. Clarius Nathanael Joan. I. 49. Divinitatem Messiæ confessus est dicens: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* Et Petrus nomine suo, aliorumque discipulorum Matth. XVI. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Hæc peculiaris denominatio *filii Dei* tributa Messiæ, non denotat certe, eum futurum filium adoptivum, & per gratiam, ut communiter sunt homines justi, sed distincta prorsus ratione, nempe per veram, æternamque generationem, ut prorsus non ignoraretur in veteri Synagoga divina venturi Messiæ natura. Sed id comprobare aggredimur multis, apertisque testimoniis ex veteri testamento desumptis, atque ex illis præcipue, quibus Christus Dominus, ejusque Discipuli ad hoc dogma confirmandum usi sunt (a).

207. Primo Jeremias antiquas Messiæ promissiones repetens cap. XVIII. 6. *In diebus illis*, ait, (seu ut hebr. fons habet, in diebus *illius*, nempe Messiæ) *salvabitur Juda ... & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus* (יהוה Jehovah *justus noster*, vel *justitia nostra*). Porro, ut Judæi fatentur, sacrum & ineffabile nomen Jehovah nonnisi vero Deo tribuitur; messias ergo, qui certe eo loco indigitatur, verus Deus futurus erat. Ad quem locum Jeremiæ alludit S. Paulus 1. Corinth. I. 30. inquiens de Christo: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.*

208. Ut temeraria autem rejicienda est illa petitiochæ interturbatio, qua aliqui ita legendum putant: *Et hoc est nomen ejus, quo vocabit eum Dominus, justitia nostra*, sive *justus noster*. Nam primo textus hebraicus, cui concordant versiones Syriaca, & Arabica, imo & Chaldæus Paraphrastes, legit יקראו jikrù *vocabunt eum* in numero plurali. Deinde, haud recte Deo accommo-

(a) Brevitatis causa ea omittuntur, quæ in hanc rem allata sunt in Tom. III. pag. 21. & seq.

modabimus hunc sensum: Vocabit Messiam *justitiam nostram*, vel *justum nostrum*, vel *justificantem nos*. Hæc enim omnia in idem recidunt.

209. Frustra etiam est Grotius, qui Sociniauis gratificaturus, ut vim hujus oraculi labefactaret, primo totum hoc vaticinium ad Zorobabelem retolit, qui figuram gerebat Christi: deinde observavit, eadem verba fuisse a S. Propheta inferius cap. XXXIII. 16. repetita cum aliqua immutatione: *In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem* (alii legunt *Israel*) *habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*; hebraice *justitia nostra*; quasi scilicet de Jerusalem, vel de Juda id intelligendum sit: unde etiam legebat *vocabunt eam*, nempe civitatem, & cum videret a Græcis, & Chaldæo interprete legi *eum* genere masculino, id explicavit de Juda.

210. Sed tota illa interpretatio Grotii distorta est, obscura, & absurda. Quomodo enim aut Juda, aut Jerusalem vocari potuit *Dominus justitia nostra?* Et multo absurdius est, *quod* addit, loco *justitiæ* substituens *beneficentiam, seu Dominus nobis bene fecit*. Inepte etiam Grotius totum hunc locum ad Zorobabelem refert, cum vel ipsi Rabbini confiteantur, hoc vaticinium spectare ad Messiam, & solum nobiscum disputent, an Messias ibi designatus jam advenerit, an vero expectandus adhuc sit.

211. Simile vaticinium habetur apud Prophetam Isaiam cap. IX. 6. *Parvulus natus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis: multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis &c.* Quibus verbis designari Messiam, nemini dubium est; cujus humanam naturam, simul cum divina copulatam Propheta exprimit.

212. Neque ferenda est Grotii audacia, qui volens hoc oraculum ad Ezechiam detorquere, ita legendum putavit: *Consultator Dei fortis*. Ita sæpe ineptit vir, alias non indoctus. Ne tamen totam triumphi gloriam concedat Rabbinis, qui eum in hac oraculi depravatione præcesserunt, vult in Ezechia fuisse Messiam præfiguratum. Sed quilibet facile videt, neque Ezechiæ, nec cuicumque alteri mortalium posse nomina, & characteres illius parvuli convenire: Jesu autem soli adamussim competere, qui simul Deus est, & homo.

213. Addamus ea, quæ ipse Propheta Isaias deventuro Messia magnifice prædicat; ut cap. XXXV. 4., ubi ita animos nostros erigit: *Dicite pusillanimis; confortamini, & nolite timere... Deus ipse veniet, & salvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet, sicut cervus claudus, & apertа erit lingua mutorum*. Ad quod vaticinium certe respexit Christus Dominus, quando Matth. XI. 4. discipulis Baptistæ dixit: *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt &c.* Prosequitur Isaias cap. XL. *Consolamini, consolamini, populo meus, dicit Deus vester... Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri..... Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur*, cum iis, quæ sequuntur, & quibus Isaias prophetici imaginibus summi Dei potentiam depingit, inculenter ostendens, Messiam qui ad consolationem, & redemptionem Israel venturus erat, esse Deum summum, qui in carne assumpta nos erat salvaturus.

214. Apertissima autem sunt ea, quibus Isaias in cap. XLV. vers. 15. ita Messiam alloquitur: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator*. Quæ licet ad Cyrum directa esse videantur, in quo Deus veluti absconditus ea operabatur, quæ pertinebant ad salutem Israel, primario tamen spectabant ad Christum verum Israelis Salvatorem qui proprie dicebatur *Deus absconditus*, quatenus sub velo humanitatis ejus latebat divinitas.

215. Et certe multa Isaias eo in loco habet, quæ Cyro proprie convenire nequeunt; ut quod ibidem dicit: *Tantum in te est Deus, & non absque te Deus*; quæ de Verbo, unigenito, & consubstantiali Filio Dei vere enunciari possunt, de Cyro autem non possunt. Pariter quæ sequuntur: *Israel salvatus est in Domino salute æterna*, non possunt significare tantum liberationem populi Israelitici a captivitate Babyloniса factam per Cyrum, sed significant liberationem omnium gentium a captivitate Dæmonis factam per Christum, quæ vere est æterna. Hinc S. Hieronymus in comment. ad hunc locum eorum sententiam refellit, qui Isaiam de Cyro Persarum rege vaticinatum esse volebant. „ Quomodo, inquit, Cyri „ personæ dici conveniet: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Salvator?* Ergo Deus, in quo est „ Deus, Dominus noster Jesus Christus rectius intelligitur, & verius, qui in Evangelio loquitur: „ *Ego, & Pater unum sumus*. Qui Deus appellatur absconditus propter assumpti corporis sacramentum, & Deus Israel Salvator, quod interpretatur Jesus."

216. Tertium Christi divinitatis testem habemus Michæam Prophetam, qui cap. V. 2. locum nativitatis Christi designans, inquit: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Porro hoc vaticinio designari locum, ubi Messias nasciturus erat, demonstravimus supra num. 177. (a); unde certum est, hæc verba spectare ad Messiam.

217.

(a) Difficultatem, quæ oritur ex diversitate hujus vaticinii, prout legitur apud Michæam, & apud S.

217. Jam vero facile est videre, duplicem hic a Propheta manifeste indicari Messiæ nativitatem, alteram in Bethlehem secundum carnem, alteram spiritualem, & æternam, nempe divinam: *& egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis;* seu ut prægnitus hebraicus textus habet, *egressiones ejus* &c., more scilicet sacrorum Scriptorum, qui ad majorem rei dignitatem numero plurali uti solent, loco singularis; ut cum Proverb. I. dicitur: *Sapientia foris prædicat*, in textu hebraico habetur pluraliter *Koechmoth Sapientiæ*, ut intelligamus, sermonem esse de Sapientia divina; & Deus ipse sæpe in sacris litteris numero plurali enunciatur אֲדֹנִים *Hadonim*, אֱלֹהִים *Heloim*, ut significetur, ipsum esse *Deum Deorum, & Hominum Dominantium*. Simili itaque modo Propheta dixit: *Egressiones ejus ab initio, a diebus æternitatis;* seu ut in hebraico legitur, *ab æterno, & a diebus sæculi;* quæ repetitio veram æternitatem significat, non tempus aliquod dijuturnum: ut cum dicitur *in sæculum sæculi*, aut *in sæcula sæculorum*.

218. Futilis autem est eorum explicatio, qui Messiæ egressum non alia ratione æternum appellari existimant, nisi quia a tota jam æternitate in divina prædestinatione existebat. Futilis, inquam, hæc est explicatio: qua posita nihil peculiare in Messia significaretur, quæcumque enim fiunt in tempore, eodem modo dici possent egredi a diebus æternitatis, quia in æternis divinis decretis prædestinata fuerant.

219. Nec minus vanus est aliorum conatus, qui præclarum hoc de Messia vaticinium ad Zorobabelem, vel alios quosdam dominatores Israelis detorquere nituntur. Nam præterquamquod veteri Majorum suorum traditioni manifeste opponuntur, nunquam tamen eum virum invenient, cui possint ea verba, *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*, adaptari, quæ nullum alium denotare queunt, quam æternum Dei Filium, Bethlehem in tempore natum.

220. Dices, Ibidem Propheta vaticinari de Messia pergens hæc subdit: *Et stabat, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Dei sui;* quæ verba non significant, Messiam futurum Deum, sed servum, & ministrum Dei.

221. Resp., hæc minime repugnare Jesu Christo, qui Deus erat, & homo, & qui propterea sæpius testatus est, se descendisse de cœlo, ut non faceret voluntatem suam, sed voluntatem ejus, qui eum misit, nempe Dei Patris, Joan. IV. 34. & V. 30., & doctrinam suam esse doctrinam Dei sui, Joan. cap. VII. 18.; & ibidem cap. XX. 17. Patrem vocat *Deum suum*. Igitur quatenus humanam naturam habebat divinæ Personæ hypostatice conjunctam, pascebat populum *in fortitudine Domini, & in sublimitate nominis Dei sui*. Quamvis etiam divina ipsa persona Christi Deo Patri aliquo modo subjecta erat, non diversitate naturæ, secundum quam unum erat cum Patre, sed ratione originis, qua procedebat a Patre; unde & a Patre *missus* dicitur.

222. Dices secundo. Michæas ibi de eo vaticinatus est, qui erat futurus *Dominator in Israel;* talis autem non fuit Jesus, qui potius aliis dominantibus obtemperavit, & obtemperandum docuit.

223. Resp., regnum Jesu Christi non fuisse de hoc mundo, prout ipse respondit Pilato Joan. XVIII. 36., sed fuisse regnum, & dominium spirituale, & cœleste, quo iis ipsis dominabatur, quibus externa, & corporali obedientia parebat: regnum pacis cujus non erit finis; quemadmodum Deus ore suorum Prophetarum sæpius pollicitus est.

224. Multa demum Messiæ divinitatis testimonia nobis exhibent Psalmi, quæ etiam sæpius Jesus Christus, atque Apostoli attulerunt, ut Judæos de hoc maximo Religionis dogmate convincerent. Iis quæ Tom. III. pag. 24. & seq. attulimus, ea addi possunt, quæ Sanctus Paulus simul collegit in sua epist. ad Hebræos cap. I. ut ostenderet, Christum *tanto meliorem Angelis effectum, quanto differentius* (græce διαφορωτερον excellentius) *præ illis nomen hæreditavit*, inquiens: „ Cui e- „ nim dixit aliquando Angelorum: *Filius meus es* „ *tu, ego hodie genui te?* (Ps. II. 7.) Et rur- „ sum: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mi-* „ *hi in filium* (2. Regum VII. 14.)? Et cum „ iterum introducit primogenitum in orbem ter- „ ræ, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei* „ (Ps. XCVI. 7.) Et ad Angelos quidem dicit: „ *Qui fecit Angelos suos spiritus, & ministros* „ *suos flammam ignis* Ps. CIII. 4.); ad Filium „ autem (Ps. XLIV. 7.): *Thronus tuus, Deus!,* „ *in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga re-* „ *gni tui: dilexisti justitiam, & odisti iniqui-* „ *tatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus,* „ *oleo exultationis præ participibus tuis.* Et „ Ps. CI. 26.) *Tu in principio, Domine, ter-* „ *ram fundasti, & opera manuum tuarum sunt* „ *cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, &* „ *omnes ut vestimentum veterascent: & velut* „ *amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu au-* „ *tem idem ipse es, & anni tui non deficient.* „ Ad quem autem Angelorum dixit aliquando „ (Psalm. CIX. 1.): *Sede a dextris meis, quoa-* „ *dusque ponam inimicos tuos scabellum pedum* „ *tuorum?* “.

225. Ita S. Paulus in laud. Epistolæ primo capite excelleutiam Jesu Christi supra Angelos extollit, unde ejus divinitas manifeste eruitur. Postea vero cap. H. 7. & seq. alia verba Psalmi VIII. adducit, quibus idem Jesus Christus dicitur mi-

Matthæum, jam enodavimus in T. I. pag. 205. n. 235. Addendum vero est cum P. Card. Bonfigant, mendum fortasse cubare in textu hebraico inguria librarii, & legendum reipsa esse: *Nequaquam minima es*, quomodo legebant Scribæ illi, quos Herodes consuluit.

minoratus paulo minus ab Angelis, scilicet *propter passionem mortis*, & ulterius alia verba ex Psalmo XXI., ubi Christus omnes fideles vocat *fratres suos: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis*. Ut hæc omnia Psalmorum testimonia simul concilientur, necesse est duplicem in Messia fuisse distinctam naturam; alteram divinam, secundum quam ab Angelis adoratur, & sedet in throno æterno, ad dexteram Patris, illi omnino æqualis, imo consubstantialis; alteram vero humanam, secundum quam paulo minor est Angelis; *& non confunditur nos fratres vocare dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis*. Messias igitur in Lege a Deo promissus duplici natura constare debebat, divina, & humana; alias nullo modo intelligi possunt, quæ de eo in multis Scripturæ sacræ locis prænunciata fuerunt.

APPENDIX I.

De testimonio, quod Josephus Flavius de Miraculis, & Divinitate Christi reddidit (*a*).

226. Piaculum plane videretur ea silentio premere, quæ Josephus Flavius de Christo scripsisse dicitur Lib. XVIII. *Antiquitat. Judaic.* cap. 4., ubi hæc leguntur, Sigismundo Gelenio interprete: *Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt; plurimosque tam ex Judæis, quam ex gentibus sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum a nostræ gentis principibus Pilatus eum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus vates hoc, & alia multa mirabilia de eo prædixerunt, & usque in hodiernum Christianorum genus ab hoc denominatum non defecit.* Huic versioni etiam illa concordat, quam S. Hieronymus habet *de scriptor. Eccles.* cap. 13., hoc uno excepto, quod loco illorum verborum: *Christus hic erat*, Hieronymus vertit: *Et credebatur esse Christus*. Prima tamen versio magis congruit textui græco: *ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν*. *Christus hic erat*; unde etiam Sophronius, qui illud Sancti Hieronymi opus in græcum transtulit, primigeniam Josephi lectionem retinuit.

227. Hoc insigne de Jesu Christo testimonium a viro inter Judæos doctissimo, & celeberrimo profectum, non leve adderet iis, quæ supra diximus de Christi miraculis, pondus, si illud genuinum esse Judæi confiterentur. Sed illud esse a Christianis confictum pugnacissime contendunt; & malo fato Judæis hac in parte pollicem premunt non pauci ex Christianis, volentes, totam illam periocham esse supposititiam, & adulterinam manu Josephi textui insertam (*b*). Contra hos tamen nos breves vexatissimi hujus testimonii vindicias una cum majore & meliore Criticorum parte suscipiemus.

PROPOSITIO.

Testimonium Josephi Flavii de Jesu Christo genuinum est.

228. Prob. primo veterum Codicum tam scriptorum, quam impressorum auctoritate; omnes enim cum græci, tum latini laudatum testimonium exhibent, ut ex Bosio, Bigotio, ac Lambecio fidem facit Jo. Alb. Fabricius *Biblioth. Græcæ* Vol. III. pag. 237., paucissimis hebraicis exceptis, in quibus Judæorum fraude illud abrasum fuisse ceruitur (*c*).

229. Prob. secundo auctoritate veterum Scriptorum,

(*a*) Celebris hic Judæorum Scriptor ex nobilissima Sacerdotali familia Jerosolymis natus est anno æræ Christianæ 37., ut ex ejus vita ab ipso conscripta colligitur. Omni scientiarum genere excultus Pharisaicæ sectæ nomen dedit. Captus a Romanis una cum civitate Jotapat, cui eum imperio præerat, multam gratiam invenit apud Titum Vespasiani filium, quem postea in bello Judaico secutus est; ac post excidium Jerosolymitanum cum eodem Tito Romam se contulit, ubi Imperatoribus Vespasiano, & Tito carus diu vixit: tantamque sibi famam peperit, ut statua donatus fuerit, testibus Eusebio Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 9. & Hieronymo, qui in *Catalogo Viror. illustr.* c. 13. de eo inquit: *Ob ingenii gloriam statuam meruit Romæ*. Inter multa ejus scripta plurimi ab eruditis fiunt Libri XX. *Antiquitatum*, vel ut alii vocant, *Originum Judaicarum*, in quibus Judaicæ gentis historiam trait. ab initio mundi usque ad XII. Neronis annum. Hæc tamen Josephi historia reprehenditur a Baronio in *Annalibus*, a Leone Allatio in *notis ad Eustachium*, a Car. Dualnz in libris duobus *De Testimonio Josephi*, & a multis aliis, quod a sacris Scriptoribus non infrequenter discordet, qua de causa etiam Natalis Alexander ipsum sæpe refellit.

(*b*) Jo. Alb. Fabric. in *Syllabo Scriptorum*, *qui veritatem Relig. Christ. asseruerunt* App. I. *de Scriptis græcis* &c. longo ordine recenset primo nomina eorum, qui hoc insigne Josephi testimonium genuinum esse defendunt; deinde eorum, qui illud ut suppositititum rejiciunt: ac demum illorum, qui illud interpolatum fuisse suspicantur, quibus postremis & ipse Fabricius subscribit *Biblioth. græca* Vol. III. p. 238., laudans etiam ut suos adstipulatores Stephanum Le Moyne in *notis ad carm. sacra*, Joannem Christ. Wagenseilium in IV. P. *Libror. juvenilium*, & Thomam Ittigium in *Prolegomenis ad Josephum*.

(*c*) Card. Cæsar Baronius ad ann. Christi 34. num. 226. narrat, a Codice Ms. hebraico Biblioth. Vaticanæ fuisse hoc testimonium Josephi abrasum, atque abrasionis signa adhuc in membrana apparere. Fidem Baronii suspectam habuit implacabilis ejus hostis Isaac Casaubonus Exercit. XVI. Sed codicem sic abrasum se vidisse testatus est Theod. Hackspanius *De usu librorum Rabbin.* cap. 1., ac postea Theophilus Comes a Wit-

ram, qui hoc Josephi testimonium, tanquam indubium ejusdem fœtum allegarunt; inter quos primus est Eusebius Cæsariensis Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 11., & Lib. III. *Demonstr. Evang.* cap. 5. Alter est Hieronymus in *Catal. Script. Eccles.* cap. 13. Tertius accedit Isidorus Pelusiota Presbyter, vel Abbas Ægyptius, & S. Joann. Chrysostomi discipulus in epist. ad Eudæmonem Diaconum (Lib. IV. Epist. edit. Commelinianæ anno 1606. in fol.) Quartus est Hermias Sozomenus in Lib. I. *Hist. Eccles.* Theodosio juniori dicatæ cap. 1. Quintus est Svidas in *Lexicographo* verbo Ἰώσηπος; quibus innumeri postea accesserunt alii, adeo ut nemo de veritate illius testimonii dubitare ceperit ante sæculum decimum sextum, quamquam ex momentis, & conjecturis non admodum firmis, ut mox videbimus (*a*).

230. Prob. tertio ex eo, quod verisimile non est, Josephum diligentem rerum Judaicarum Scriptorem, ea præterminttere voluisse, quæ non ita pridem in patria sua tanta cum celebritate contigerant. Porro cum Lib. XX. *Antiquitatum* mentionem fecit Jacobi, qui appellabatur ἀδελφόθεος, *frater Dei*, seu Jesu Christi, quem Ananias Pontifex impie jussit a populo lapidari, tum etiam Lib. XVIII. cap. 7. Joannis Baptistæ, quem Herodes occidit, quis credat, eum postea illa reticere voluisse, quæ Jesu Christo contigerant, multo majoris momenti, & cujus discipuli, atque adoratores quotidie, & ubique multiplicabantur?

231. Multo etiam minus verisimile est, potuisse codicibus Josephi, qui statim vulgati fuerunt, & non minus gentilium, quam Judæorum manibus terebantur, non unum, aut alterum verbum, sed integram plane periochan, clam, & impune intrudi, ut nemo fraudem detexerit, nemo reclamaverit, usque ad tempora patrum nostrorum, in quibus impotenti quadam innovandi prurigine plura alia vetustatis monumenta in dubium revocari cœperunt. Præterea cui bono tantum mendacium admisissent Christiani, quod & facile detegi poterat existentibus ubique Josephi libris, & non multum valebat ad obstinatos Judæorum animos flectendos?

232. Obj. primo. Patres vetustiores Justinus, Tertullianus, Cyprianus, qui contra Judæos strenue pugnarunt, nunquam hoc Flavii testimonio usi sunt, quod in illo certamine magno certe emolumento fuisset. Præterea Origenes, qui Lib. I. *contra Celsum* num. 47. ea allegat, quæ Josephus in Lib. XVIII. *Antiquitatum* habet de Joanne Baptista, ejusque baptismo, ac de Jacobo *Justo* (*b*), de hoc Josephi loco prorsus silet. Siluerunt pariter Irenæus, Clemens Alexandrinus, aliique Christiani Scriptores usque ad Eusebium, & Hieronymum, qui primi omnium laudatum testimonium posterorum memoriæ libris suis consignarunt. Demum, quod longe mirabilius est, eruditissimus Photius, qui duobus in locis suæ *Bibliothecæ*, nempe Codicibus LXXVI. & CCXXXVIII. plura excerpta ex Libris *Antiquitatum* Josephi nobis exhibet, hoc, quod aliis longe præcellebat, intactum reliquit.

233. Resp. totum hoc argumentum esse negativum, quod omni vi carere, quotiescumque illi argumenta positiva opponuntur, omnes norunt; quod etiam clarius apparebit, si singula ejusdem capita examinemus.

234. Primo opponitur silentium S. Justini Martyris. Sed ille disputans cum Tryphone Judæo, sibi proponerat, ex solis Scripturis sacris veteris testamenti in tota hac controversia uti. *In omni hac dissertatione*, dicebat Judæis, *ex sanctis vestris, & propheticis litteris omnes probationes meas adducam*. Nil igitur mirum, quod testimonium Josephi minime attulerit. Similiter S. Cyprianus contra Judæos in suis libris *Testimoniorum* solis Scripturis decertare voluit. Quod ante ipsum pariter fecerat Tertullianus. Neque Josephi auctoritas magna erat apud antiquos Judæos, qui eum ut semi-apostatam detestabantur.

235. Difficilius est, ne quid dissimulemus, veram afferre rationem, propter quam Origenes testimonium Josephi præterniserit. Ex hoc tamen ejusdem silentio argumentum efficax duci non potest contra Josephini testimonii veritatem, ab aliis gravissimis auctoribus agnitam, & comprobatam: quandoquidem aliquæ potuerunt esse hujus omissionis causæ nobis incompertæ. Fortasse in vitiatos a Judæis codices incidit Origenes, cujusmodi fuis-

dischgratz; ut hac de re dubitari amplius non possit, neque ab iis, quibus nota non est summa amplissimi hujus Annalium parentis fides & integritas. Alios hebraicos Codices similiter a Judæis corruptos memorat Gaveus ex Canuto, Priore S. Fridiswidæ Oxonii, 1170.

(*a*) Omittimus Acta S. Donati Episcopi Thunitaurum, apud Continat. Bollandi die 22. Maii, in quibus hoc ipsum testimonium laudatur, quia de illorum Actorum genuinitate non omnino constat. Omittimus pariter eadem de causa Macarium, qui in Sermone ad Diocletianum Imperat. hunc locum allegasse dicitur apud Bollandianos Tom. V. Maji pag. 43.

(*b*) Ita habet Origenes: „ Josephus L. XVIII. *Antiquitatum* testatur, Joannem fuisse Baptistam, quippe „ iis, qui baptismum reciperent, pollicebatur, fo„ re, ut eorum peccata dilurentur. Idem, *quamvis*, „ *Jesum pro Christo non agnosceret*, dum inquirit, „ qua de causa Jerosolymæ eversa fuerint, & templum „ solo æquatum, non dicit quidem, quod dicere de„ buit, in causa fuisse insidias, quas Jesu struxerant, „ mortemque, quam Christo a Prophetis promisso intu„ lerant; sed tamen quasi invitus a veritate non mul„ tum recedit. Ait enim, hæc Judæis contigisse, ut „ Jacobus justus, cui frater erat Jesu, qui vocabatur „ Christus, vindicaretur, quoniam justissimum illum „ virum interfecerant“. Quod hic Origenes ex Josepho refert de Jacobo, apud Josephum modo non invenitur. Id ipsum tamen refert etiam Eusebius Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 23.

fuisse non diffitemur. Fortasse voluit hoc testimonio uti contra Celsum, ne inutiliter de ejusdem veritate disputandi Celso adversario occasionem præberet. Fortasse demum illud ab Origenis memoria excidit, dum scriberet.

236. Inst. Ibidem Origenes aperte dicit, Josephum *non agnovisse Jesum pro Christo*: nimquam ergo in Josephi *Antiquitatibus* ea verba legerat: *Christus hic erat*: nec alia, quæ veram Christi divinitatem indicare videntur.

237. Resp., Josephum quidem non agnovisse Jesum ut verum Messiam, & Christum, potuisse tamen eum appellare *Christum*, quia communiter hoc nomine appellabatur: unde etiam Lib. XX. cap. 6. Jacobum dixit fuisse *fratrem Jesu, qui dicitur Christus*. Communiter autem, etiam ab hostibus suis fuisse Jesum appellatum *Christum*, liquet ex Matth. XXVII. 27., ubi Pilatus ita Judæos interrogavit: *Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus?* Hinc etiam S. Hieronymus potius ad mentem Josephi, quam ad litteralem versionem attendens, ita illa verba latine reddit: *Et credebatur esse Christus; credebatur scilicet ab ejus discipulis*. Hinc totum illud elogium fortasse a Josepho prolatum fuit historica narratione, non tam ex sua sententia, quam ex publica fama, quæ quotidie magis invalescebat, & dilatabatur. Quamvis nec impossibile sit, quod Isidorus Pelusiota, & alii suspicati sunt, Josephum *rerum veritati cessisse, atque impiorum sententiam minime secutum*, agnovisse in Jesu omnes veri Messiæ characteres, vana tamen mundi gloria, cujus inexplebilem cupiditatem in suis operibus ostendit, impeditum ejus religioni nomen dare recusasse: cujus cæcitatis alia exempla non desunt (*a*).

238. Superest Photius, quem certe mirum est in suis excerptis ex Josepho non potuisse celare ipsius testimonium de Jesu Christo. Sed primo observandum est, in utroque loco suæ Bibliothecæ eum nonnisi pauca ex Josepho excerpsisse, eaque non præcipua: secundo omisisse integros primos quatuordecim libros: tertio ex sex postremis non delibasse fere alia, quam quæ spectabant ad Herodianam familiam, & ad seriem Pontificum, qui ab Aarone sibi successerunt usque ad tempora Herodis. Denique Photius, etsi vir in paucis doctus, non ea tamen fuit diligentia, ut nihil eruditius in sua Bibliotheca desiderandum reliquerit. Quid? Si & ipse fortasse in codicem Josephi Judæorum fraude mutilatum incidisset? Et quid tandem, si Photius hanc periocham cum vita, & professione Josephi conciliari non posse arbitratus, eam esse spuriam judicavit, ac proinde omisit? Anne propteréa Photii auctoritati, tamquam irrefragabili, postponemus Eusebium, Hieronymum, Isidorum, Suidam, & tot alios doctissimos, & prudentissimos viros?

239. Dices. Extat *Antiquitatum Judaic.* Josephi quasi breviarium quoddam hebraica lingua, quod Josepho Gorionidi tribuitur, in quo tamen breviario ne jota quidem apparet controversi testimonii.

240. Resp. Rabbinum, qui ut crederetur celebris ille Josephus, se appellabat *Josephum ben Matthathiæ, Sacerdotem ben Gorion*, fuisse ineptum nugivendulum, qui Josephi libros pro libitu interpolavit, fabulisque insarcüit. Mirum proinde esse non debet, quod insigne illud Christi elogium reticuerit (*b*).

241. Obj. 2. Plura sunt in controverso testimonio, quæ a Josepho scribi non potuerunt. Primo enim quis credat, hominem e Pharisæorum secta, quæ Jesu Christo præ ceteris inimica fuit; voluisse tam nobile præconium ipsi texere, emmque non homiuem, sed Deum appellaré? Præterea manifeste confitetur, fuisse in eo Prophetarum vaticinia impleta, quod Judæorum nemo unquam fassus est. Tertio asserit, Jesum plurimos ad se pertraxisse tam ex Judæis, quam ex Gentibus, quod Josephi ætate verum non erat. Quarto (quod multo gravius est) tota illa periocha nec cum antecedentibus, nec cum consequentibus convenit, quæ disjunctio manifestum est intrusionis judicium. Antea enim narraverat duas populi Judaici sedi-

(*a*) Novam hujus difficultatis solutionem excogitavit Petrus Lambecius (Lat. VIII. *Commentar. in* Biblioth. Cæsaream pag. 45. & seq. secunda edit. opera, & studio Franc. Kollar.) putans se *veram, hactenusque incognitam Josephi mentem, atque intentionem* explanare. Nempe omnia per ironiam a Josepho dicta esse vult, ita tamen caute, ut *eadem fidelia tres parietes dealbare* voluerit, *simul & Judæis, & Gentilibus, & Christianis subtilissime, ingeniosissimeque satisfaciens* (quos omnes stipites, & cautes fuisse oportet, ut arcanam ironiam non subodoraverint). Itaque quando Josephus dicit, Christum fuisse *virum sapientem*, sapientis nomen in malam partem accipit. Quando addit: *Si modo virum eum appellare fas est*, voluit Josephus eum nec hominem fuisse, nec Deum, sed *potius phantasma, sive spectrum*. Cum subdit Josephus, Christum fuisse *Doctorem hominum cum voluptate vera suscipientium*, eumdem sugillat; *tamquam magistrum pi-*

scatorum, publicanorum, mulierculatum, aliorumque rudium, & levium hominum. Atque ita Lambecius prosequitur, ineptam illam allegoriam suo modo explicans; atque iterum sibi blanditur, *se contra communem, atque inveteratam opinionem* veram Josephi mentem explanasse. Nemo tamen, quod sciam, insulsam sententiam adoptavit hujus Augustæ Bibliothecæ Commentatoris, quem Adamus Franc. Kollarius non semel correxit, ac merito castigavit.

(*b*) Magna olim fuit inter Protestantes eruditos de hoc Josepho Gorionide controversia, ut videri potest apud Jo. Franc. Buildæum in Prolegom. ad *Hist. Eccl. V. T.* §. X., & apud Jo. Alb. Fabricium Vol. 8. *Biblioth. græc* pag. 249. seq. Agit de hoc scriptore Julius Bartolocius *Biblioth. Rabbinicæ* Tom. III. Gorionidis editionem hebraico-latinam dedit Joann. Frider. Breithauptius Gothæ 1707.

tiones contra Pilatum; quarum prior contigerat post Christi passionem, quando Pilatus imagines Cæsaris noctu in sanctam urbem intulit; altera biennio post, cum idem Pilatus pecuniam sacri thesauri abstulit, ad aquæductum extruendum, & postea evidenti ὑστεροπρωτον *hysterologia* subdit: *Eodem tempore* &c. Parum etiam textus Josephi cohæret cum subsequentibus, ubi narrat infandum stuprum Paulinæ Saturnini uxori a Decio Mundo ejus amatore Sacrificulorum Isidis ope illatum; tum de Judæorum Romæ degentium adversitatibus, quæ multo post tempore acciderunt, & quæ naturali ordine conjungendæ fuissent cum iis calamitatibus, quæ propter duas memoratas seditiones in Judæa perpessi erant; ut proinde Josephini textus interpolatio manifeste appareat. Denique qui in Josephi lectione multum versati sunt, aliquam styli diversitatem in assutis verbis facile deprehendunt; ut Tanaquillus Faber, vir acutissimi sensus, deprehendebat, singula verba minutatim ad trutinam censoriam revocans.

242. Resp. ad 1., Josephum fuisse quidem secta Pharisæum, sed suæ religionis, quæ a Romanis contemnebatur, non admodum sollicitum; unde Judæis odio, & detestationi fuit, eum enim ut semiapostatam habebant. Curabat autem vehementer nobilis historici gloriam sibi comparare; quamobrem quæ paulo antea Jerosolymis contigerant, & quæ adhuc publica fama celebrabantur, omittere non poterat. Erant etiam in aula Imperatoris Domitiani, quando suas antiquitates elucubrabat, aliquot Christiani nobiles, ut Epaphroditus, & Clemens Flavius Josephus quibus gratificari studebat, unde facile potuit, ac debuit ea commemorare, quæ de Christiana religione, ejusque conditore Christo palam divulgabantur. Nec presse omnino accipienda sunt ea verba: *Si tamen virum eum oportet dicere*, quasi Christum appellaverit vere & proprie *Deum*; sed oratorio stylo miracula Christi extollere voluit. Nec desunt apud profanos Scriptores similia exempla non pauca (a).

243. Ad secundum. Quod innuit Josephus, in Jesu fuisse sacrorum Vatum oracula impleta, historice accipiendum est, scilicet prout communiter ferebatur, non autem ex mente ejusdem Josephi, qui turpi adulatione eadem Prophetarum oracula novo Imperatori Vespasiano tribuere non est veritus. V. sect. I. num. 53.

244. Ad tertium. Quando Josephus scribebat, scilicet ad finem sæculi I., vere dici potuit, plurimos tam de Judæis, quam de Gentilibus fuisse Christi sectatores, jam enim Religio Christiana, non obstante dirissima persecutione Neroniana admodum dilatari cœperat.

245. Ad quartum, resp., illam periocham aptissimo loco fuisse repositam, scilicet ubi de Pilato sermo erat, sub quo Christus tota Judæa magnis prodigiis inclaruit, & primorum gentis Judaicæ invidia in crucem actus fuit. Neque obest, id a Josepho referri post enarratas duas seditiones, Christi morte posteriores. Nam Josephus non scripsit annales, in quibus accurata temporum series observatur, sed historiam, in qua non autorum series, sed potius rerum connexio attenditur. Ea igitur Josephi verba: *Fuit autem hoc eodem tempore*, significant tempus illud, quo Pilatus Judææam administrabat. Rebus autem, quæ sub Pilato gesta sunt, breviter expositis, noster Historicus transitum facit ad ea enarranda, quæ Romæ contigerant, ita suam orationem prosequens: *Circa eadem tempora etiam aliud Judæos turbavit incommodum, & Romæ in sacris Isidis summa turpitudo deprehensa est. Dicam igitur ritus de Isiacorum nefando scelere, ac tum demum res Judæorum prosequar* &c. ubi omnia recte fluere liquido apparet, ut nullum sit alicujus intrusionis vestigium.

246. Postremum de styli diversitate, atque inelegantia, quod Tanaquillus Faber nobis objicit, possumus non tam ex nostro, quam ex gravissimorum Criticorum judicio, tamquam omnino falsum respuere. Quamquam facile quilibet fatebitur, arduum plane esse, ac fere impossibile, ex tam paucis verbis de styli æqualitate, aut diversitate tuto judicare.

247. Scholion. Sunt nonnulli, ut Jo. Alb. Fabricius, qui testimonium illud Josephi genuinum quidem esse nobiscum sentiunt, aliquibus tamen verbis interpolatum (Vid. sup. not. ad n. 227.). Sed cum nullum neque ex codicibus tam manu exaratis, quam typo impressis, neque ex Sanctis Patribus afferant argumentum, solisque inuitantur levibus conjecturis, eorum omnino explodenda est sententia, & communis tenenda, quæ non dubitat totum illud Christi encomium e manu Josephi Flavii prodiisse, Deo sic disponente, ut ex ore inimici hominis veritas Dominicæ Incarnationis aliquo modo confirmaretur: atque etiam ex parte novum præberetur Judæis argumentum, quo glaucoma ex oculis abjicerent. Sed nonnulla alia breviter exponemus, quæ ad illorum conversionem procurandam nobis utilia sunt.

APPENDIX II.

De Mediis opportunioribus pro conversione Judæorum.

248. Futuram aliquando totius gentis Judaicæ conversionem, dubitare non possumus (V. sup. num.

(a) Hæc exempla legi possunt apud eruditissimum Dan. Huetium in *Demonstr. Evang.* Prop. III. num. 18., ubi inter alia refert celebre illud Matthiæ Corvini epithaphium.

Corvini brevis hæc urna est, quem magna fatentur
Facta fuisse Deum, fata fuisse hominem.

num. 197.); sed quandonam, & quibusnam mediis id Deus præstiturus sit, ignoramus; interim tamen charitas Dei, & proximi nos urget, ut quoad per nos fieri potest, aliqui saltem Judæorum, Deo miserante, remoto ab oculis velamine, veritatem tam apertam videant, & amplectantur. Hujus divinæ misericordiæ exempla non pauca, & legimus apud antiquos, & nos ipsi quotidie videmus. Cum tamen non omnes Judæorum ad fidem catholicam conversiones sinceræ esse, & veræ, tristis experientia nos doceat, maxima opus est cautione, & nullatenus probanda, aut imitanda quorumdam præcipitantia, qui potius numerum, quam selectum proselytorum curare videntur. Catechismus Roman. Part. II. *de Baptismo* morum, & tarditatem in baptizandis adultis inculcat, cum mortis periculum abest; primo ut eorum voluntas certius exploretur; secundo, ut in doctrina Christiana magis instruantur.

249. Neque vero nobis hæc in re objiciatur exemplum Apostolorum, qui illico, imo & in ipsa eadem hora baptismum conferre iis solebant, qui in Christum se credere profitebantur: Apostoli enim a Deo specialiter illuminati plura cognoscere *poterant*, quam nos cognoscamus. Insuper eæ erant illorum temporum circumstantiæ ut facile timeri non posset, aliquos ficto, pravoque animo Religioni Christianæ nomen dare voluisse. Legi possunt, quæ salutariter præscripsit S. Carolus Borromæus in *Actis Ecclesiæ Mediol.* Sed omnia huc spectantia collegit sapientissimus Benedictus XIV. in sua Constit. *Postremo mensæ* an. 1747., ubi etiam multis SS. Patrum testimoniis, præcipue autem S. Thomæ ostendit, Judæos ad fidem perduci oportere *non coactione, sed persuasione;* ac propterea fuisse a suis prædecessoribus Nicolao III. in Const. *Vineam Sorech* an. 1277., & Gregorio XIII. in Constit. *Sancta Mater Ecclesia* an. 1584. provide statutum, ut singulis septimanis cogerentur Judæi ad audiendas salutares exhortationes, quibus de erroribus suis admonerentur (*a*).

250. Qui autem voluerit nihilter cum Doctoribus Judæis disputare, debebit primo Orientales linguas, hebraicam maxime, & chaldaicam apprime callere; quamquam enim nullæ ferme sint Rabbinorum technæ a nostris doctissimis interpretibus non detectæ, ac profligatæ, vix tamen istorum laboribus proficere poterimus sine sufficienti saltem exoticarum litterarum peritia; callidissimi enim Judæi nova semper inveniunt effugia, quibus elabantur, & quæ sine linguæ sanctæ auxilio præcludi nequeunt.

251. Juvabit præterea nosse varias, ac diversas Judaicæ gentis sectas, earumque errores particulares atque opiniones; tum etiam celebriores Rabbinos, eosque maxime qui in Europa floruerunt circiter post sæculum XII., qui communiter reputantur doctiores, quam sint Orientales. Neque enim omnes confundendi sunt; plerique enim eorum suis somniis, fabulisque indulgentes se omnium risui, ac contemptui exhibuerunt; non desunt tamen alii acuti, & subtiles, qui libris vet. test. illustrandis operam non indiligenter impenderunt; & quamvis ubi de Messia agitur celerorum errori consentiant, quia tamen pessimæ suæ causæ non contemnendis argumentis patrocinati sunt, audiri meremur (*b*).

252. Ut autem utilius cum eis disputetur; danda imprimis opera est, ut quædam ipsis præjudicia evellantur, quibus maxime impediuntur, ne veritatem Religionis Christianæ agnoscant, & amplectantur. Horum primum solet esse, cæteris omnibus heterodoxis commune, pudor quidam deserendæ patriæ religionis, in qua educati sunt; tum metus consanguineis, contribulibus, atque amicis rem ingratam faciendi; ac denique nimia ter-

(*a*) Nicolaus III. in laud. Const. hanc prædicandi Hebræis provinciam collatam voluit P. Provinciali Lombardiæ Ord. Præd., ut per idoneos suos Religiosos, *Judæos generaliter, & singulariter convocando, iemel, & plureis, ac toties repetitis inconstantiis, quoties proficere posse putaverit, pront melius fieri poterit, prædicationibus, salutaribus monitis, & discretis inducționibus, evangelicis doctrinis informans, ipse studeat, juxta datum sibi a Domino gratiam, fugatis tenebrarum nubibus, ad viam revocare claritatis, ut renati fonte baptismatis reluceant in lumine vultus Christi*, cum reliquis.

(*b*) Præcipuæ Judæorum sectæ ante Christum ortæ notissimæ sunt, scilicet Pharisæorum, Sadducæorum, & Esseniorum; quibus additur quarta admodum obscura Herodianorum, cujus nulla mentio neque apud Josephum Flavium, neque apud Philonem inveniturj inveniur tamen in pluribus Evangeliorum locis, ut Matth. XXII. 16. Marci XII. 13., & alibi. Sed aliæ Judæorum Sectæ maxime notandæ veniunt, scilicet eorum, qui traditionibus Majorum utuntur ad Legem explicandam; & eorum, qui procul ablegatis traditionibus, utpote nimis incertis, solis Libris sacris inhærendum esse volunt. Primi dicti sunt *Rabbanitæ*, quorum secta & numero, & doctrina celebrior est apud Judæos, ita ut Jo. Ben. Carpzovius in *Introd. in Theol. Judaicam*, *Pugioni fidei* Raym. Martini præfixa, recte moneat, ab illis potius, quam ab aliis, Judæi doctrinæ notitiam esse desumendam. Alii traditionum hostes acerrimi dicti sunt *Karæi*, de quorum origine magna est inter eruditos contentio; ut videri potest apud Jac. Trigalandium in *Diatriba de Karaïs*. Hæc Secta non imerito *Naturalismi* suspicione laborat.

Longum esset dicere de celebrioribus Judæorum Scholis in Hispania, in Gallia, in Germania, & in Italia potissimum, ubi Daniel Bombergius Venetus typographus Sæc. XVI. doctiores ex Judæis vocavit, ut nitidissimas suas Bibliorum hebraicorum, ac Rabbinorum librorum editiones eorum auxilio curaret. Sed de illustribus harum Academiarum membris plura copiosius abunde satisfacient Raym. Martini O. P. in *Pugione Fidei*, (quem Jo. Justus Scaliger epist. 92., & Gabr. Naudæus in *Bibliographia politica* cum Raym. de Sebunde turpiter confulerunt) & Jul. Bartolocc ius Ord. Cist. in *Bibl. Rabbinica magna*; ex Protestantibus vero Jo. Christ. Wolfius in sua *Bibl. Hebræa*.

terrenarum rerum sollicitudo. Ad hoc prædudicium tollendum Christus Dominus Matth. XIX. 29. dicebat: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Eadem doctrina nos quoque uti debemus.

253. Aliud prædjudicium late dominans in hoc sæculo, & quod ad aliquos etiam inter Judæos penetravit, est *indifferentismus religionis*, quo putatur sufficere ad æternam salutem verum Deum agnoscere & colere, ac reliqua legis naturalis præcepta diligenter observare, honestamque vitam ducere; de fide autem articulis liberum esse cuilibet sentire, quod ipsi visum fuerit verius, seu sequendam esse veritatem quamdam *putatitiam*; neque a Deo punitum iri errorem intellectus & non voluntatis (*a*). Ad falsam hanc opinionem tollendam dixit Jesus Samaritanæ Jo. IV. 25. *Veri adoratores Patrem in spiritu & veritate.* Late contra hoc *indifferentismi* contagium disputavimus T. I. P. II. cap. 6. & 7.; ex quibus nonnulla etiam in concertationibus cum Judæis usui esse poterunt.

254. Tertium Judæorum prædjudicium esse solet pervulgata apud ipsos doctrina, Messiam venturum cum majestatis splendore, & cum armorum potentia ad debellandas nationes, atque amplificandum temporale Israelis regnum. Quam falsam eorum opinionem non erit difficile convellere, ostendendo, Messiam, liberatorem, & Salvatorem non fuisse promissum solis Hebræis, sed omnibus Gentibus, quæ propterea per ipsum non destruendæ, sed liberandæ erant a captivitate dæmonis, & ad verum Dei cultum adducendæ; ac demum temporale regnum Israel non restituendum, & amplificandum, sed funditus evertendum esse adveniente Messia, aliudque spirituale substituendum, cujus non erit finis.

255. Sed quoniam argumenta ex prophetiis ducta, utut validissima, & plane invicta, sunt tamen multis obscuritatibus involuta, ut difficile admodum sit, pervicaces, captiososque litigatores ad silentium redigere, optimum factu erit, ad miracula Christi Domini sæpe confugere, & ad ejus vaticinia, quorum veritatem facillimum erit rudi etiam populo ita demonstrare, ut repugnare nequeat, juxta ea, quæ c. 1. indigitavimus. Experientia compertum est, hanc methodum confirmandi veteris testamenti prophetiis ex ipsius Christi doctrina, & miraculis, plurimum valere apud eos saltem, qui salutis suæ aliquam habent sollicitudinem.

256. Ad roborandum hoc argumentum juvabit etiam ostendere, quam pura, quam sancta, ac plane divina sit doctrina, a Jesu Christo promulgata, quod adeo verum est, & perspicue manifestum, ut Isaac Orobius ex Hispania profugus, nihil diu Judaicam superstitionem occultavit, in *Amica collatione* quam habuit cum Phil. Limbrocchio Arminiano, & tolerantissimi patrono, veritate compulsus iu hæc verba prorumpere debuerit: *Quod Evangelium sanctissimam inculcabat doctrinam, ego sæpe concessi.* Non is porro character impostorum est, ut semper sibi constantes, veram, sanctamque doctrinam proponant. Non ergo Christus Dominus impostorum numero accenseri potest; ex quo etiam capite credibilia redduntur ejusdem miracula, quæ ex regulis sanioris critices verissima demonstrantur. Neque vero Messias antiquam Legem Moysis, quæ etiam bona & sancta est, quamquam imperfecta, solvit, sed adimplevit, ut mira sit inter utrumque fœdus consonantia; & quod in antiquo promittebatur, in novo adimpletum est.

257. Ceterum, quando agitur de conversione, non solum Judæorum, sed cujuscunque generis errantium, plurimum proderit eorum benevolentiam captare ostendendo, nos nullo alio fine duci, quam charitatis, ut ita docciliores veritati aures præbeant; quod exemplo suo nos docuit Apostolus dicens 1. Cor. IX. 19. & seq. *Omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem ... omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

258. Sed etiam multum interest noscere genium, indolem, variasque errantium dispositiones, ut in promptu habeamus media singulis idonea; alii enim sunt *Ignorantes*, qui doceri debent, ac præcipue iis detegendæ sunt artes, & doli, quibus a suis Magistris irretiantur. Alii sunt *pertinaces*, quorum difficilior conversio est, non tamen desperanda, præcipue si blande, & benigne tractentur *in multa patientia*. Proderit autem, potius quam colloquiis disputare, ipsis bonos libros legendos proponere: eos enim attentius examinare solent, & facilius est veritatem meditando invenire, eique quasi a seipsis inventæ cedere; cum in disputationibus pudeat ab adversario vinci; quo fit, ut humana superbia minora ponat conversioni obstacula in librorum pacata lectione, quam in fervida litigantium disputatione.

259. Sunt præterea alii *fervidi*, & zelo pleni; alii *frigidi*, & quasi indifferentes. Primi generis erat olim S. Paulus, quando, ut ipse narrat ad Gal. I. 13. seq., *supra modum persequebatur Ecclesiam Dei ... abundantius æmulator existens paternarum suarum traditionum*. Horum conversio

(*a*) Omnium indignationem incurrit Caspar Barlæus Arminianus, cum tolerantiam religiosam etiam ad Judæos extendisse visus est; ita in laudem R. Menasseh ben Israel canens:

Si sapimus diversa, Deo vivamus amici,
Doctaque mens pretio constet ubique suo.
Hæc fidei vox summa mea est, hæc crede, Menasse.
Sic ego Christiades, sic erit Abrahmides.

sio eo minus desperanda est, quo constat, ipsos plerumque ex ignorantia peccare, ut se ex ignorantia peccasse fatebatur S. Paulus, ac propterea facilius se misericordiam consecutum ad Timoth. I. 13. Ab illis autem imperandum est, ut fervore aliquantisper sedato pacate rationum momenta ex utraque parte considerare, & librare velint.

260. Difficilius res agitur cum *frigidis*, atque *indifferentibus*, qui ægre admodum induci possunt ad negotium tanti momenti serio meditandum, & quadam quasi vi inertiæ a laborioso examine rejiciuntur. Nec ulla est ad istos convertendos via, nisi prius ipsis persuadeatur, maximam esse hujus diligentiæ examinis necessitatem, cum agatur de re maxima, nempe de ea, a qua æterna eorum felicitas pendet. Eademque methodus servanda erit cum errantibus *dubiis*, & *incertis*; qui plerumque ad *Indifferentistarum* statum migrare solent, ut putent, in re obscura, & dubia posse quemlibet impune suam sententiam retinere.

261. Sed unum restat serio monendum, ne desiderio convertendi errantes nimis laxi & indulgentes simus in mysteriis, aliisque dogmatibus nostræ Religionis proponendis, & vindicandis; & quasi dimidiata fide contenti ea extenuari, & quodammodo labefactari patiamur. Abusus iste condemnatus fuit in quibusdam Missionariis apud nostiores idololatras; qua de re sufficit legere duas celebres Constitut. Benedicti XIV., quibus finem diuturnis controversiis de ritibus Sinensibus, & Malabaricis feliciter imposuit. Sancta nostra Religio tota vera est, nec ulla esse potest *societas luci ad tenebras, aut conventio Christi ad Belial* 2. ad Cor. VI. 14. Ceterum cum fides sit donum Dei, ad ipsius opem potissimum confugere debemus, ut laboribus nostris suam divinam benedictionem impertiri dignetur. Præclare S. Prosper:

> ... *Percurrat Apostolus orbem,*
> *Prædicet, hortetur, plantet, riget, increscat, instet.*
> *Ut tamen his studiis auditor promoveatur,*
> *Non Doctor, neque discipulus, sed gratia solus*
> *Efficit.*

Ecclesia pro Judæis orat, ut *Deus, & Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum, ut & ipsi agnoscant Jesum Christum Dominum nostrum* (a).

262. Atque hanc primam sectionem iis verbis concludemus, quibus S. Augustinus sumit brevem *Tract. adv. Judæos* T. VIII. concludit: „ Hæc „ charissimi, sive gratanter, sive indignanter audiant Judæi, nos tamen ubi possumus, *cum eorum dilectione prædicamus*. Nec superbe gloriemur adversus ramos fractos: sed potius cogitemus, cujus gratia, & quanta misericordia, „ & in qua radice inserti sumus; ut non alta sapientes, sed humilibus consentientes, *non eis cum præsumptione insultando*, sed cum tremore exultando dicamus: *Venite, ambulemus in „ luce Domini, quoniam magnum nomen ejus „ in gentibus*. Si enim audierint, erunt inter eos, „ quibus dictum est: *Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescant*, „ Psal. XXXIII. 6. Si autem audiunt, & non obediunt, vident, & invident, inter eos sunt, „ de quibus dictum est: *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet*, „ Ps. CXI. 10. *Ego autem*, dicit Ecclesia Christo, *velut oliva fructifera in domo Domini: „ speravi in misericordia Dei in æternum, & „ in sæculum sæculi*, Psal. LI. 10. "

Addenda post num. 203. *pag.* 59.

263. Aliam venturi Messiæ spem concipiunt Judæi ex illa promissione, quæ legitur Lib. II. Machab. II. 5 ubi postquam narratum fuisset, Jeremiam intulisse *tabernaculum, & arcam, & altare incensi* in speluncam, & ostium obstruxisse; subditur Jeremiam dixisse *quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat. Et tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit majestas Domini &c.* Ex hac

(a) Auctores Catholici, qui utiliter contra Judæos legi possunt, sunt Raymundus Martini O. P. in *Pugione fidei*, quem Petrus Galatinus in *Arcanis Catholicæ Veritatis*, & Porchetus de Salvaticis in *Victoria adv. impios Judæos* intolerabili plagio expilarunt, Joseph autem de Voisin plurimis notis, & Jo. Ben. Carpzovius auctus Introductione illustrarunt: tum multi alii, quos Car. Joseph Imbonatus enumerat in *Bibl. Latino hebraica, sive de Scriptoribus latinis, qui ex diversis nationibus contra Judæos, vel de re hebraica utcumque scripsere*. Iis addi possunt recentiores quidam, ut Jo. Clemens Cechetti Ord. Min. Obs. in *Christi fide adv. Judaicam perfidiam novissime vindicata* Ven. 1750. in 4., Jo. Bern. De Rossi celebris in Regia Universit. Parmensi Ling. Orient. Professor in Tract. Italico *Della Vana aspettazione degli Ebrei del loro Re Messia* Parma 1793. in 4. Jos. Duguet *Traité des principes de la Foi chrétienne* V. 1. & P. La Berthonye Ord. Præd. T. III. suorum Operum *pro Religionis defensione* Paris. 1777., ubi in fine brevis, & egregius Catechismus proponitur ad instruendos Judæos.

Multi etiam ex heterodoxis in opere tam salutari laudabiliter laborarunt, ac inter alios Jo. Chr. Wagenseilus in suo Op. inscripto: *Tela ignea Satanæ, hoc est arcani, & horribiles Judæorum adv. Christum Deum, & Christianam religionem libri anecdoti* Altdorf. an. 1681. Hos autem nemissimos, & plane Stygios Judæorum lib. Wagenselius solide confutavit. Laudantur etiam alii tum a Jo. Alb. Fabricio in *Delecta argumentorum, & Syllabo Scriptorum, qui veritatem religionis Christianæ ... asseruerunt* cap. 31. tum etiam a Jo. Franc. Buddeo in *Isagoge Histor. theol. ad Theol. Libr. poster.* c. 7.

hac Jeremiæ promissione R. Abarbanel in Comment. ad cap. IX. Danielis, ac nonnulli alii Rabbini colligunt, nondum venisse Messiam, quia Arca, tabernaculum, & altare incensi nondum detecta sunt, tunc autem esse detegenda, quando Messias advenerit (*a*).

264. Resp., quidquid sit de variis eruditorum opinionibus de Arcæ revelatione (*b*), certum est, hanc Jeremiæ promissionem, sicuti alias superius n. 203. relatas de Jerusalem, & templi restitutione, de novis sacerdotiis, & sacrificiis, esse in sensu typico, & figurato accipiendam, scilicet de Ecclesia per D. N. Jesum Christum ædificanda, & amplificanda, de novo sacerdotio instituendo novisque sacrificiis &c. Hujus typicæ interpretationis non pauca, nec levia sunt argumenta. Sed hoc unum brevitatis gratia sufficiat.

265. Si bene consulamus ipsum Prophetam Jeremiam, manifeste appareat, veterem Arcam Mosaicam ita fuisse absconditam, ut nullatenus deberet in posterum inveniri. Ita enim inquit c. 3. 15. seq. ex ore Domini: *Et dabo vobis pastores* (*c*) *juxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina: cumque multiplicati fueritis, & creveritis in terra, in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra: Arca testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra.* Quæ omnia manifeste significant, non solum Arcam materialem Mosaicam non amplius inventam fuisse, sed ulterius, quando dati fuerint novi Pastores juxta cor Dei, scilicet in novo fœdere, obliteraudam esse ipsam memoriam veteris Arcæ; non amplius visitandam, sive *requirendam* לֹא יִפָּקֵד *Nec requirent eam.* Atque id totum adimpletum videmus; ut frustra alter expectetur Messias, qui Arcam absconditam detegat. Quod igitur auctor Libri secundi Machabæorum dicit ex ore Jeremiæ, *quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat; & tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit majestas Domini* &c., non potest litteraliter intelligi de veteri Arca testamenti quæ, ut mox vidimus ex ipso Jeremia, debebit omnino oblivioni tradi. Debet itaque typice intelligi de Jesu Christo, qui Arca est novi testamenti, & apparuit *in majestate*, non quidem temporali, sed spirituali, ad novum fœdus nobiscum pangendum.

266. Non desunt aliqui putantes, Arcam detegendam esse, quando tota Judæorum natio ad fidem Jesu Christi convertetur. Verumtamen non apparet, qui Religionis bono antiquum illud veteris Testamenti monumentum de novo afferri debeat. Alii demum putant, Arcam videndam fore in secundo adventu Christi, propter illa S. Joannis verba Apoc. XI. versu ult. *Et apertum est templum Dei in cœlo; & visa est arca testamenti ejus in templo ejus, & facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus, & grando magna.* Sed præstat hæc mystice interpretari de gloria Sanctorum, ac reproborum pœnis (*d*).

SECTIO II.

De mysterio Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

Postquam in superiore Sectione contra Judæorum perfidiam demonstratum fuit, Messiam a Deo sta-

(*a*) Quanquam Julæi non habeant duos Machabæorum libros *pro canonicis*, quia scripti fuerint postquam Libr orum sacrorum canon clausus erat, eosdem tamen teste S. Augustino Lib. XVIII. *de Civ.* c. 36. plurimi faciunt.

(*b*) In hoc Machabæorum loco explicando valde dissentiunt Interpretes, tam veteres, quam recentiores. Sunt, qui Arcam testamenti repertam fuisse volunt, quando Babylonica captivitate soluta, inventa fuit loco ignis absconditi *aqua crassa*, ut dicitur II. Machab. I. 20. Ita Jac. Salianus in *Annal. Veter. Testam.* ad an. Mundi 3609. In hac sententia, si vera esset, illico omnis difficultas evaneseeret.

Sunt alii, qui cum Genebrardo in *Chron.* L. II. ad an. 2730. putant, novam Arcam similem primæ fuisse a Judæis post reditum a captivitate fabricatam, cujus sententiæ auctor est Hegesippus Lib. I. c. 17. addens, *Arcam, & Cherubinos prioribus similes a Pompejo visos in templo.* Imo Barthol. Marlianus lib. 3. *Topographiæ Urbis Romæ* cap. 8. in Arcu triumphali, qui adhuc Romæ superest, arcam fœderis videri sibi visus est. In *Thesauro rerum Rom.* Jo. Georg. Grævii Vol. III. col. 173.

Multo tamen probabilior, & communior est aliorum opinio, Arcam testamenti a Jeremia in specu absconditam, non amplius repertam fuisse; cum nulla ipsius mentio nec apud Esdram, & Nehemiam, nec in libris Machabæorum, imo nec apud Josephum inveniatur. Nec aliquid veteri Arcæ simile in Romano Arcu triumphali oculatiores videre se profitentur. Nullo autem modo illi panci probandi sunt, qui fabulosi auctoris Libri quarti Esdræ c. XX. 22. auctoritatem sequentes, Arcam a Chaldæis *direptam* una cum aliis vasis sacris fuisse, asserunt. Nimis enim aperte id loco allato ex Lib. II. Machabæorum adversatur.

(*c*) Rabbini hos Pastores esse putant *Gubernatores* Israelis, qui cum Messia temporale regnum constituant; sed cum ibi addatur: *pascent vos scientia, & doctrina*, ilebent intelligi non *Magnates*, sed *Doctores*. Recte Hieronymus: *Hi sunt Apostoli & Apostolici viri, qui pascerant credentium multitudinem, non in Judaicis cæremoniis, sed in scientia Christi, & doctrina.*

(*d*) Joann. Frischmuth eruditam Dissertationem *De non speranda Arcæ fœderis restitutione* inseruit *Thesauro* theol. *philog.* &c. In ea multa sunt lecta digna. Displicet tamen vehementissime, quod ex præjudiciis suæ sectæ locum deprompsuit ex Libro II. Machabæorum rejecit, tanquam sapientem fabulam judaicam; nosque reprehendit, quod ob auctoritatem ejusdem libri apocryphi tuendam ad ridicula, & Judaicis figmentis affines opiniones delabamur.

statim post lapsum Adæ promissum a Prophetis multoties prænunciatum, & a Patribus, ac justis vet. testamenti avidissime expectatum, in plenitudine temporum tandem advenisse, enimque aliam non esse, quam Jesum Nazarenum, Deum simul, & hominem; nunc ipsum Incarnationis mysterium juxta orthodoxam Ecclesiæ doctrinam nobis exponendum est, & contra multiplices hæreses, quas Infernus evomuit, vindicandum. Prius tamen aliqua præmittenda sunt, quæ si non omnino necessaria, saltem admodum utilia erunt, & multam lucem postea dicendis afferent. Sit igitur

DISSERTATIO I.

De possibilitate, necessitate, causa, & tempore Dominicæ Incarnationis.

CAPUT I.

De nomine Jesu Christi; & quid sit incarnatio Dominica?

1. Ut S. Lucas in suo Evangelio narrat cap. II. 21., cum more Judæorum filio B. Virginis deberet in circumcisione nomen imponi, *vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur;* nempe quando Angelus Mariæ primo apparuit, ut idem Lucas narrat I. 31., & iterum quando apparens Joseph in somnis, confortavit eum, ne Mariam uxorem suam dimitteret, quæ de Spiritu Sancto conceperat, & filium pariturа erat, sic illi subdit: *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, Matt. I. 21.; quibus verbis aperte ostenditur, non vacuum nomen hoc fuisse, ut alii multi apud Judæos vocati sunt *Jesus* (Act. XIII. 6., Coloss. IV. 11. &c.), sed hoc nomine fuisse nostram redemptionem significatam. Pulchre S. Bernardus Serm. XV. in Cant., n. 8.: *Habuit & Judæa quosdam Jesus, quorum vacuis gloriatur vocabulis. In Christo autem jam vox, jam sensus est, & patet, eum non inane portare nomen instar priorum.* Plura ibi habet mellifluus Doctor ad excitandam pietatem, & devotionem erga hoc sanctissimum nomen lectu dignissima.

2. Jam vero hoc nomen hebræum est a radice יש in hiphil הוֹשִׁישַׁ *salvavit*; unde Jesus idem est ac Salvator (*a*). LXX. autem Interpretes nomen Ἰησοῦς in sua græca versione retinuerunt, quos secuti sunt Evangelistæ supra laudati; ac demum Latini hoc ipsum nomen *Jesus* adoptarunt.

3. Sed aliqua difficultas oritur ex verbis Evangelistæ Matthæi ita pergentis: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem* (Isaiæ VII. 14.): *Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus;* cum tamen noster Servator nunquam dictus sit *Emmanuel*. Facile autem tollitur hæc difficultas, observando: Evangelistam voluisse conjungere verba Angeli cum celebri Prophetia Isaiæ de partu Virginis, non tam ad verba ejusdem prophetiæ attendendo, quam ad sensum. Quid enim est aliud *Emmanuel*, quam *Nobiscum Deus*, seu *Deus servator noster* (*b*)? Nunc panca addamus de nomine *Christi*, quo divinus noster Salvator appellatus fuit.

4. Ut nomen *Jesus* est hebraicum, ita nomen *Christus* est græcum, & significat *unctum*, atque respondet appellationi Messiæ; unde Joan. I. 41. Andreas dixit fratri suo Simoni: *Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus)*; & S. Augustinus Tract. VII. in Joan. n. 13. Tom. III. P. II. *Messias*, inquit, *hebraice, Christus græce est, latine unctus; ab unctione enim dicitur unctus ... ille singulariter unctus, præcipue unctus, unde omnes Christiani unguntur*. Atque hoc nomen *Christi*, seu *Uncti* multo tempore antea fuit Messiæ tributum a Daniele Propheta cap. IX. 24. in celebri vaticinio: *Septuaginta hebdomades &c. ... ut ungatur Sanctus Sanctorum*. Ab hoc nomine nos denominamur *Christiani*, quod Antiochiæ primum factum fuisse discimus ex Act. Apost. c. XI. 26.

5. Multa alia de his duobus nominibus addi possent, sed concludamus cum S. Hieronymo in cap. XVI. Matth. vers. 10.: *Horum nominum* (Jesu Christi) *alterum est proprium, quod ab Angelo impositum est; alterum accidens, quod ab uncti-*

(*a*) De hac voce copiose tractat noster Sanctus Pagninus *in Thesauro linguæ sanctæ* pag. 1093., & seq., ubi in fine ita concludit: „ Ab hac radice (ישע) „ est ישוע *Jehosuah* nomen proprium quo multi in „ Hebræo populo sunt vocati; sed ille præ ceteris in„ signes, filii Nun, qui Moysi in ducatu successit, „ qui prius ישוע eadem nominis ratione fuerat di„ ctus: alter summus Sacerdos filius Jotsadak, qui „ postea contractius a reducibus a Babylone שוע nun„ cupatus; unde certum est, nomen Jesu Servatoris „ nostri dictum; juxta etymon ab Angelo quoque ex„ plicatum. In eum veritas etymi incidit, cum in a„ liis esset tantum umbra ... quod nomen nefas hodie „ sit cuiquam post Christum ex nostris indictum legi„ tur.“ Vid. etiam S. Hieronymus Comment. in cap. I. Oseæ.

(*b*) Emmanuel constat ex tribus vocibus hebraicis עִם *Im*, seu, *cum* לָ *nu nobis*, אֵל *et Deus*: *cum nobis Deus*, ad salvandum nos. Objicientibus autem Judæis, Jesum Nazarenum nunquam fuisse vocatum *Emmanuel*, respondebat Tertullianus Lib. *contra Judæos* c. 9., Hebræis haud insolens esse, ut *vocari* sumant pro *esse*: unde ea verba: *vocabitur nomen ejus Emmanuel*, idem significant, ac *erit nobiscum Deus ad salvandum nos*.

etione convenit ... Christus commune dignitatis est nomen, Jesus proprium vocabulum Salvatoris. Nunc quædam de ipsius Incarnationis Dominicæ notione.

6. Incarnationis nomen quanquam apud purioris linguæ latinæ cultores non inveniatur, passim tamen a Theologis usurpatur ad designandum magnum illud pietatis Sacramentum, quo *Verbum caro factum est*, ut dicitur Joann. I. 15. Eadem voce etiam Sancti Patres latini usi sunt, atque inter ceteros elegantissimus Sanctus Leo in celebri illa Epistola ad Flavianum XXVIII. alias 10., ubi integram exponit hujus mysterii orthodoxam fidem, quam tamen totam contineri dicit in illis tribus Symboli articulis, quibus „ *Fidelium universitas profitetur credere in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum, filium* „ *ejus unicum, Dominum nostrum, qui natus* „ *est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine;* quibus tribus sententiis omnium fere hæreticorum „ machinæ destruuntur (*a*). " Multis aliis nominibus a Sanctis Patribus cum græcis, tum latinis hoc mysterium appellatum fuit, scilicet *œconomiæ, incorporationis, confœderationis*, ac præcipue *inhumanationis* (*b*). Sed modo apud Theologos fere nullum aliud nomen occurrit, quam *Incarnationis*, tum propter mox laudata verba S. Joannis *Verbum caro factum est*, tum etiam propter alia S. Pauli 1. ad Timot. III. 16. *Magnum est pietatis Sacramentum quod manifestatum est in carne*. Hinc potius a carne, quæ visibilis est, quam ab anima invisibili sumpta est denominatio. Et hæc quidem de nomine Incarnationis. Nunc pauca de re ipsa.

7. Incarnatio definiri potest ex S. Augustino Lib. XIII. *de Trin.* cap. 17. laud. a S. Thoma 3. P. quæst. 1. *Conjunctio divinæ naturæ cum humana, ut ex duabus istis natura fiat una Persona Verbi divini.* Conjunctio autem ista, seu ut communiter (licet minus latine) dici solet, *unio* non est moralis tantum, vel accidentalis, sed *substantialis, & hypostatica*, qua scilicet duæ diversæ naturæ, divina, & humana adeo arcte & perfecte conjunguntur, ut unum resultet suppositum, nempe Christus, ex duabus ipsis naturis impermixtis & inconfusis compositus.

8. S. Thomas Lib. IV. *cont. Gent.* cap. 59. ita totum arcanum divinæ Incarnationis mysterium paucis comprehendit: *Oportet dicere quod in Christo sit una natura divina perfecta, & humana perfecta, ex anima scilicet rationali, & humana carne constituta; & quod hæ duæ naturæ unitæ sunt in Christo non per solam inhabitationem, neque accidentalis modo, ut homo unitur vestimento, neque in sola personali habitudine, & proprietate, sed secundum unam hypostasim, & suppositum unum. Hoc enim solum modo salvari possunt ea, quæ in Scripturis circa incarnationem traduntur.*

9. Prosequitur porro Angelicus capitibus seq., & hæc omnia aliquanto uberius declarat, observans primo, fidem catholicam docere, factam esse duarum naturarum unionem *in persona*, non *in natura*; illa enim uniuntur in natura, ex quibus constituitur integritas speciei alicujus; sicut anima, & corpus uniuntur ad constituendam speciem animalis, & universaliter quæcumque sunt partes speciei. Est autem impossibile, quod alicui speciei in sua integritate jam constitutæ aliquid extraneum uniatur *in unitatem naturæ*, nisi species solvatur. Cum enim species sint sicut numeri, in quibus quælibet unitas addita, vel subtracta variat speciem, si quid ad speciem suam jam perfectam addatur, necesse est, aliam speciem esse: non igitur conjunctio naturæ humanæ jam perfectæ fieri potuit cum natura divina in ipsa *natura*.

10. Facta est ergo hæc conjunctio *in persona*; neque enim personæ repugnat, ut aliqua eidem uniantur, quæ ad ejus naturam non pertinent, ut homini; personæ plura accidentia uniuntur; vel extrinsece tantum, ut annulus, aut vestimentum; vel etiam intrinsece, ut suot corporis, animique diversæ dotes. Ita quidem accidit in personis, vel suppositis creatis; unde Nestorius deceptus est, putans, eodem modo factam esse duarum naturarum conjunctionem in Dominica incarnatione, scilicet *accidentaliter* tantum; quasi humana natura se haberet ad Verbum, sicut templum quoddam, in quo ipsum Verbum habitaret: unde etiam consequebatur, duas esse in Verbo incarnato personas; alteram nempe humanam, alteram divinam, quæ primæ moraliter solum coujungeretur. Et hæc fuit Nestorii hæresis merito ab Ecclesia proscripta.

11. Necessarium est igitur ponere, talem fuisse unionem Verbi, & hominis, ut neque ex duabus una

(*a*) Integra describenda esset illa dogmatica epistola, in qua sanctissimus, eloquentissimus Pontifex Flaviano Episcopo Constantinopoli. exponit, *quid Catholica Ecclesia universaliter & Sacramento Dominicæ Incarnationis credat, & doceat*: ut ipse S. Leo scripsit Theodosio Augusto epist. XXIX. Quanta autem fuerit apud omnes Fideles ejusdem epistolæ auctoritas, multis veterum testimoniis ostendi posset. Sed in præsentiarum sufficiat communis illa Patrum Concilii Chalcedonensis acclamatio, Act. IV. *Qui non consentit epistolæ Sanctissimi Episcopi Leonis, hæreticus est.* Videri etiam potest doctrina Incarnationis Verbi Dei breviter, accurate collecta in Symbolo *Quicumque*.

(*b*) Hoc præcipue vocabulo multi utebantur, quia aptius videbatur ad excludendum insanum Apollinaris errorem, quod Verbum assumpserit carnem sine mente. Vocabulo *inhumanationis* utentes significare volebant, a Verbo assumptam fuisse totam humanam naturam. Græci hanc inhumanationem vocabant ἔνσαρκωσιν, & S. Athanasius suum de Incarnatione orationem ita inscripsit περὶ τῆς ἐνσάρκου φύσεως, Sermo de inhumanatione Verbi Tom. I.

una natura conflata sit, neque Verbi ad humanam naturam talis fuerit nuio sicut est alicujus substantiæ, puta hominis ad exteriora, quæ accidentaliter se habent ad ipsum, ut domus, & vestimentum: sed Verbum in humana natura, sicut in sibi propria facta per incarnationem, subsistere ponatur, ut & corpus illud vere sit corpus Verbi Dei, & similiter anima, & ita Verbum Dei vere sit homo. Et quamvis hæc unio perfecte ab homine non valeat explicari, tamen secundum modum, & facultatem nostram ita pergit Angelicus id exponere ad ædificationem fidei catholicæ, ut contra infideles defendatur.

12. Utitur autem exemplo conjunctionis animæ cum corpore, quia in rebus creatis nulla invenitur major similitudo: ac propterea ea usus est etiam auctor Symboli *Quicumque*, dicens: *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus*. Sed cum anima rationalis uniatur corpori, & sicut materiæ, & sicut instrumento, non potest esse similitudo, quantum ad primum modum unionis: sic enim ex Deo, & homine fieret ttna natura, cum materia, & forma proprie constituant naturam speciei. *Relinquitur* ergo similitudo conjunctionis animæ corpori, velut *instrumento*; unde etiam Sancti Patres naturam humanam appellarunt *organum*, vel *instrumentum* Divinitatis, sicuti corpus est organum animæ.

13. Verum hic acute observat S. Doctor, corpus esse instrumentum animæ, non *extrinsecum*, sicut dolabra est instrumentum extrinsecum artificis; sed *intrinsecum*, ut manus est pariter ejusdem artificis instrumentum, sed intrinsecum; per dolabram enim possunt multi artifices operari, sed hæc manus est proprium instrumentum, nisi hujus artificis, eidem unitum. Sic igitur & in unione Dei, & hominis ad ipsum considerari potest. Omnes enim homines comparantur ad Deum, ut quædam instrumenta, quibus operatur. Sed alii homines comparantur ad Deum, quasi instrumenta *extrinseca*, & separata; inoventur enim a Deo, non ad operationes proprias sibi tantum, sed ad operationes communes omni rationali creaturæ, ut est intelligere veritatem, diligere bona, & operari justa. Sed humana natura in Christo assumpta est, ut instrumentaliter operetur ea, quæ sunt operationes propriæ solius Dei, sicut est mundare peccata, illuminare mentes per gratiam, & introducere in perfectionem vitæ æternæ. Comparatur igitur humana natura Christi ad Deum, sicut instrumentum proprium & conjunctum, ut manus ad animam.

14. Ita fere iisdem verbis noster S. Præceptor, observans tamen in fine c. 41., prædicta exempla non sic posita esse, ut omnimoda similitudo sit in his requirenda; intelligendum est enim, Verbum Dei multo sublimius, & intimius humanæ naturæ potuisse uniri, quam anima cuicumque proprio instrumento. Et licet Verbum Dei sua virtute penetret omnia, utpote omnia conservans, & portans; creaturis tamen intellectualibus, quæ proprie Verbo perfrui possunt, & ejus participes esse, ex quadam similitudinis affinitate, & eminentius, & ineffabilius potest uniri.

15. Hæc aliquanto fusius præmittenda erant; primo ut Theologiæ tyrones si non plenam, & accuratam, sufficientem saltem totius mysterii cognitionem haberent, ut eo facilius exortas contra ipsum hæreses cognoscere, & refellere valeant: tum etiam ut quædam argumenta ex fallaci nostra ratione deprompta, quibus Ethnici & Judæi, eorumque adstipulatores Sociniani, hoc mysterium, ut plane absurdum, atque impossibile explodere nituntur, facilius dissolvantur; inde enim plerumque oriuntur, quod recta, & accurata hujus sublimis, atque arcani Sacramenti notio non habeatur; ut ex seq. capite constabit.

CAPUT II.

Solvuntur quædam subtiles Philosophorum rationes, quibus Ethnici, Judæi, Sociniani, aliique probare conantur, mysterium Dominicæ incarnationis esse absurdum, & impossibile.

16. S. Augustinus Lib. X. *De Civ. Dei* cap. 29. Tom. VII. Platonicos Philosophos alloquens, eos opportune monebat, *humilitate opus esse*, ut credatur; Deum assumpsisse humanam carnem, ut Catholica fides nobis credendum proponit. Et postquam nonnullis exemplis ex eorum Philosophia petitis ostenderit, hoc arcanum mysterium esse possibile, & credibile, ita eos arguebat: *Quid causæ est, cur ... Christiani esse nolitis, nisi quia Christus humiliter venit, & vos superbi estis? ... Quod iterum dico: Christus humilis est, vos superbi.* Et quamvis argumentis a solo rationis lumine ortis *directe* nequeamus Ethnicis demonstrare, Verbum divinum esse factum carnem (*a*), possumus tamen vanas eorum argutias refellere, quibus magno, sed inutili molimine nituntur probare, hoc mysterium esse impossibile, adeoque a Religione eliminandum.

PRO-

(*a*) Dixi *directe*; certum enim *indirecte*, seu ex evidentibus, ut dici solet, *credibilitatis motivis* hoc mysterium sicuti & omnia demonstrari, quia evidentibus argumentis constat, illud a Deo, falli & fallere nescio, fuisse revelatum. Qua de re nos etiam egimus primo Tomo Isagogico P. I.; & digna est, quæ legatur S. Augustini epistola CXXXVII. ad Volusianum n. 16. T. II., ubi solita sua facundia breviter omnia ea argumenta exponit, quibus adversus Judæos, & Gentiles manifeste ostenditur, veram esse Religionem a Jesu Christo nobis promulgatam; unde postea consequitur, etiam verum esse mysterium Dominicæ incar-

PROPOSITIO.

Nulla est repugnantia in divinæ incarnationis mysterio; adeoque impossibile Deo non est.

17. Id autem probatur primo, quia non debet reputari impossibile, nisi illud solum, quod apertam involvit contradictionem; ut enim dicitur Lucæ XVIII. 27.: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum;* atqui nulla est repugnantia, aut contradictio quod Verbum divinum sibi copulet arctissimo, & indissolubili vinculo naturam humanam; nullum quippe hacteuus allatum est, aut afferri potest argumentum, quo ostendatur, hoc ineffabile divinæ bonitatis mysterium rectæ, sanæque rationi repugnare: ergo &c. Hoc argumento usus est Archangelus Gabriel, quando B. Mariæ Virgini arcanum hoc mysterium ad credendum proposuit, inquiens Lucæ I. 37. *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

18. Secundo. Non repugnat, plures Personas in una eademque numero natura inveniri, quemadmodum de Sanctissimæ Trinitatis mysterio demonstratum a nobis fuit (Tomo III. Dissert. I. cap. 4.): neque igitur repugnabit, duas naturas, divinam, & humanam in uno supposito conjungi.

19. Tertio aliquam hujus mysterii similitudinem, tametsi longissime distantem, nobis suppeditat conjunctio animæ cum corpore ad individuum hominem constituendum; quamvis enim anima sit naturæ a corpore omnino diversæ, utpote spiritualis, potuit tamen divina omnipotentia ita utrumque conjungere, ut una inde resultaret humana natura: pari ergo ratione potuit Deus naturam humanam sibi tam arcte copulare, ut unum exurgeret suppositum divinum in duabus naturis subsistens (*a*).

20. Obj. primo. Si Deus humanam naturam *hypostatice* assumpsisset, aut esset immutus in corpus, aut saltem esset virtus in corpore; atqui utrumque Deo, enti simplicissimo repugnat; ergo etiam repugnat Deum incarnari.

21. Resp. ex doctrina Incarnationis superiore capite exposita, Verbum divinum non fuisse in carne conversum, nec ipsi ita unitum, quasi esset corporis forma, sed humanam naturam in se perfectam divinæ copulatam fuisse in unitate suppositi; unde non sequitur, Verbum esse virtutem in corpore, cujusmodi est anima humana, quæ est forma corporis substantialis.

22. Neque huic conjunctioni humanæ naturæ cum divina obstat infinita inter utramque distantia: ut enim bene observat S. Thomas in III. *Sent.* Dist. I. quæst. 1. art. 1. ad 3., quamvis inter illas duas naturas infinite distantes non sit proportio *entitatis & commensurationis*, est tamen quædam *proportio ordinis*, scilicet potentiæ activæ Dei, quæ est infinita, & potentiæ passivæ in creatura; quo fit, ut Verbum divinum potuerit humanam naturam in consortium divinæ assumere.

23. Urgent tamen dicentes, a Deo non potuisse assumi malitiam, quæ non magis distat a summa bonitate, quam humanitas a Deo.

24. Respondet autem S. Th. 3. P. q. 1. art. 1. ad 3., humanam naturam esse institutam a Dei sapientia, & ordinatam ad Dei bonitatem, non sic autem malum culpæ, quod committitur *per recessum ab arte divinæ sapientiæ, & ab ordine divinæ bonitatis;* potuit ergo prima a Deo assumi, non autem malitia.

25. Obj. secundo. Si divina Persona Verbi vere assumpsisset naturam, facta fuisset de novo subsistens in natura humana: ergo fuisset substantialiter mutata; quod Deo enti immutabili repugnat.

26. Resp. totam mutationem factam esse in natura humana, quæ fuit a Verbo assumpta in consortium divinæ naturæ, & secundum hanc solam dicitur Verbum in utero Virginis conceptum, natum, passum, & mortuum: non autem in natura divina, quæ æterna est & immutabilis. Quamobrem observat S. Augustinus in Lib. LXXXIII. *Quæst.* quæst. 73. T. VI. Apostolum dixisse de Unigenito Filio Dei, quod habitu sit inventus ut homo ad Philipp. II. 7., ut intelligeremus *non mutatum esse Verbum* susceptione hominis, sicut nec membra veste induta mutantur (*b*).

27. Dices. In incarnatione Verbum humanitati vere, & intrinsece unitum dicitur, cui antea uni-

---

nationis, quod doctrinæ Christianæ caput, & fundamentum est.

(*a*) Subtiliores Scholastici non immerito observant, dupliciter demonstrari posse aliquid esse possibile, nempe *positive*, quando *directe* probatur vel ex causa, vel ex effectu aliquid a Deo fieri posse; *& negative*, quando solum argumenta solvuntur, quæ contra rei possibilitatem afferuntur. Primo modo communiter negatur, probari posse, incarnationem Dei esse possibilem, quia ipsius nulla alia est causa, nisi impenetrabilis Dei voluntas; nec in rebus naturalibus ullus est ipsius effectus, cum ipsa sit ordinis supernaturalis: restat ergo, ut allatæ rationes non concludant, nisi mere *negative*; quod amplius apparebit in solutione argumentorum. Seclusa tamen hac Scholasticorum subtilitate, nobis sufficit argumenta Gentilium, Judæorum, ac Socinianorum, quibus hoc mysterium impossibile esse, & rationi repugnare contendunt, ex ratione ipsa refellere.

(*b*) Obiter notamus, hanc similitudinem vestimenti cante accipiendam esse, ne in errorem illorum incidamus, qui humanitatem a Verbo assumptam esse docebant *modo accidentali*, ut ab homine assumitur vestimentum, quos confutat S. Thomas L. IV. *Cont. Gent.* cap. 37.; & nos etiam suo loco confutabimus.

mitum non erat; sed hoc sine mutatione aliqua intelligi nequit: ergo &c.

28. Resp., hanc Verbi unionem humanitati factam esse per solam mutationem humanitatis, quæ a divina Persona assumpta est, non autem per mutationem ipsius divinæ Personæ assumentis, quæ nullam inde perfectionem acquisivit. Sicuti si nova crearetur a Deo nostræ telluris portio, nulla inde fieret in sole mutatio, qui eam radiis suis illuminaret; neque ulla soli perfectio accresceret, quanquam hæc omnia rerum creatarum exempla infinite distant ab eo mysterio, cujus nulla est, aut esse potest in rebus creatis similitudo.

29. Dices. Deus in incarnatione novas, ac reales denominationes acquisivit, nempe hominis, passibilis, mortalis &c., quas antea non habebat; sed novæ istæ, ac reales denominationes non possunt oriri, nisi ex aliqua intrinseca ipsius mutatione, per acquisitionem novæ alicujus formæ: ergo &c.

30. Resp., reipsa novam formam, nempe humanam naturam a Verbo divino incarnato fuisse susceptam, non intrinseca aliqua sui mutatione, *sed solum* extrinseca terminatione, ut exemplo *radiorum* solarium mox explicatum est, qui sine *ulla* solis mutatione extenderentur etiam ad illam telluris portionem, quæ esset de novo creata. Hinc vere Filius Dei dicitur homo factus, passus, & mortuus in illa natura assumpta.

31. Ad pleniorem autem hujus difficultatis solutionem afferenda est doctrina S. Thomæ 2. P. quæst. 16. art. 6. ad 2., ubi explicans illam propositionem: *Deus factus est homo*, inquit: „ Fieri importat, quod aliquid prædicetur de novo „ de altero. Unde quandocumque aliquid de novo „ prædicatur de altero cum mutatione ejus, de „ quo dicitur, tunc fieri est mutari: & hoc contingit in omnibus, quæ *absolute* dicuntur: non „ enim potest albedo, aut nigredo de novo advenire alicui, nisi per hoc, quod de novo mutatur ad albedinem, vel nigredinem. Ea vero, „ quæ *relative* dicuntur, possunt de novo prædicari de aliquo absque ejus mutatione: sicut homo de novo fit dexter absque sui mutatione per „ motum illius, qui sit ei sinister. Unde in talibus non oportet, omne quod dicitur fieri, esse mutatum, quia hoc potest accidere per mutationem alterius ... Esse autem hominem convenit Deo ratione unionis, quæ est relatio quædam. Et ideo esse hominem prædicatur de novo de Deo, absque ejus mutatione, per mutationem humanæ naturæ, quæ assumitur in divinam personam &c. “. Hæc S. Thomas, ex quibus multæ adversariorum objectiones resolvuntur.

32. Dices tertio. Si Angelus carnem humanam ita assumeret, ut ejus substantia ad illam terminandam extenderetur, quomodo nos dicimus de incarnatione Verbi, certum est, hoc sine intrinseca Angeli mutatione fieri non posse: ergo pariter Verbi incarnatio sine ejusdem intrinseca mutatione fieri non potuit; adeoque est impossibilis.

33. Resp. neg. cons. Cum enim Angelus infinite perfectus non sit, addita ei natura humana adderetur etiam aliqua nova perfectio, adeoque fieret intrinseca aliqua ipsius mutatio. Hoc discrimen affert S. Thomas in III. *Sentent.* Dist. I. quæst. 1. art. 1. ad 2. inquiens: *Quod est perfectum in se, non unitur alteri ad acquirendam, sed ad communicandam perfectionem. Et sic Deus homini uniri voluit non propter se, quia non habet, quo crescat ejus perfectio, sed propter hominem, cui subveniendum erat.* Et hæc etiam est ratio, propter quam Deus mutari nequeat, quia cum sit ens perfectissimum, nullam potest perfectionem acquirere, vel amittere.

34. Obj. tertio. Unius, ejusdemque rei essentia, seu natura non potest esse nisi una; alias res bis, aut sæpius existeret, quod repugnat: ergo etiam in Deo non potest esse nisi una essentia, seu natura.

35. Resp., cujuslibet rei subsistentis esse unam naturam tantum, *per quam simpliciter esse habet*; & sic verbum Dei per solam naturam divinam *simpliciter* esse habet, non autem per naturam humanam, sed per eam habet, quod sit homo; unde non bis habet existentiam; quemadmodum nec homo bis dicitur existere ex eo, quod novam existendi formam, priore non deperdita, acquirat, quamvis hæc peritas, ut omnes aliæ ductæ a rebus creatis, infinite a mysterio incarnationis deficiat.

36. Obj. quarto. In Divinis propter summam simplicitatem persona idem est cum natura; sed humana natura non potest esse idem cum divina persona: impossibile est ergo divinam hypostasim subsistere in humana natura.

37. Resp., naturam divinam, per quam Verbum ab æterno subsistit, debere idem esse cum divino Verbo, neque ab eo posse *realiter* distingui: non sic autem naturam humanam, quam ad suam subsistentiam trahit, ut in ea subsistat: unde non oportet, quod natura humana sit idem cum persona divina. Ita S. Thomas.

38. Obj. quinto. Natura in se considerata est magis simplex, & generalis, quam hypostasis, quæ in ea subsistit; natura enim, quæ in se considerata est communis, individuatur per hypostasim. Si igitur divina hypostasis subsistat in humana natura, sequetur, humanam naturam esse simpliciorem, quam sit divina hypostasis; quod est absurdum.

39. Resp., hypostasim Verbi non constitui simpliciter per humanam naturam, ut per eam sit; sed solum ut per eam sit homo; per naturam autem divinam simpliciter, & absolute constitui hypostasim, seu personam Verbi, ut sit: unde natura divina non est reipsa simplicior, quam Verbum, sed solum nostro intelligendi modo. Aliter autem est natura humana, per quam Verbum

non habet, ut absolute sit, sed ut sit hic homo.

40. Et sic etiam eadem de causa non constituitur hypostasis Dei Verbi *simpliciter per hanc naturam signatam;* sed solum per humanam naturam constituitur hic homo subsistens in persona divina; cum jam ab æterno hæc ipsa hypostasis per divinam naturam sibi a Patre communicatam sit ejusdem Patris, Filius, & Verbum.

41. Obj. sexto. Est in mysterio incarnationis contradictio manifesta; dicitur enim natura humana integra, & omnino perfecta a divino Verbo assumpta, ut in ejusdem Verbi persona subsistat; carebit ergo propria subsistentia, adeoque perfecta non erit. Præterea intelligi non potest, quomodo possit natura humana a propria subsistentia separari eaque privari; quia subsistentia non distinguitur a rei essentia, & persona definiri solet ex Boetio *naturæ rationalis individua substantia.*

42. Resp., nihil derogari, imo maximam perfectionem addi naturæ humanæ ex eo, quod loco propriæ subsistentiæ divinam acquirat, subsistendo in Persona divina: posse autem eamdem naturam humanam propria subsistentia privari, dubitandum non est, cum in sola divina natura propter summam ejusdem simplicitatem, idem omnino sit essentia, & subsistentia; qua de re videndus est S. Thomas I. P. quæst. 3. art. 3., & quæst. 29. art. 2. ad 3. Definitionem autem Boetii jam explicuimus Tom. III. pag. 53. n. 213. cum S. Thoma I. P. quæst. 30. art. 1. ad 1., quod Boetius *per individuam substantiam* intellexerit *substantiam.* Cum autem a Verbo incarnato fuerit assumpta natura humana sine propria subsistentia, hinc factum est, ut unica sit in Christo persona, non duplex.

43. Obj. ult. Deus sua immensitate omnia replens, naturæ humanæ etiam sine incarnatione erat essentia sua intime conjunctus; intelligi itaque non poterit, quænam sit hæc nova conjunctio naturæ humanæ cum persona divina, quæ dicitur facta in Verbi incarnatione.

44. Resp., Deum utique per suam essentiam omnibus rebus esse intime præsentem, quemadmodum in II. Tomo probatum fuit; sed non est in omnibus eodem modo. *Tribus enim modis*, inquit S. Thomas lect. 2. in cap. II. epist. ad Coloss., *est Deus in rebus: unus est communis per potentiam, præsentiam, & essentiam: alius per gratiam in Sanctis: tertius modus est singularis in Christo per unionem*, scilicet hypostaticam. Hinc etiam superius n. 13. vidimus cum eodem S. Thoma, homines, & quascumque res creatas comparari ad Deum ut instrumenta *extrinseca, & separata;* humanam vero naturam in Christo assumptam fuisse, *sicut instrumentum proprium, & conjunctum, ut manus ad animam.* Vid. Angelicus Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 41.

45. Scholion. Opportunum duximus sin minus omnes, saltem præcipuas difficultates enodare, quibus Dominicæ incarnationis hostes eam, ut impossibilem, & absurdam ad superstitiosas fabulas amandandam esse blaterant; qua in re exemplum S. Thomæ præceptoris nostri secuti sumus in Lib. IV. cont. Gent. cap. 40. & 49. Non autem tempus inutiliter terendum esse censemus in subtilioribus aliis Scholasticorum quæstionibus, quas etiam S. Doctor intactas reliquit (a).

46. Quæres primo, an Deus potuit assumere naturam Angelicam?

47. S. Thomas 3. P. quæst. 4. art. 1. ad 3. opinionem quorumdam respuit, qui ideo dicebant, naturam Angelicam non potuisse a Deo assumi, quia a principio suæ creationis erat in sua *personalitate* perfecta, cum non subjaceat generationi, & corruptioni: unde non posset in unitatem divinæ personæ assumi, nisi ejus *personalitas* destrueretur, quod non videtur conveniens. Respuit inquam Angelicus hanc sententiam; *quia posset Deus producendo noram Angelicam naturam copulare eam sibi in unitate personæ; & sic nihil præexistens ibi corrumperetur.*

48. Negat tamen S. Doctor, congruum fuisse, ut Deus assumeret naturam Angelicam, quia peccatum Angelorum irremediabile erat, Apostolo Petro dicente in secunda epist. cap. II. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit excruciandos.* Cur autem peccatum Angelorum esset irremediabile, non una afferri potest ratio ex sanctis Patribus.

49. Prima illa est, quam affert S. Jo. Damascenus Lib. II. *de fide orthod.* cap. 4. nempe *quod hominibus est mors, hoc fuisse Angelis lapsum*: peccando igitur Angelus fuit in termino, post quem mereri amplius non potest, sicut homo moriendo meriti incapax fit. Quia igitur homo peccando non statim mortuus fuit corpore, facultatem merendi non amisit; & ideo Reparator ei datus fuit, cujus gratia a lapsu resurgere potest.

50. Altera ratio hæc affertur, quod non tota natura Angelica in peccatum sit lapsa, sicut tota lapsa fuit natura humana primo homine peccante: ne

(a) Petrus Dan. Huetius nonnulla ex fabulosis Gentilium historiis erudite collegit, ut ostenderet, eorum Sapientibus visum non fuisse impossibile hoc Deorum cum hominibus commercium, ut aliqui eorum humanam naturam assumerent. Id pariter concludit contra Mahumetanos cum ex eorum Alcorano, tum quia Achmetus ben-Haget confiteri non dubitavit, Christum esse Dei Verbum æternum. Multo felicius, ut ego quidem arbitror, illustrissimus hic Scriptor id ipsum demonstrat contra Judæos ex eorum Talmudicis libris, in quibus nonnulla aliquando apparent veteris apud Hebræos doctrinæ, Deum ipsum venturum in mundum ad redemptionem Israel. Vide Sect. I. cap. 9.

ne igitur tota natura humana in damnatione maneret, misit Deus Filium suum Unigenitum ad eam redimendam.

51. Addi potest, hominem non ita libere peccasse, sicut peccavit Angelus, qui nulla externa tentatione pulsatus ex pura malitia Deo creatori suo factus est rebellis: homo vero ab Angelo seductore fuit ad peccandum sollicitatus; quamobrem minus indignus reputari potest. Quæ ratio etiam magis valet de Adæ posteris, qui non propria, sed Adami voluntate peccarunt.

52. His tamen, aliisque rationibus non obstantibus, debemus imperscrutabilia judicia Dei etiam hac in parte humiliter adorare; qui sicut ex hominibus multos perire permittit, quamvis posset salvare omnes, ita etiam nemini ex infinita propemodum Angelorum peccantium multitudine necessarium salutis remedium afferre voluit. Eo igitur majores Deo gratias habere debemus, quo magis singulare est beneficium nobis collatum.

53. Quæres secundo, an Deus debuerit assumere naturam humanam ex stirpe Adami?

54. Respondet S. Augustinus Lib. XIII. *de Trinit. cap.* 17. & 18. Tom. VIII. „ pertinuisse ad „ justitiam, bonitatemque Creatoris, ut per eamdem rationalem creaturam superaretur diabolus, „ quam se superasse gaudebat, & de ipso genere „ venientem; quod genus, origine vitiata per unum, tenebat universum. Poterat enim utique „ Deus hominem aliunde suscipere, in quo esset „ mediator Dei, & hominum, non de genere illius Adam, qui peccato suo genus obligavit humanum; sicut ipsum, quem primum creavit, „ non de genere creavit alicujus. Poterat ergo vel „ sic, vel alio, quo vellet modo, creare unum „ alium, de quo vinceretur victor prioris, sed „ melius judicavit, & de ipso quod victum fuerat, genere assumere hominem Deus, per quem „ generis humani vinceret inimicum. “

55. S. Thomas 3. P. quæst. 4. art. 6. tres alias addit rationes. Primo quia videtur ad justitiam Dei pertinere, ut ille satisfaceret, qui peccaverat: de natura igitur illa humana, quæ peccato corrupta erat, debuit nasci Christus Dominus, qui pro tota natura Deo satisfaceret.

56. Secundo, quia hoc etiam pertinet ad majorem hominis dignitatem, dum ex illo genere, quod fuerat a diabolo victum, nascitur victor Diaboli; seu ut loquitur S. Leo Magnus in Serm. I. *De Nativit. D. N. J. C.*, *ut inventor mortis Diabolus per ipsam* (naturam) *quam vicerat, vinceretur*. Addit postea Sanctus Pontifex: „ In quo „ conflictu pro nobis inito, magno, & mirabili „ æquitatis jure certatum est, dum omnipotens „ Dominus cum sævissimo hoste, non in sua majestate, *sed in nostra congreditur humilitate*, „ objiciens ei *eamdem formam, eamdemque* naturam mortalitatis quidem nostræ participem, „ sed peccati totius expertem. “ Unde etiam Apostolus inquit Hebr. VII. 26. *Talis enim decebat*, *ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*.

57. Tertio quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur, dum de natura corrupta, & infirma assumpsit id, quod in tantam virtutem, & dignitatem est promotum. Hactenus Angelicus.

58. Commendatur quoque misericordia Dei, qua nos quamquam inimicos ita dilexit, ut nostram naturam indissolubili vinculo sibi conjungeret.

59. Quærit autem ibidem Angelicus, eccur Verbum divinum non assumpserit ipsam naturam Adami, qui peccaverat?

60. Respondet autem, oportuisse, Christum, qui venerat ad tollenda peccata mundi, esse sine peccato; ut nempe qui debebat alios mundare, non indigeret ipse mundari.

CAPUT III.

De causis Dominicæ incarnationis, ac præcipue de causa finali.

61. Quando quæritur de Dominicæ Incarnationis causa efficiente, sine dubio respondetur, eam fuisse totam Sanctissimam Trinitatem; Theologi enim unanimiter docent, opera, ad extra, cujusmodi est Incarnatio, esse toti Trinitati communia. Quamobrem incarnatio in sacris litteris tribuitur Patri ad Galat. IV. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*. Tribuitur item Filio, qui ut dicitur ad Philipp. II. 7., *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens &c.* Demum tribuitur Spiritui Sancto; unde Angelus Josepho in somnis dixit Matth. I. 20.: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*.

62. Sola tamen persona Filii carnem assumpsit, quia, ut supra dictum fuit, unio Incarnationis non est facta in natura divina, quæ una, eademque est in tribus Personis, sed in Persona Verbi, quæ ab aliis duabus divinis Personis *realiter* distinguitur; quod late probat S. Thomas 3. Part. quæst. 2. art. 1., & 2.; & ante Angelicum idipsum data opera demonstrandum suscepit S. Anselm. Cantuariensis in Lib. *de Incarnatione Verbi ad Urbanum Papam* contra quosdam; qui in explicando Incarnationis mysterio solum attendebant ad unitatem naturæ divinæ, non autem ad distinctionem Personarum; qua distinctione sepositâ certe sequeretur, omnes divinas Personas assumpsisse carnem humanam. S. Augustinus pluribus in locis hanc doctrinam expresse tradidit, ut in Lib. II. *de Trinit.* cap. 10. n. 18. Tom. VIII., ubi inquit: *Humanam illam formam ex Virgine Maria Trinitas operata est, sed solius Filii persona est; visibilem namque solius Filii personam invisibilis Trinitas operata est*. Et S. Fulgentius *Contra Sermonem Fastidiosi*, postquam ad hoc mysterium explicandum attulit similitudinem vocis corporeæ, quæ simul fit a memo-

moria, & a cogitatione, & a voluntate, sed a sola cogitatione suscipitur, ita concludit cap. 17.: *Quisquis hanc imaginem in mente hominis conspexerit, hæreticorum vaniloquia citius irridebit, qui carnaliter de spiritualibus sentientes nolunt credere, in illa Sancta Trinitate aliquid a tribus factum, quod ab una persona tantum fuerit divina dispositione susceptum, cum illa humana natura totius quidem Trinitatis opere sit facta, a solo tamen Filio fuerit in unitatem personæ suscepta.*

63. Neque huic doctrinæ obstat, quod natura divina sit unum, & idem cum divinis Personis; ut proinde fieri non potuerit conjunctio in divina Persona, quin etiam fieret in natura. Non inquam id obest; quia ut in Tract. *de Trinitate* docuimus T. III. pag. 51., & alibi, Personæ divinæ ab essentia distinguuntur, non quidem re, sed ratione tantum, & virtualiter. Hæc autem distinctio sufficit, ut simul concilientur plura, quæ contradictoria videntur; ut ex. gr. quod Pater communicet Filio suam ipsissimam essentiam, non tamen paternitatem, quamvis paternitas idem reipsa sit, ac essentia. Sic in nostro casu, quia conjunctio naturæ humanæ cum divina facta est, non in ipsa natura divina, quæ eadem est in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, sed in persona Filii, quæ ab aliis Personis *realiter* distinguitur, ab essentia vero *virtualiter*, Filius solus incarnatus est. Et de causa efficiente incarnationis Dominicæ satis. Nunc de causa finali, seu de fine, propter quem Unigenitus Filius Dei humanam naturam in consortium divinitatis assumpsit.

64. Et quidem propter nos homines, & propter nostram salutem Filium Dei Unigenitum descendisse de cœlo, & incarnatum fuisse, aperte profitemur in Symbolo, & multis in locis Sacrarum Scripturarum inveniemus expressum. Lucæ XIX. 10. *Venit Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat.* Paulus Apostolus epit. 1. ad Timoth. I. 15. *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Apostolus autem Joannes in sua prima Epist. cap. III. 5. indigitans verba Isaiæ LIII. 9. seq. de Messia dicentis: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra ..... & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum .... eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus*, inquiebat: *Scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.* Ac demum aliis omissis ad Gal. V. 4. inquit Paulus: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

65. Scripturis sacris conciunt Sancti Patres, qui cum varia divina attributa ip Dominica Incarnatione manifesta sæpe nobis consideranda proponant, nempe immensam Dei bonitatem, & misericordiam, infinitam ejusdem sapientiam, severam, & inflexibilem justitiam, semper hæc referunt ad nostra expianda peccata, ad delendam offensam, ad nostram redemptionem, & salutem. Non panca eorumdem testimonia mox referemus.

66. Hinc jure, meritoque Sanctus Bernardus in Tract. *de erroribus Abælardi* ad Innocentium II. acerrime hunc Novatorem objurgat, quod solus negare ausus fuerit, quod omnes Doctores tradunt, hominem fuisse sub potestate diaboli, & propterea *incarnatum esse Filium Dei, ut homo, qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis jure liberaretur a jugo diaboli.* Subdebat autem Abælardus hæc verba temeritatis plena, ac plane hæretica: *Sed ut nobis videtur, nec diabolus unquam jus aliquod in hominem habuit, nisi forte Deo permittente, ut hominem liberaret, carnem assumpsit.* Hujus erroris vehemens, sed justa confutatio in ipso S. Bernardo legatur.

67. Hæc cum fide apud omnes certa sint, quæsitum postea fuit a Scholasticis, an, si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset? Cui quæstioni affirmative respondet Scotus, & nonnulli alii cum illo. Major tamen, & melior Theologorum pars assentit S. Thomæ, qui 3. P. qu. I. art. 3. negativam sententiam ut probabiliorem tuetur; non quidem negans, id de absoluta Dei potentia fieri potuisse, alio constituto rerum humanarum ordine, sed solum reipsa id futurum esse (*a*). Pro defensione Thomisticæ sententiæ sit

PROPOSITIO.

Causa finalis Incarnationis Dominicæ fuit redemptio generis humani: quamobrem si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset.

68. Id probat Angelicus Doctor hac validissima ratione „ Ea, quæ ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra „ Scriptura traduntur, per quam divina voluntas „ nobis innotescit. Unde cum in Sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi „ hominis assignetur (vide sup. n. 64.) *convenientius* dicitur, Incarnationis opus ordinatum es-

„ se

(*a*) Dolet inter eos non multos qui Sancto Thomæ hac in parte repugnant, recenseri etiam Jacobum Nacianti ex Dominicana Familia ad Episcopatum Clugiensem assumptum, & qui in Concilio Tridentino Patrum non postremus fuit. Is enim in Enarr. in c. 1. Ep. ad Eph. T. 2. Oper. Ven. apud Junias 1567. p. 40. docet, *quod etsi decretum assumptionis carnis, decretum subsequitur permissionis culpæ .... decretum tamen assumendi hominem non tantum præcedit permissionem peccati, sed & definitionem creationis mundi.* Eadem sententia placuit etiam Catharino in Opusculo de *Prædest. Christi*, Franc. Suarez, aliisque non multis.

„ se a Deo in remedium contra peccatum, ita quod „ peccato non existente, Incarnatio non fuisset. „ Quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur; „ potuisset enim etiam peccato non existente Deus „ incarnari “.

69. Neque vero hoc argumentum est solummodo negativum; nam primo habemus etiam aliquod argumentum positivum in illa parabola Pastoris, qui reliquit nonaginta novem oves *in montibus*, *& vadit quærere eam, quæ erravit*. Matth. XVIII. 12., non iturus profecto, nisi illa ovis errasset. Deinde vis nostri argumenti nititur illi principio *positivo*, & certissimo, voluntatem Dei in iis, quæ libere ab ipsa procedunt, nobis non innotescere, nisi per revelationem, quæ in sacris litteris continetur.

70. Nec etiam dici potest, id nobis innotescere per traditionem. Nam Sancti Patres bene multi nostram sententiam aperte confirmant, ex quibus satis erit nonnullos in medium afferre. Et ex latinis primus sese offert Sanctus Ambrosius, qui in Lib. de *Incarnat.* cap. 6. de Jesu Christo loquens, *Didicisti*, inquit, *quia sacrificium de nostro obtulit. Nam quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur?*

71. Disertissime autem, & data opera hac de re tractat Sanctus Augustinus Lib. I. *de peccatorum meritis, & remissione* cap. 26. Tom. X. Part. I. inquiens: „ Nimis longum fiet, si ad sin„ gula testimonia similiter disputemus: unde com„ modius esse arbitror, acervatim cogere, quæ „ occurrere potuerint, vel quæ sufficere videbun„ tur, quibus appareat, Dominum Jesum Chri„ stum *non alium ob causam* in carne venisse, „ ac forma servi accepta factum obedientem us„ que ad mortem crucis, nisi ut hac dispensatio„ ne misericordiosissimæ gratiæ omnes, quibus „ tamquam membris in suo corpore constitutis ca„ put est, ad capessendum regnum cælorum vi„ vificaret, salvos faceret, liberaret, redimeret, „ illuminaret &c. “; quod innumeris ex Sacra Scriptura congestis testimoniis probat. Et adhuc clarius in Serm. CLXXIV. cap. 7. Tom. V. de Jesu loquens, *Quare*, inquit, *venit in mundum? Peccatores salvos facere. Alia causa non fuit, quare veniret in mundum.* Quod repetit aliis etiam in locis non paucis.

72. Accedunt duo Pontifices scientiæ, & sanctitate vere magni Leo, & Gregorius; quorum prior in Serm. LXXVII. *Si homo*, inquit, *ad imaginem, & similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset .... Creator mundi creatura non fieret*. Alter vero Lib. IV. in Lib. I. Reg. cap. 1. *Nisi Adam peccaret*, inquit, *Redemptorem nostrum carnem suscipere non oporteret. Non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret.*

73. Nec diversa est Græcorum Patrum doctrina. Nam Sanctus Irenæus Lib. V. *adv. Hæres.* cap. 14. *Si non haberet*, inquit, *caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset*. Origenes Homil. XXIV. in Numeros: *Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri; nec opus fuerat, eum in carne positum jugulari, sed mansisset hoc, quod in principio erat Deus Verbum*. Pariter Sanctus Athanasius Orat. III. cont. Arianos: *Humanæ*, inquit, *naturæ susceptionem antecedit hominum necessitas, sine qua carnem non induisset*. Et iterum de Deo loquens, *Quod autem*, inquit, *homo est factus, nunquam accidisset, nisi hominum necessitas causam præbuisset*. Ac denique nonnullis aliis omissis, S. Gregorius Nazianz. Orat. XXX. (alias XXXVI. num. 2. Tom. I.) *Quæ autem*, ait, *humanitatis a Deo propter nos susceptæ causa extitit? Profecto ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud causæ afferri possit?* Omittendus tamen non est S. Joann. Chrysostomus, qui Hom. XXXI. in Matth. de Deo homine inquit, *adeo procul abest, peccatores abominetur, ut propter ipsos solos advenerit*.

74. Hæc, & alia Sanct. Patrum verba, si bene perpendantur, nullus amplius erit illi Adversariorum exceptioni locus: quia dicunt, Sanctos Patres id solummodo intendisse docere, non existente peccato futuram non fuisse Jesu Christi passionem, & mortem, qua pro nostris culpis satisfecit, futuram tamen fuisse Dominicam Incarnationem ad alios sapientissimos divinæ Providentiæ fines; seu Christum non fuisse venturum in carne *passibili*, *& mortali*, venturum tamen in carne *immortali*, *& impassibili*.

75. Nullus inquam est huic exceptioni locus. Nam primo temere obtruditur iste Christi adventus in carne *immortali*, *& impassibili*, cujus neque in sacris paginis, neque in Sanct. Patrum operibus ulla invenitur mentio. Deinde allata superius testimonia hunc secundum Christi adventum aperte excludunt cum dicunt, *solam* incarnationis causam fuisse redemptionem generis humani a peccato, quo non existente, nequaquam Verbum fuisset carnem assumpturum.

76. Obj. primo ex sacris Litteris. Prov. VIII. 22. Sapientia incarnata dicit de seipsa: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*; hoc est ante mundi creationem, ac proinde ante peccatum Adami jam *a principio* determinata erat incarnatio divini Verbi. Hinc est etiam, quod Sanctus Paulus ad Rom. I. 3. & seq. de Christo dicit: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute*; „ id est, ut Jac. Naelanti explicat pag. 40., longe „ antequam fieret ex semine David secundum car„ nem definitus, ac decretus est Filius Dei &c. “; ita ut hujusmodi prædestinatio antecedat etiam prævisionem peccati; *quoniam*, ut idem Paulus dicit Coloss. I. 16., *in ipso sunt condita universa in cœlis, & in terra .... omnia per ipsum, & in*

in ipso creata sunt: *& ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant*. Ex quibus, aliisque id genus, quæ frequenter apud Apostolum Paulum occurrunt, colligendum videtur, Verbi divini Incarnationem fuisse in æterna Dei mente constitutam ante omnia alia, adeoque etiam ante permissionem peccati originalis.

77. Respond., primum locum ex Prov. VIII. proprie pertinere ad æternam divini Verbi generationem a Patre in natura divina, seu ad Sapientiam increatam, de qua etiam multa habentur Sapient. VII. 25. & sequ. (Vide quæ de hoc loco dicta sunt Tomo III. pag. 133. num. 94., & sequent.) Sed quoniam ab aliquibus Patribus ea verba intellecta fuere de *Sapientia incarnata*, in hac sententia facile est ea explicare hoc sensu, quod decretum Dominicæ incarnationis præcesserit ea omnia, quæ pro hominum redemptione fieri debebant; non autem ea omnia, quæ spectabant ad creationem hominis, ejusdemque lapsus permissionem. Ita enim coordinanda sunt divina decreta juxta nostrum concipiendi modum, ut primo Deus voluerit creare totam hanc rerum universitatem, ac præcipue hominem, qui ejusdem potissima pars est: deinde ex increatabili judiciorum suorum abysso voluerit permittere hominis lapsum: ac demum singulari sua bonitate decreverit ejusdem reparationem per Verbum divinum incarnatum.

78. Dices. In eodem cap. VIII. Prov. vers. 31. eadem divina Sapientia inquit: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*: ergo etiam Adamo non peccante cum filiis hominum habitasset.

79. Respond., germanum illius textus sensum esse, Verbum divinum lætari in omnibus operibus a se creatis, præcipue vero in hominibus, quos ad imaginem, & similitudinem suam formavit; nude non sequitur, etiam Adam non peccante fuisse Verbum divinum cum hominibus habitaturum.

80. Quantum vero spectat ad Apostoli verba ex epist. ad Rom. *Qui factus est ei ex semine David* &c. rejiciendus omnino est Nachanti commentarius, quod scilicet Christus fuerit absolute prædefinitus, & prædestinatus, antequam prædestinaretur nasciturus *secundum carnem passibilem* ex semine David; sed obvius, & naturalis eorum verborum sensus est, Christum, qui factus est ex semine David secundum carnem, fuisse jam ab æternitate prædestinatum filium Dei secundum spiritum sanctificationis. Vide quæ de hoc loco S. Pauli dicta sunt Tom. III. pag. 127. num. 10. & seq.

81. Textus demum Apostoli ad Coloss. I. intelligendus est de divina Persona Verbi, per quod omnia facta sunt, & sine quo nihil factum est, ut dicitur in principio Evangelii Sancti Joannis. Neque vero refert, quod ibidem Sanctus Paulus quædam admisceat, quæ Jesu Christo conveniunt secundum humanam naturam: potuit enim recte loqui de Verbo, modo secundum naturam divinam, quam a Patre accepit per æternam generationem, modo secundum naturam humanam, quam temporali nativitate assumpsit. Imo quodam sensu etiam de Christo dici potest, *in ipso esse condita universa in cœlis, & in terra*; quia, ut docet Sanctus Thomas I. Parte quæst. 57. art. 5. ad 1., mysterium incarnationis *est quo dam generale principium, ad quod omnia eorum* (Angelorum, imo & hominum) *officia ordinantur*.

82. Dices primo. Idem S. Paulus in laud. loco ad Coloss. Christum vocat *primogenitum omnis creaturæ*; non utique quasi existerit ante alias creaturas; sed quia ante omnes creaturas prædestinatus fuit.

83. Resp., Christum dici *primogenitum omnis creaturæ* dignitate, atque excellentia, seu, ut loquitur S. Hieronymus hunc locum commentans, *non tempore, sed honore*. Nec insolens est apud sacros Scriptores hujus vocis usus ad indicandam dignitatem; ut cum Exodi IV. 22. Deus vocat Israel *primogenitum suum*; & Psalm. 88. 28. de Davide inquit: *primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ*. Hinc est etiam, quod idem Apostolus in eodem loco Christum appellat *primogenitum ex mortuis, ut sit in omnibus primatum tenens*.

84. Dices secundo. Prosequitur S. Paulus, dicens vers. 19. seq. *Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare; & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*; quibus significat Apostolus, Christum esse caput non solum hominum, sed etiam Angelorum, qui utique redemptione non indigebant: adeoque etiam homine non peccante, Verbum incarnatum iri.

85. Respond., si vera esset Adversariorum interpretatio, debuisse Christum, homine non peccante, venire in *carne passibili, & mortali*; de ea enim loquitur Apostolus, cum dicit *per sanguinem crucis ejus*; quod tamen Adversarii negant. Recta igitur, & communis ejus loci intelligentia est, quam affert Sanct. Augustinus in *Enchirid.* cap. 61.; & seq., videlicet per sanguinem Christi sublato peccato, etiam sublatam fuisse discordiam inter homines, & Angelos; istis enim erant homines invisi propter peccatum. Non quasi per sanguinem Christi reconciliati fuerint Angeli Deo; nam aliqui eorum in gratia semper perseverarunt; alii autem, qui a gratia exciderunt, nunquam reconciliati sunt; neque pro Angelis sanguinem suum in Cruce Christus effudit (*a*).

86. Ob. 2. Ex nostra sententia manifeste conse-

(*a*) Allegatur quidem Sanctus Hieronymus qui in Comment. ad c. 1. ep. ad Eph. inquit: *Cruce Christi non tantum ea, quæ in terris, sed etiam ea, quæ in cœlis, sunt, purgasse perhibetur*. Sed fortasse Doctor

quitur, fuisse Verbum ab æterno præordinatum filium David propter nos homines, & propter nostram salutem; atqui Sancti Patres hoc detestantur, tamquam Arianam impietatem. Nam Sanctus Cyrillus Alexandrinus in *Thesauro* inquit: *Si propterea creatum esse Filium dicunt* (Ariani), *ut nos Deus per ipsum crearet, videant in quantam impietatem labantur. Videtur enim hoc pacto, ipsum propter nos, non autem nos propter ipsum factos esse; & nos quidem opus, ipse vero operis instrumentum. Hoc igitur nobis acceptum ferat, quod sit constitutus propter nos. Si autem propter nos creatus est Filius, non vero nos propter ipsum, erimus profecto nos illo præstantiores; quemadmodum Adam præstantior est muliere propter ipsum facta.* Haud dissimiliter pugnabat contra Arianos S. Athanasius Orat. II., ostendens, non hoc solum, sed plura consequi absurda, si dicatur propter nos, & propter nostram salutem Verbum carnem assumpsisse.

87. Resp., sanctos Patres Cyrillum, & Athanasium contra Arianos disputasse non de Incarnatione, quæ propter nos utique facta est, seu ad satisfaciendum justitiæ divinæ propter nostra peccata, sed de æterna Verbi generatione, quam illi impie negabant, & stulte comminiscebantur, Verbum fuisse factum ab æterno Patre ut per ipsum omnes creaturæ producerentur, quomodo Deus *per Moysem populum deduxit ex Ægypto, & per eumdem legem dedit* (Athanasius ib. n. 27.). Hoc patet ex ipsis primis Cyrilli verbis: „ Si propterea *creatum* Filium dicunt, ut nos Deus per „ ipsum crearet &c. “ Clarius adhuc Athanasius n. 29.: *Si factam creaturam volens Deus creare, deque ipsa facienda deliberans, Filium secundum vos excogitat, & creat, ut nos per ipsum postea producat, quantam proferre audietis impietatem, animadvertite &c.*

88. Ceterum Sanctus Athanasius in eadem Orat. I. n. 55. loquens de nativitate Verbi in utero Virginis, manifeste nostræ suffragatur sententiæ, inquiens: *Dominus, qui nullam causam, cur sit Verbum, agnoscit, nisi tantum quod Patris & fœtus, & Sapientia est unigenita; cum fit homo, tunc causam indicat, propter quam carnem gestare debeat.* Adductis autem aliquibus Scripturæ Sacræ verbis quibus declaratur, hanc causam fuisse, testimonium reddere veritati, & dissolvere opera diaboli, ita concludit: *Itaque idcirco venit Salvator, ut testimonium perhiberet, & mortem pro nobis susciperet, ac diaboli opera dissolveret. Hæc causa est, cur carne assumpta ad nos advenerit.* Et adhuc clarius in Orat. *de Incarnat. Verbi Dei* n. 4. *Quia enim*, inquit, *sermonem habemus de Salvatoris nostri ad nos adventu, necesse est etiam de hominum primordiis loqui, quo plane perspicias nostram causam ejus adventus fuisse occasionem, nostroque peccato Verbi benignitatem excitatam fuisse, ut ad nos accederet, & inter homines Dominus appareret. Nos enim causa sumus, cur corpus assumserit, nostramque ob salutem in humano corpore nasci, & apparere benignissime voluit.* Nulla alia ratio hic affertur, ob quam Deus factus sit homo, nisi redemptio nostra, ut proinde ea non existente, Dominica Incarnatio non fuisset.

89. Dices. Etiam seposita Sanct. Patrum autoritate, ratio ipsa nos docet, hominum salutem considerari non posse, tamquam finem divinæ Incarnationis: sic enim quod infinite perfectius est, ordinaretur ad minus perfectum. Ulterius, definientibus Patribus Tridentinis Sess. IV. cap. 7. causa finalis justificationis nostræ est *gloria Dei, & Christi*: non ergo Christus venit in mundum propter nostram salutem, sed propter gloriam Dei, & suam, quam homine etiam non peccante, procurare debebat. Demum gloria Dei, & manifestatio divinorum attributorum fuit, & est primarius finis omnium operum ad extra: ergo multo magis fuit finis Dominicæ Incarnationis, quæ est maximum omnium operum Dei ad extra; ergo etiam Adamo non peccante fuisset facta incarnatio ad gloriam Dei manifestandam.

90. Resp., Incarnationem Dominicam proprie loquendo fuisse factam ad manifestandam infinitam misericordiam Dei erga hominem lapsum. Id luculenter nobis revelatum est in pluribus Sacr. Scripturarum locis; atque id ipsum constanti Sanctorum Patrum traditione constat. Huic autem divinæ misericordiæ manifestandæ locus non erat, homine non peccante. Non inficiamur, potuisse Deum suam bonitatem, ac gloriam propter alios fines, Filii sui incarnatione manifestare; sed hoc eum factorum reipsa fuisse, nonnisi temere asseritur, divina revelatione silente, immo Jesu Christo apertissime testante, nonnisi pro peccatoribus se venisse: *Non enim veni vocare justos, sed peccatores* Matt. IX. 13. & 1. ad Timoth. I. 15. *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.*

91. Neque vero jure objicitur, id, quod longe perfectissimum est, nempe infinitum divinæ Incarnationis opus, ad minus perfectum, scilicet ad hominum salutem ordinari. Non inquam: cum enim hæc ipsa nostra salus sit ulterius ordinata ad manifestandam gloriam, & bonitatem Dei, finis ultimus a Deo volitus, Deoque dignissimus, est semper bonitas, & gloria divina. Hinc recte Apostolus I. ad Corinth. III. 22. dicebat: *Omnia ve-*

maximus non ita in sua sententia, sed in sententia Origenis locutus est, cujus error de Christo mortuo etiam pro Angelis damnatus fuit in quarto anathematismo Justiniani Imper. in ep. ad Mennam. De hoc capitali Origenis errore videndus Dan. Huetius in Origenianis Lib. II. Qu. 3. num. 20., & seq.

vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.

92. Multo minus recte objicitur auctoritas Patrum Tridentinorum, qui eo ipso in loco salutem nostram enumerant inter alios justificationis fines: inquiunt enim: *Hujus justificationis causæ sunt, finalis quidem gloria Dei & Christi, ac vita æterna* hominis justificati.

93. Objic. tertio. Tertullianus in Lib. *de resurrect. carnis* cap. 6. loquens de prima hominis formatione, *Quodcumque*, ait, *limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus .... Ita limus illa jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed & pignus:* ergo etiam ante Adæ lapsum, imo ante ipsius Adæ formationem, Christus prædestinatus erit, ut in carne humana appareret.

94. Resp., Tertullianum, ac nonnullos alios Patres similiter loquentes, voluisse solum significare, Christum Dominum ab æterno in mente Dei prædestinatum præcessisse creationem hominis, quæ in tempore facta fuit; non autem decretum incarnationis Verbi Dei præcessisse decretum creationis hominis, & prævisionem ejusdem peccati; ad quod hominis infortunium reparandum Deus pro immensa sua charitate voluit Filium suum unigenitum mittere. Addo, fuisse etiam Tertulliani, sicuti nonnullorum aliorum Patrum opinionem, Deum ipsum humana forma indutum plasmasse corpus primi hominis ad imaginem, & similitudinem suam; prout notavimus Tom. II. pag. 15. num. 67.

95. Objic. quarto. Aliqui Patres docent, eamdem omnino gratiam Christi fuisse collatam Angelis, ne caderent, quæ homini data fuit, ut resurgeret. Ita Sanctus Fulgentius Lib. II. ad Trasimundum cap. 3. *Non alia* (gratia) inquit, *stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare.* Clarius adhuc Sanctus Bernardus Serm. XXII. in Cant. n. 6. cum dixisset, Verbum fuisse *redemptionem* Angelis, ita postea sua hæc verba exponit: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens.* Verbum igitur, etiam non peccante Adamo, propter Angelos carnem suscepisset, ut illis gratiam conferret.

96. Respond., Sanctos Fulgentium, & Bernardum solum voluisse docere tam Angelis, quam homini divinæ gratiæ auxilium fuisse necessarium; illis ne caderent, isti ut a casu resurgeret; non tamen eodem modo, sed diverso. Illis quippe collata fuit gratia Dei Creatoris; isti autem gratia Dei Salvatoris. Audiatur ipse Sanctus Bernardus laud. in loco n. 3., ubi loquens de Verbo, quando erat apud Deum ante Incarnationem, *In principio*, inquit, *Sapientia erat, erat justitia, erat sanctificatio, & redemptio, sed Angelis.* Pergit deinde ostendere, quomodo idem æternum Dei Verbum nobis factum sit sapientia in prædicatione, justitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conversatione, quam habuit cum peccatoribus, & *redemptio in passione*, quam pro peccatoribus sustinuit. Præterea idem mellifluus Doctor Serm. in Feria IV. Hebdomad. sanctæ n. 10. postquam ostendisset, gratiam passionis Dominicæ potentissimam esse ad exhaurienda omnium peccata, subdit: *Sed quis scit, si data est mihi? Mihi data est, quia alteri dari non potuit. Numquid Angelo? Sed ille non eguit. Numquid diabolo? Sed ille non resurgit.* Non ergo gratia Salvatoris, quæ ex illius passione in nos derivatur, Angelis collata fuit.

97. Objic. quinto. Rupertus Abbas Tuitiensis in Lib. XII. *de gloria, & honore Filii hominis*, ex quo Sancti, & Electi nascituri essent etiam citra peccatum, infert, *absurdum esse putare, quod propter eos ut nasceretur, peccatum necessarium fuerit.* Et de Christo addit quod *causam necessariam non habuerit ipsum peccatum, ut homo fieret ex hominibus.* Atque hanc sententiam probat ex iis verbis Proverb. VIII. *Dominus possedit me in initio viarum suarum;* quæ sic interpretatur, ut Christus fuerit in divino consilio, atque proposito prædestinatus ante prævisionem peccati.

98. Respond., non tantæ esse Rupertum auctoritatis, ut St. Doctoribus Augustino, & Thomæ, aliisque Patribus æquiparari possit (a). Ratio vero, quam ad suam sententiam affert, judice Petavio (in fine Libri II. *de Incarnat.*) *falsa est, & falsa loci illius e Proverbiis interpretatione nititur.* Eamdem rationem Ruperti, vel admodum similem sibi objecerat Sanctus Thomas his verbis: „ Prædestinatio Dei est æterna .... ergo etiam ante peccatum necessarium erat, Filium Dei incarnari ad hoc, quod prædestinatio Dei impleretur. " Respondet autem Angelicus ad 4. *quod prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum; & ideo sicut Deus prædestinat salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædestinavit opus incarnationis in remedium humani peccati.* Vid. quæ de hoc textu S. Thomæ dicta sunt Tom. II. pag. 216. n. 239.

99. Sed ut redeamus ad Rupertum, is sibi parum constans alibi nostræ sententiæ aperte suffragari videtur. Nam Lib. II. *de operibus Spiritus Sancti* cap. 6. ita Christus alloquitur. „ Et siquidem multum tibi debemus nos, Deus Christe, quia homo factus es: & tu e contra multum no-

(a) Vide quæ de Ruperto, dicta sunt *in* Tomo IV. pag. 48. in not. (*b*) Adi-sis etiam Ludovic. Thomassinum Lib. II. *Incarn. Verbi* cap. 6.

„ nobis debes, homo Christe, quia propter nos in
„ Deum assumptus es. *Nam nisi fuissemus pec-*
„ *catores, causa, cur tu assumi in Deum de-*
„ *beres, nulla fuisset .... Nisi peccassent servi,*
„ *nec assumpta fuisset in Dominum Deum na-*
„ *tura servilis.*“

100. Obj. sexto. Sanct. Augustinus Lib. XIII. *de Trinit.* cap. 17. Tom. VII., postquam superiore capite sinuumm incarnatione Verbi nobis collatum beneficium commemorasset, scilicet liberationem a peccato, ita prosequitur: *Sunt & alia multa, quæ in Christi incarnatione .... salubriter inenuda, atque cogitanda sunt;* quæ ibidem eloquenter emmerat: non igitur sola deletio peccati fuit causa finalis Incarnationis; atque adeo etiam Adamo non peccante aliæ supererant causæ, ut Verbum Dei humanam carnem assumeret.

101. Respondet S. Thomas ad 1. „ quod omnes
„ aliæ causæ (a S. Augustino allatæ) pertinent
„ ad remedium peccati. *Si enim homo non pec-*
„ *casset*, perfusus fuisset luminе divinæ sapien-
„ tiæ, & justitiæ rectitudine perfectus a Deo. o-
„ mnia necessaria cognoscenda, & agenda. Sed
„ quia homo, deserto Deo, collapsus erat ad cor-
„ poralia, conveniens fuit, ut Deus, carne assum-
„ pta, etiam per corporalia ei salutis remedium
„ exhiberet“ (a).

102. Obj. septimo. Incarnationis mysterium Adamo revelatum fuit, ut patet ex iis verbis ejusdem Adami de Eva dicentis (Genes. II. 23.): *hoc nunc os de ossibus meis*, quæ Apostolus Paulus Ephes. V. 29. seq. interpretatur de Christo, & Ecclesia concludens vers. 32.: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ita etiam docet Sanct. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. At vero nec homo, nec Angelus potuit esse præscius sui peccati, ut S. Augustinus ostendit Lib. XI. *de Gent. ad literam* c. 18. ergo debuit ipsi homini hoc mysterium revelari, non ut remedium peccati, sed sub alia ratione; adeoque etiam peccato non existente futurum fuisset.

103. Respondet Sanct. Thomas ad 5., „ quod
„ nihil prohibet, alicui revelari effectum, cui
„ non revelatur causa. Potuit igitur primo homi-
„ ni revelari incarnationis mysterium, quin esset
„ præscius sui casus: non enim quicumque cogno-
„ scit effectum, cognoscit & causam“. Et certe non oportebat, Adamo revelari causam futuræ incarnationis, ne inciperet contristari, & miser esse ante lapsum. Unde idem Angelicus in laud. loco ex 2. 2. art. 7. inquit: „ Ante statum peccati homo habuit
„ explicitam fidem de Christi incarnatione, secun-
„ dum quod ordinabatur ad consummationem glo-
„ riæ, non autem secundum quod ordinabatur ad
„ liberationem a peccato per passionem, & re-
„ surrectionem, quia homo non fuit præscius pec-
„ cati futuri“.

104. Inst. Sanct. Thomas in his verbis postremis aperte distinguit duplicem finem Incarnationis, scilicet *ad consummationem gloriæ, & ad liberationem a peccato:* ergo etiam hoc secundo fine cessante, remanebat primus, propter quem Incarnatio facta fuisset.

105. Respond., primum finem, nempe gloriam Dei, in decreto incarnationis fuisse in secundo inclusum, & comprehensum; nec tamen necesse erat, ut Adamo innocenti uterque finis manifestaretur. Profecto Angelicus doctor minis aperte sibi contra liceret, si putasset, utrumque finem Incarnationis esse separatim: ut uno deficiente alter adhuc supteresset, propter quem Verbum incarnari debuisset.

106. Objic. octavo. Etiam in statu innocentiæ fuisset Ecclesia Dei: ergo fuisset etiam Christus, Deus & homo, qui, ut dicitur ad Coloss. I. 18., *est caput corporis Ecclesiæ.*

107. Resp., utique in statu innocentiæ futuram fuisse Ecclesiam Dei, scilicet societatem fidelium colentium Deum; sed hujus Ecclesiæ caput futurum ipsum Deum invisibilem, non Christum visibilem, qui in eo statu non extitisset. Sed, ut loquitur Sanctus Thomas quæst. 29. *de Verit.* art. 4. ad 3. „ Christus ante peccatum fuisset caput
„ Ecclesiæ *secundum divinam naturam solum:*
„ sed post peccatum oportet, ut sit Ecclesiæ ca-
„ put, etiam *secundum naturam humanam*. Nam
„ per peccatum natura humana vulnerata est, &
„ ad sensibilia demersa; ut ad invisibilem Verbi
„ gubernationem non sit sufficienter idonea.“

108. Obj. ultimo. Deus homini innocenti se communicasset perfectissimo modo; sed nullus alius est modus se hominibus communicandi perfe-

(a) Causæ Incarnationis Dominicæ a S. Augustino enumeratæ hæ sunt. Primo, ut Dæmones, *superbi illi spiritus, non ideo se audeant hominibus præponere, qui non habent carnem;* & maxime quia & mori in eadem carne dignatus est Filius Dei: de ideo illi tanquam Deos se coli persuadeant, quia videntur esse immortales. Secundo, ut gratia Dei nobis sine ullis præcedentibus meritis in homine Christo commendaretur, *qui nec ipse, ut tanta unitate Deo conjunctus una cum illa persona Filius Dei fieret, ullis est præcedentibus meritis assecutus.* Tertio, *ut superbia hominis* per tantam humilitatem *redargui posset, atque sanari.* Quarto, ut homo disceret, *quam longe recesserit a Deo, & quid illi valeat ad medicinalem dolorem, quando per talem Mediatorem redit*, qui hominibus & Deus divinitate subvenit, & homo infirmitate tonvenit. Quinto, ut *obedientiæ* nobis præberetur exemplum, *qui per inobedientiam perieramus.* Sexto, ut præmium obedientiæ nobis ostenderetur in carne divini Mediatoris, quæ ad vitam resurrexit æternam. Septimo, *ut per eamdem rationalem creaturam superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat.* En quomodo recte dicat Angelicus, omnes has causas pertinere ad remedium peccati.

fectior, quam per incarnationem: ergo etiam in statu innocentiæ facta fuisset incarnatio.

109. Respond., neg. major, quia tunc nulla fuisset necessitas, ut Deus se perfectissimo Incarnationis modo hominibus communicaret, qualis necessitas facta est post peccatum: unde nec tali perfectissimo modo Deus se Angelis communicavit. Infinitas ergo gratias immensæ Dei bonitati reddere debemus, qua voluit, ut *ubi abundavit delictum, superabunderet gratia*, quemadmodum loquitur Apostolus ad Roman. V. 20. Unde etiam canit Ecclesia in benedictione Cerei Paschalis, *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem* (a).

110. Quæres primo, an posito hominis peccato necessarium fuerit ad ejusdem hominis reparationem Deum incarnari?

111. S. Thomas in hac prima quæstione art. 2. bene observat, dupliciter aliquid dici posse *necessaria*; primo *absolute*, cum nempe sine illo aliquid esse non potest, sicuti cibus est necessarius ad conservationem vitæ: secundo latiore sensu aliquid dici necessarium, quando per ipsum melius, & facilius pervenitur ad finem: sic equus dicitur necessarius ad iter faciendum. Primo modo certe necessaria non fuit Dominica incarnatio ad reparationem humanæ naturæ; Deus enim justus & omnipotens poterat universum genus humanum in sua promerita calamitate deserere, ut Angelos apostatas deseruit. Vel si nostrum misereri voluisset, poterat utique multis aliis modis hominem lapsum erigere. *Sunt stulti*, inquit S. Augustinus in Lib. *de agone Christiano* cap. II. Tom. VI. *qui dicunt: non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem. Quibus dicimus: poterat omnino &c.*

112. Sanct. Augustino consentit S. Leo Papa Serm. II. *de nativit.* cap. 3. inquiens: *Verax misericordia Dei, cum ad reparandum genus humanum ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ*. Et Sanctus Bernardus epist. CXC. *Quis neget*, inquit, *Omnipotenti ad manus fuisse alios & alios modos nostræ redemptionis?* Eademque est vox aliorum Ecclesiæ Patrum, ut de hac veritate dubitari minime possit.

113. Sed iidem Sancti Patres alio sensu, aliisque de causis Dominicam incarnationem necessariam fuisse asserunt. Unde S. Augustinus Lib. XIII. *de Trinit.* cap. 10. T. 8. „ Ostendamus, inquit, non „ alium modum possibilem Deo defuisse, cujus „ potestati omnia æqualiter subjacent, sed sanan„ dæ miseriæ nostræ *convenientiorem* alium mo„ dum non fuisse.“

114. Sanct. Thomas autem varia ex Sancto Augustino enumerat bona, quæ ex redemptione humani generis, per Incarnationem peracta in nos promanarunt; præcipue quantum ad fidem, quæ inde maxime confirmatur, quod Deo ipsi loquenti credimus; & quantum ad spem, quæ per hoc admodum erigitur, quod tantam Dei erga nos dilectionem videamus; ac denique quantum ad charitatem, quæ in nobis majorem in modum accendi per hoc mysterium debet, unde illud Sancti Augustini *de catechizandis rudibus* cap. 4. Tom. IV., *Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat*.

115. Causa autem præcipua, propter quam necesse erat, Deum incarnari, illa videtur esse, ut nos liberaremur a servitute diaboli, quod factum est, Christo satisfaciente pro nobis. Homo autem purus satisfacere non poterat pro toto humano genere, & Deus satisfacere non debebat; unde oportebat, Deum, & hominem esse Jesum Christum. Quod magis declarat Angelicus in resp. ad 2. observans, satisfactionem dici posse *sufficientem* dupliciter: imo modo *perfecte*, quando est condigna *per quamdam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ*; & sic satisfactio hominis puri sufficiens esse non potuit pro peccato; tum quia tota natura humana erat per peccatum corrupta; unde bonum alicujus personæ, vel etiam plurium, non poterat *per æquiparantiam* totius naturæ detrimentum recompensare: tum etiam quia peccatum contra Deum commissum *quamdam infinitatem* habet ex infinitate divinæ majestatis: tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur; unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei, & hominis existens. Alio modo potest dici satisfactio hominis esse *sufficiens imperfecte*, scilicet secundum acceptionem ejus, qui est ea contentus, quamvis non sit condigna; & hoc modo satisfactio puri hominis est sufficiens. Hactenus Angelicus. Sed de Christi satisfactione plura suo loco dicentur.

116. Quæres secundo, an Dominica Incarnatio magis facta sit ad delendum peccatum originale, quam actuale?

117. Resp. S. Thomas in hac prima qu. 3. Part. art. 4., incarnationem præcipue factam esse ad delendum peccatum originale. Quod aliquo modo eruitur ex iis Sancti Joannis Baptistæ verbis Joann. I. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mun-*

(a) Perperam a nonnullis tota hæc controversia inter illas parum utiles recensetur, quæ de potentia Dei absoluta in alio possibili rerum ordine a quibusdam Scholasticis excitatæ sunt. Valent enim plurimum ad cognoscendam, & adorandam Dei bonitatem, qua nostris miseriis succurrere voluit. Propterea clarisse. Ludov. Thomassinus hanc nostram sententiam copiosissime illustrandam, & vindicandam censuit L. II. *De Incarnat.* a c. 5. usque ad 11., multis allatis veterum Patrum testimoniis, quibus hæc nostra controversia minime ut inutilis præterennda visa est.

mundi; quod mundi peccatum non est nisi originale peccatum, toti mundo commune, ut Glossa explicat. Et Scriptura sacra ponit in singulari *peccatum τὴν ἁμαρτίαν*; quamvis per hoc singulare possit etiam generaliter intelligi *omne peccatum*.

118. Sed Angelicus ita rem totam dilucide exponit, observans, certum esse, Christum in hunc mundum venisse ad omnia omnino peccata delenda; non quasi reipsa omnia deleantur, *sed quia ipse exhibuit, quod sufficiens fuit, ad omnium peccatorum delationem*. Quia tamen peccatum originale majus est omnibus aliis peccatis, non quidem *tensive* (quia hoc modo peccatum actuale majus est originali), sed *extensive*, quia totum humanum genus eo peccato infectum est, ideo principaliter Christus venit in mundum ad delendum peccatum originale.

CAPUT IV.

Cur non statim post lapsum Adamè venerit Messias ad redimendum genus humanum?

119. Haud parvi momenti hæc quæstio reputanda est. Quamvis enim fidelibus Christianis facile responderi possit, Messiam venisse *in plenitudine temporum*, quando scilicet magis congruum erat, mysterium Dominicæ Incarnationis adimpleri, lucreduli tamen hæc responsione minime contenti, etiam hinc occasionem captant, hoc nostræ Religionis capitale dogma oppugnandi, contendentes, Christum, si voluisset propter nostram salutem de cælo descendere, id facere debuisse initio temporum, statim post lapsum Adami, nullamque fuisse causam, cur tam longas necteret moras. *Si Christus*, objiciebant Porphyriani Philosophi apud S. Augustinum epist. CII. quæst. 2., *si Christus se salutis viam dicit, gratiam, & veritatem, in seque solo ponit animis sibi credentibus reditum, quid egerunt tot sæculorum homines ante Christum?... Quid actum de tam innumeris animis?... Quare Salvator, qui dictus est, se tot sæculis subduxit?* Etiam S. Hieronymus Epist. CXXXIII. n. 9. nomine ejusdem Porphyrii ita sibi objiciebat: *Quid necesse fuit, eum* (Christum) *in ultimo venire tempore, & non priusquam innumerabilis periret hominum multitudo?*

120. Huic autem permolestæ interrogationi multa respondit S. P. Augustinus; & primo ad divinam confugit providentiam, *quæ tempora ordinantur: & quid cuique tempori aptum, & opportunum sit, humanum ingenium prætergredi*, fatetur. Eademque responsione usus est S. Hieronymus in laudata epistola inquiens: *Hinc quæstionem beatus Apostolus ad Romanos scribens, prudentissime ventilat, ignorans hæc, & Dei concedens scientiæ*.

121. Post autem S. Augustinus *sine præjudicio etiam aliarum forte causarum, quæ a prudentibus investigari queunt* (ut ipse modeste loquitur), *hoc solum brevitatis causa* Porphyrianis repoit, *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturі*. Quæ tamen verba, ut minus accurate prolata, & potius argumento ad hominem, quam ex propria sententia contra Paganos, alibi in Libro *de prædestin. Sanctorum* correxit (*a*).

122. Missa igitur hac responsione, idem S. Pater

(*a*) Primo enim S. Pater retorquet quæstionem in Adversarios, ostendens, ea, quæ Pythagorici, seu Porphyriani nobis objiciunt, *omni secta, & omni hominі religionis objici posse*. Deinde addit, *si tanta potestatis fuisset Pythagoras, ut ubi vellet, & quando vellet, sua dogmata prædicaret, & si haberet etiam eam ea potestate summam rerum præscientiam, nusquam, & nunquam appareret, nisi ubi, & quando sibi homines credituros esse prænosceret*. Et similiter juxta eorum sententiam dicit, *tunc nolnisse Christum apparere &c.*

Admonitus autem ab Hilario, Semipelagianos iis verbis abuti, ita suam mentem in laud. c. 9. *De præd. Sanct.* clarius exponit: „ Cernitisne, me sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum hoc „ de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant „ quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est verius, quam præscisse Christum, qui & quando, & „ quibus locis in eum fuerant crediturі? Sed utrum „ prædicato sibi Christo a se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, idest utrum tanmmodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit „ Deus, quærere, ac disserere, tunc necessarium non „ putavi. Proinde quod dixi, *tunc voluisse hominibus „ apparere Christum* &c., posset etiam sic dici, tunc „ voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos „ prædicari doctrinam suam quando sciebat, & ubi „ sciebat esse, *qui electi fuerant in ipso ante mundi „ constitutionem*".

S. Thomas 3. P. quæst. 1. art. 5. ad 2. cum eamdem S. Augustini sententiam retulisset, eam a S. Doctore *reprobatam* fuisse probat ex iis, quæ habet in Lib. *De dono perseo.* cap. 9. num. 23. T. X. I. P., ubi S. Præsul inquit: *Numquid dicturi sumus, quod in libro illo dixi, ubi sex quibusdam quæstionibus Paganoram, sine præjudicio tamen aliarum causarum, quas prudentes possunt vestigare, respondi?... Quod his temporibus, & his locis, quibus evangelium ejus non est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales multi in ejus corporali præsentia fuerant, qui in eum, nec suscitatis ab eo mortuis, credere voluerunt* &c. Pergit postea S. Pater, & exemplo Tyriorum & Sydoniorum ostendit, dici non posse, tunc voluisse Christum apparere, quando sciebat esse, qui in eum crediturі erant, ac concludit, *ad latentes causas prædestinationis hæc judicia pertinere*. Et ibid. cap. 11. „ Proinde, inquit, sicut Apostolus ait Roman. IX. 16., *non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, qui & parvulis, quibus vult, etiam non volentibus, neque

ter alias tantæ dilationis causas attulit; atque illam potissimam, ut homines propriam infirmitatem cognoscentes ardentius Medicum desiderarent, atque a Deo peterent. Hinc conveniens fuit, ut *status legis* præcederet *statum gratiæ*, in quo statu legis homines longo experimento propriæ imbecillitatis convinci potuerunt. Insignis hac de re est S. Augustini locus in Ps. LXXXIII. num. 10. T. IV. ubi allatis verbis S. Pauli ad Gal. III. 22. *Concludit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus*, ita pergit: „ Ut veniret gratia post legem, invenit hominem, non solum jacentem, sed jam „ etiam confitentem, & dicentem: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* “ Et multa addit S. Doctor lectu dignissima, quibus demonstrat, debuisse legem præire gratiæ, ut homo æger de sua infirmitate convinceretur, *ut peccata demonstrarentur, non auferrentur*: auferri enim debebant per gratiam.

123. Nomine autem *legis* S. Doctor non intelligit solam legem Mosaicam, quæ ad populum Israeliticum unice spectabat, sed etiam legem naturalem, quæ extendebatur ad omnes gentes. Quamobrem in Psalm. CXXIII. Serm. 23. expendens illa verba: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*, recte observat, ubi lex non est, nec prævaricationem esse posse; si autem non solum Judæos, sed omnes peccatores terræ David existimat *prævaricatores*, oportere esse aliam legem omnibus hominibus datam, quam omnes peccatores terræ prævaricantes violaverint. *Quæ ista lex est*, inquit S. Pater, *nisi forte illa, de qua ilem dicit Apostolus, gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt; hi legem non habentes ipsi sibi sunt lex*. Videlicet quamquam Gentiles legem Mosaicam non haberent, habebant tamen legem naturalem, quam ignorare non poterant, & peccantes transgrediebantur; unde sic postea concludit: *Omnes igitur prævaricantes gratia Salvatoris invenit alios magis, alios minus*.

124. Hæc itaque S. Augustino visa est potissima ratio dilati adventus Christi Salvatoris, ut lex, quæ peccatum non tollit, sed tantummodo manifestat, præcederet gratiam; & ita homines per legis prævaricationem cognoscerent infirmitatem suam, & gratiam Salvatoris ardentius desiderarent. Et hanc rationem sæpius allegavit S. Augustinus in suis operibus, ut etiam ex hac parte superbos Pelagianos de naturæ corruptione, & de gratiæ necessitate convinceret.

125. Hanc eamdem rationem affert Angelicus S. P. quæst. I. art. 5., ut probet, conveniens non fuisse, ut statim post peccatum Deus incarnaretur. „ Primo, inquit, propter conditionem humani, ni peccati, quod ex superbia provenerat: unde „ eo modo erat homo liberandus, ut humiliatus „ recognosceret, se liberatore indigere .... Relinquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrii in lege naturali, ut sic vires naturæ suæ „ cognosceret: ubi cum deficeret, legem accepit; „ qua data *invaluit morbus, non legis, sed naturæ vitio*, ut ita cognita sua infirmitate, clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium. “

126. Hinc frequentes illæ veterum justorum ad Deum preces: *Domine, mitte, quem missurus es*, Exodi IV. 13.: *Emitte agnum Domine, Dominatorem terræ*, Isaiæ XVI. 1.: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*, Psalmo LXXXIV. Unde etiam Christus Dominus Matth. XIII. 17. *Multi Prophetæ*, inquit, *& justi cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt*. Hinc demum ingens illud sensi Simeonis gaudium, quando Jesum vidit, & accepit in ulnas suas; tum Annæ Prophetissæ, quod describitur apud Lucam cap. II.

127. Allatæ huic, & sic explicatæ rationi S. Thomas alias adjungit, propter quas conveniens non erat, ut Christus statim post peccatum Adami veniret: scilicet primo propter ordinem promotionis in bonum, secundum quam ab imperfecto ad perfectum proceditur, unde Apostolus dicit 1. Corinth. XV. 46. *Non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*. Cum ergo Incarnatio sit opus Dei omnium perfectissimum, oportuit ut non in principio humani generis, sed post multa sæcula compleretur; ut sic prius quod animale, deinde quod spirituale est, nobis adveniret (a).

128. Ulterius differendam fuisse incarnationem probat Angelicus *propter dignitatem Verbi*, quod caro fieri debebat, ut quo diutius tardabat, eo avidius ab hominibus justis expectaretur.

129. Addi potest & illa ratio, ut Jesu Christi venturi characteres, miracula, doctrina, passio, mors, & resurrectio, & omnia ea, quæ in mundo, Verbi incarnatione peracta, contingere debebant, multo ante a Prophetis prænunciarentur: at-

„ currentibus subvenit.... & majoribus, etiam his, „ quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miracu„ culis credituros, quibus non vult subvenire, non „ subvenit, de quibus in sua prædestinatione occulte „ quidem, sed juste aliud judicavit. “ Vide quæ dicta sunt Tomo II. pag. 212. num. 186.

(a) Hanc rationem adspectu aliquantulum diverso affert S. Augustinus in Lib. *De diversis quæstion. octoginta tribus* quæst. 44. comparans universum genus humanum ætati hominis, quæ incipit ab infantia, florei in juventute, & senectute deficit, sicut absurdus esset, qui in uno homine ætatem tantummodo juvenilem esse vellet, sic absurdus sit, qui in ipso universo genere humano unam ætatem desideret. Unde infert, non oportuisse venire divinum Magistrum, nisi tempore juventutis generis humani, quæ est media inter infantiam, & senectutem.

atque adeo certæ notæ fidelibus præsto essent, quibus tantum donum e cœlo datum agnoscerent, & inexcusabiles essent, qui Jesum Christum credere, atque ut Deum adorate pertinaciter nollent.

130. Has retardationis adventus Messiæ causas passim allegant sancti Patres. S. Augustinus Tract. XXXI. in Joan. n. 5. Tom. III. P. II. *Multi dicunt*, ait, *quare non ante venit Christus? Quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo, per quem facta sunt tempora: sciebat enim, quando venire deberet. Primo per multam seriem temporum, & annorum prædicendus fuit, non enim aliquod parvum venturum fuit: diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quanto major Judex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat.*

131. Etiam S. Leo Papa Serm. XXIV. cap. 4. ad eorum querelas compescendas, qui Dominicæ incarnationis tarditatem culpabant: *Quod prædicaverunt Apostoli*, inquit, *hoc prænunciaverunt Prophetæ; nec sero est impletum, quod semper est creditum. Sapientia vero, & benignitas Dei hac salutiferi operis mora capaciores nos suæ vocationis effecit; ut quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat sæcula prænunciatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum; & nativitas Salvatoris, quæ omnia miracula, omnemque humanæ intelligentiæ erat excessura mensuram, tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio ejus, & antiquior præcessisset, & crebrior.* Nec desunt alia ejusdem generis sanctorum Patrum testimonia (*a*).

132. Prima, & potissima objectio contra hactenus dicta ea est, quæ proponitur a S. Thoma; videlicet cum Christus Jesus *in hunc mundum venerit peccatores salvos facere*, ut dicit Apostolus 1. ad Timot. I. 15., melius fuisse videtur, si statim post peccatum Adami veuisset; sic enim plures salvati fuissent: nimis autem multi tam longo temporis intervallo ignorantes Deum, & cœlestem ejus doctrinam, misere perierunt.

133. Respondet autem Angelicus Doctor cum S. Augustino Lib. *de dono persev.* cap. 11. T. X. *quod sicut Apostolus dicit non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui .... his, quod prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subvenire, non subvenit. Investigabilis ergo est misericordia, quia cujus vult miseretur, nullis ejus præcedentibus meritis, & investigabilis veritas, quæ quem vult indurat* &c. Sive ergo citius venisset Christus, sive etiam tardius nonnisi illi salvi fuissent, qui ab æterno prædrinati fuerunt in vitam æternam.

134. Ceterum idem S. Augustinus Paganis hanc ipsam difficultatem urgentibus ita in laud. superius epist. CII. num. 12. respondebat: *Ab exordio generis humani quicumque in eum* (Christum) *crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, & secundum ejus præcepta pie, & juste vixerunt, quandolibet, & ubilibet fuerint, per eum proculdubio salvi facti sunt.* Et postea subdit num. 15., ab Adam usque ad Moysem & in populo Israel, & in aliis gentibus non defuisse, qui in Christum crederent, antequam veniisset in carne. Ac demum concludit: „ Ita salus religionis hujus (Christianæ), per quam solam verum salus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, *qui dignus fuit*, & cui defuit, „ *dignus non fuit*." Quæ postrema verba S. Doctor corrigenda censuit in Lib. II. *Retractationum* cap. 21., explicans hanc *dignitatem*, non quasi esset ex viribus naturæ sensu Pelagiano, sed quod fuerit ex dono gratiæ sensu orthodoxo (*b*).

135. Etiam in Lib. XVIII. *de Civ. Dei* cap. 37. „ Nec ipsos Judæos, inquit, existimo audere „ contendere, neminem pertinuisse ad Deum, præter Israelitas ... Populus enim revera, qui *proprie Dei populus diceretur*, nullus alius fuit, „ homines tamen quosdam, non terrena, sed cœlesti societate ad veros Israelitas, supernæ cives patriæ, pertinentes, etiam in aliis gentibus fuisse, negare non possunt: quia si negant, facillime convincuntur de sancto, ac mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselytus, idest „ advena populi Israel fuit, sed ex gente Idumæa „ genus ducens, ibi mortuus est." Ex quo exemplo infert S. Pater, etiam in aliis gentibus esse potuisse, *qui secundum Deum vixerunt, ejque placuerunt, pertinentes ad spiritualem Jerusalem*.

136. Idem docet auctor Libror. *de vocatione gentium* Libro II., ubi post multa in hanc rem disputata, ita demum concludit cap. 15. *Secundum ipsam* (Scripturam) *credimus, & piissime confitemur, quod nunquam universitati hominis*

(*a*) Rupertus Abbas Tuitiensis Sæc. XII. clarus aliam affert, sed parum probabilem causam, ob quam nonnisi post quatuor annorum millia Christus Dominus apparuerit, scilicet propter multiplicata hominum peccata actualia Lib. II. *in Cantica*. Sed facile est observare, tempore nativitatis Jesu Christi non fuisse peccata minus gravia, nec minus ubique dilatata, quam temporibus præcedentibus. Vide, quæ contra hanc rationem, quæ etiam Rabbini aliqui abusi sunt, diximus Sect. I. 73.

(*b*) Ita S. Pater laudata verba ad sanum sensum reduxit: „ Quod dixi, *salus religionis hujus, per quam* „ *solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli* „ *li unquam defuit, qui dignus fuit; & cui defuit,* „ *dignus non fuit*, non ita dixi, tanquam ex meritis „ suis quisquam dignus fuerit, sed quemadmodum ait „ Apostolus, *non ex operibus, sed ex vocante dictum* „ *esse, Major serviet minori*: quam vocationem ad „ Dei propositum asserit pertinere &c."

minum divinæ providentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit.

137. Qui igitur ex Gentilibus simul cum fide in venturum Liberatorem legis naturalis præcepta, divina gratia adjuti, observabant, salutem adipiscebantur æternam. Sed post legem Mosaicam Hebræis id non sufficiebat; tenebantur enim etiam divinæ hujus legis præceptis obtemperare, quousque Messias veniret, qui veteres cæremonias, & sacrificia abrogaret.

138. Objicit sibi Sanct. Thomas secundo, conveniens fuisse, ut peccato Adami illico remedium afferretur; quo enim medicina differtur, eo gravius, & periculosius morbus invalescit.

139. Respondet autem in III. *Sentent.* Distinct. I. quæst. 1. artic. 4. ad 3., discrimen esse inter sanationem animæ, & corporis: in sanatione enim corporis quamvis utile esse possit, absolute necesse non est, ut infirmus periculum morbi, & vim medicinæ agnoscat, quod tamen necessarium est in curatione morbi spiritualis; quia hic humilitate, & contritione spiritus curatur. Absolute tamen etiam ante Christi adventum poterat spiritualis hic animæ morbus sanari, per fidem scilicet in Christum venturum, ut supra n. 135. ex S. Augustino declaratum est.

140. Obj. tertio. Incarnatio est opus omnium maximum divinæ erga nos charitatis, dicente Apostolo Eph. II. 4. *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo* &c. Sed charitas non tardat subvenire amico indigenti; ita enim nos monet Salomon Proverb. III. 28.: *Ne dicas amico tuo, vade, & revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare:* non ergo Deus debuit Incarnationis opus tamdiu differre, cum potuerit humano generi statim subvenire.

141. Respondet Sanct. Thomas 3. P. quæst. 1. artic. ad 1., charitatem utique non differre amico subvenire, *salva tamen negotiorum opportunitate, & personarum conditione*. Si enim Medicus cognoscat, opportunum non esse, statim ab initio medicinam ægroto præbere, ex ipsa charitate, qua prosequitur infirmum, movebitur ad illam differendam. Eadem de causa Deus, qui nimia charitate dilexit nos, præparatum jam a tota æternitate nostræ infirmitati remedium usque ad plenitudinem temporum distulit.

SECTIO II.

DISSERTATIO II.

De Essentia Incarnationis.

1. Breviter iis expositis, quæ de possibilitate, causis, necessitate, & tempore Dominicæ Incarnationis præmittenda videbantur, nunc ipsam arcani hujus mysterii essentiam perscrutari aggredimur, non tamen aliunde, quam ex iis, quæ Deo de tam sublimi dogmate nobis revelare placuit, & ab Ecclesia fideliter custodita, atque in variis Conciliis explicata, & definita fuerunt. Neque illorum reprehensionem verebimur, qui eo præsertim, quod mysteria nostram intelligendi vim longe superent, ea volunt simplici, ac cæca fide credi, quemadmodum a rudi, fidelique populo creduntur; non autem intimius examinari, uberius explicari, atque ab hæreticorum erroribus diligenter expurgari, ut Theologis in more positum est. Qua in re nonnullis cum sacræ Scripturæ, tum sanctorum Patrum dictis abutuntur. Sed timendæ sunt callidæ Hæreticorum fraudes, & sæpe latet *anguis in herba*. Nos paucis respondemus, nullum esse nimiæ curiositatis vitium, aut erroris periculum, quando sacros, & infallibiles duces sequimur, Verbum Dei scriptum, & traditum, & utrumque secundum nostræ matris Ecclesiæ infallibile magisterium. *Magnum bonum*, inquit S. Fulgentius L. I. ad Trasimundum cap. 3. *confert inquisitio veritatis, quæ tamen tunc desiderato non frustratur effectu, si rectis ad veri inquisitionem lineis animus innitatur*.

2. Errores autem contra hoc sanctissimum Religionis mysterium ad duo suprema capita revocat S. Leo Magnus in Serm. XXVIII., qui est octavus in Nativitate Domini: *Alii etenim*, inquit cap. 4., *Domino solam humanitatem, alii solam adscripsere divinitatem*. S. tamen Augustinus Lib. I. *Quæstionum Evangel.* quæst. 45. T. III. P. II. errorem Hæreticorum de Incarnatione tribus generibus terminari dicit; *aut enim de divinitate ejus, aut de humanitate, aut de utraque fallunt*; scilicet de modo, quo divina natura cum humana conjuncta est.

3. Porro cum in Tomo III. Dissert. III. satis copiose de Christi divinitate contra veteres, novosque ejusdem hostes actum sit, superest modo, ut multiplices Hæreticorum errores contra humanam Jesu Christi naturam refellamus.

CAPUT I.

Demonstratur, veram carnem humanam a Verbo divino assumptam fuisse.

4. Antiqua, ipsisque Apostolis coæva illa hæresis fuit, quæ nonnisi umbratilem, atque appa-

reu-

rentem carnem divino Verbo tribuebat; & prima illius origo a Simone mago repetitur hæreticorum omnium *Patriarcha* (a); qui teste S. Cyrillo Jerosolymitano *Catech. VI.* dicebat, se *apud Judæos non in carne, sed in specie sola, tanquam Jesum Christum apparuisse*.

5. Sed quidquid sit de Simone, cujus in hac re non videtur omnino explorata sententia, veritatem carnis Christi certe denegarunt hæretici δοκήται *Docetæ*, ita dicti a verbo δοκέω *censeo, puto*, quia nonnisi *putatitiam* atque *imaginariam* Christi humanitatem confitebantur. Horum prima merito inveniitur facta a Serapione Episcopo Antiocheno apud Eusebium Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 12. Ejusdem sectæ princeps a Clemente Alexandr. Lib. III. *Stromatum* vocatur Cassianus; sed S. Hieronymus in cap. VI. epist. ad Galatas hujus hæreseos auctorem nominat Tatianum. *Tatianus*, inquit, *qui putativam Christi carnem introducens* &c. Isti hæretici dicti sunt etiam *Phantasiastæ*, quia ut Tertullianus ait *De præscript. Hæret.* cap. 46. dicebant, Christum *in phantasmate tantum venisse*.

6. Haud pauci huic crasso errori adhæserunt, *inter quos* numerantur Simonis discipuli Saturnilus, aut Saturninus (ut eum vocant post Irenæum Tertullianus, Philastrius, Augustinus, & Jo. Damascenus) Basilides, Secundiani, Marcosiani, aliique usque ad Manichæos, quorum lues longe, lateque in oriente, atque occidente grassata est. Hi enim, S. Augustino teste *de hæresibus* num. 40., inter alia errorum portenta etiam commenti sunt, Christum *non fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis, ludificandis humanis sensibus præbuisse, ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem mentiretur*. Id ipsum asserit S. Athanasius Orat. I. contra Arianos num. 33., & ante hosce duumviros S. Irenæus Lib. II. *cont. Hæreses* cap. 11.

7. Cum autem auctoritate librorum sacrorum, qui sæpissime de vera Christi carne expresse loquuntur, a Catholicis premerentur, eo audaciæ pervenerunt, ut nonnisi ea reciperent de Testamento novo, *quæ in honorem, & laudem Filii Majestatis, vel ab ipso dicta comperiebant, vel ab ejus Apostolis; sed jam perfectis, ac fidelibus; dissimularent cetera, quæ aut simpliciter tunc, & ignoranter a rudibus dicta, aut obliquе, & maligne ab inimicis objecta, aut imprudenter a Scriptoribus affirmata sunt, & posteris tradita*. Ita Faustus Manichæus apud S. Augustinum Lib. XXXII. cont. ipsum cap. 7. Tom. VIII. Qui postea Faustus ita se magis explicare pergebat: *Dici autem, hoc ipsum natum ex femina turpiter, circumcisum Judaice, sacrificasse genitiliter, baptizatum humiliter, circumductum a diabolo per deserta, & ab eo tentatum, quammiserrime. His igitur exceptis ..... creditmus cetera, præcipue crucis ejus mysticam fixionem, qua nostræ animæ monstrantur vulnera* &c. (b).

8. Hanc pestiferam hæresim alia subsecuta est, quæ veram Christo carnem minime denegare videbatur, eam tamen non ex purissimo Mariæ Virginis sanguine formatam, sed vel ex elementis conflatam, vel de cœlo delapsam fuisse, asserebat. Fuit hic error Valentinianorum (prout refert S. Epiphanius *Hæresi* XXX. §. 7.) dicentium, Christum *ex cœlo corpus suum detulisse; ac per Mariam Virginem, veluti aquam per canalem transisse, nec ex ejus utero quidquam sumpsisse*. Et S. Augustinus Lib. *de hæres.* num. 11. Valentinum, inquit, asseruisse, *Christum a Patre missum ... spiritale, vel cœleste corpus attulisse, nihilque assumptisse de Virgine Maria, sed per illam, tanquam per rivum* (Erasmus putavit esse legendum) *tanquam per rimam, aut per fistulam, sine ulla de illa assumta carne transisse*. Idem refert Tertullianus in Lib. adversus Valentinum cap. 15., & *De præscript.* cap. 49. Origenes autem in Dial. *de recta in Deum fide* Sect. 4. Tomo I. verba recitat cujusdam Marini, hæretici Bardesianistæ, qui interrogatus de Christo sine hæsitatione respondit: *Ego statuo, il-*

(a) Hoc nomine merito a Sanctis Patribus appellatus fuit, quia primus omnium a recta Christianæ religionis, cui nomen dederat, fide recessit. Nec ullo modo tolerari potest pyrrhonismus Isaac Beausobrii, qui Lib. IV. *Hist. Manichæorum* cap. 1. hoc in dubium revocare est ausus, dicens: *Si verum est, eum Christianam religionem professum fuisse. Si verum est*, quasi mentiri potuerit S. Lucas Actor. VIII. 13. dicens: *Tunc Simon* (magus) *& ipse credidit, & cum baptizatus esset* &c. Ejus hæresim recenset S. Augustinus in Lib. *De hæresibus* c. 1. Tomo VIII.; a quo loco Editores Benedictini ea verba expunxerunt, quæ in quibusdam editionibus male addita erant; & tum a Pelagianis, tum ab aliis allegantur: *Dixerat enim, se in tario, tum ab aliis allegantur: Dixerat enim, se in monte Sina legem Moysi in Patris persona dedisse Judæis, tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse: postea se in linguis igneis Spiritum Sanctum super Apostolos venisse, Christum autem non venisse; nec a Judæis quidquam pertulisse*. Cum hæc verba supaposititia sint, nescio an iste Hæreticorum omnium parens inter eos jure numerari possit, qui veram Christi carnem inficiati sunt.

(b) Hanc execrabilem Manichæorum blasphemiam multis modis ibidem refutat eorum mallens S. Augustinus, cujus hæc aurea verba omittere nequeo, quæ etiam facile possunt contra nostri ævi hæreticos pariter immutatis intorqueri: *Videtis*, inquit; *id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, & sua cuique animus auctor sit, in quaque Scriptura quid probet, quid improbet; idest ut non auctoritati Scripturarum subjiciatur ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subjiciat? non ut ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur; sed ideo recte scriptum videatur, quia hoc illi placuit: Quo te committis, anima misera, infirma, carnalibus nebulis inplicata, quo te committis?* &c. Ibid. cap. 19.

illum cœleste corpus assumpsisse ; cujus errorem ibidem Adamantius refellit.

9. Laudatus autem mox S. Augustinus num. 23. aliam refert hæresim Apellis, de quo hæc scribit: *Hunc dicunt quidam etiam de Christo tam falsa sensisse, ut diceret, eum non quidem carnem deposuisse* (Editio Lovaniensis habet *duxisse*) *de cœlo, sed ex elementis mundi accepisse, quam mundo reddidit, cum sine carne resurgens ascendit in cœlum.*

10. Hujusmodi putidas hæreses, quæ jam sua ipsa absurditate obsoleverant, iterum suscitari viderunt Patres nostri, occasione pseudo-reformationis Lutheranæ. Anabaptistæ enim, qui ex hac secta prodierunt, una cum Mennone Simonis, aperte professi sunt, *Christum carnem, & sanguinem suum non ex Maria Virgine assumpsisse, sed a cœlo attulisse.*

11. Furiosis Anabaptistis jungi merentur fanatici Quackeri, qui in Anglia, & in Belgio fœderato late propagati sunt sæculo elapso. Isti enim sibi minus aperte negare, saltem in dubium revocare non sunt veriti, an Christus humanam nostram naturam vere assumpserit. Ita Rob. Barclajus celebris Quackerorum Theologus, & Doctor in *Apologia Theologiæ vere Christianæ* Thesi XI. §. 1. (*a*).

12. Denique nec defuerunt inter Novatores, qui duplicem humanam naturam Christo tribuerent, aut saltem duplicem carnem, alteram cœlestem, quam secum de cœlo descendens attulerit, terrenam alteram, quam prodigiosa conceptione de Virgine acceperit (*b*).

PROPOSITIO I.

Christus Dominus assumpsit verum corpus, & reale, non phantasticum, & umbratile.

15. Non minus crebra, quam luculenta sunt sacrarum Scripturarum loca, quibus catholica hæc veritas expresse traditur. S. Joannes cap. I. sui Evangelii utrumque errorem, tam eorum, qui divinam, quam aliorum, qui humanam in Christo naturam negabant, manifeste damnavit, dicens vers. 14.: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Rursus in sua prima epistol. IV. postquam suos discipulos admonuisset, ne omni spiritui credereut, quoniam multi pseudoprophetæ jam tunc exierant in mundum, *In hoc*, subdit vers. 2., *cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus, qui confitetur, Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum* (scilicet negans aut divinam, aut humanam naturam) *ex Deo non est, & hic est antichristus.* Hoc testimonio Tertullianus confundebat Marcionitas Lib. II. *cont. Marc.*, *quos Apostolus Joannes antichristos pronunciavit, negantes Christum in carne venisse.*

14. Etiam S. Paulus ad Rom. I. 2. *Quod ante*, inquit, *promiserat* (Deus) *per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem :* item ad Coloss. I. 22. *Reconciliavit*, inquit, *in corpore carnis ejus per mortem.* Ac denique, ut innumera alia omittam, Christus ipse a mortuis redivivus Lucæ XXIV. 39. seq. ad ostendendam veritatem suæ resurrectionis, *Videte*, inquit Discipulis suis, *manus meas, & pedes, quia e-*

(*a*) Edmardus Fowlerus Episcopus Glocestriensis in Anglia anno 1706. Dissertationem edidit *De descensu hominis Jesu Christi ex cœlis, & de regressu ejus in cœlum* &c., probare contendens, humanam Christi animam ab initio mundi fuisse creatam, & in cœlo conservatam, unde postea in plenitudine temporum in uterum Virginis descenderit, ad informandum ejusdem Christi corpus. Quam Fowleri sententiam, utpote a damnato errore Origenis de præexistentia animarum minime discrepantem impugnavit Guill. Scherlockius. Sed illico ei respondit Fowlerus; cui succenturiator accessit Rob. Flaminus, confinalis postea a Zach. Grapio in *Christologia recens controversa*, & a Jo. Marckio in peculiari Dissert. *contra præexistentiam animæ Christi in cœlis, ante corporis hujus ortum in terris ex Maria Virgine.* Non tamen controversia finita fuit, ut finiri non possunt inter Protestantes, qui vivum, & infallibilem Judicem non agnoscunt.

(*b*) Id docuit Valentinus Weigelius an. 1785., quem postea alii secuti sunt, ut Petrus Poiretus in Lib. II. *Œconomiæ divinæ*, ubi vult, Christum habuisse corpus *gloriosum*, jam ab initio mundi immensæ corporis protoparentis Adami, quod contractum potuit in utero Virginis simul cum alterius humani corporis embryone uniri, ac cum ipso compenetrari. Jo. etiam Guill. Petersenius in libro *Mysterium primogeniti omnium creaturarum* anno 1711. edito docet, Christum ante omnia sæcula nescio quam divinam carnem assumpsisse, in qua veteribus Patriarchis olim apparebat, donec postea aliam carnem humanam in utero Virginis sibi copulavit.

Parum ortholoxe scripaisse accusatur etiam Sam. Basnagius in *Annal. politico Ecclesiast.* ad annum ante Christum natum VI. num. 27. inquiens: „ Paulanus, variisque gradibus parvulos materais visceribus natura format: *existimamus autem, momento Christi carnem esse ei Spiritus Sancti procreatam:* " quasi vero non ex immaculato Mariæ sanguine, sed ex nihilo fuerit Christi caro creata.

Multo pejus deliravit inter Protestantes Jo. Conr. Dippelius, qui sub adscititio nomine Christiani Democriti multa paradoxa, & absurda contra veram Jesu Christi humanitatem vulgavit: contra quem plurima scripsit Franc. Alb. Æpinus in *Compendio mataeologiæ fanaticæ recentioris* &c. Rostockii 1752. Hoc breve sit specimen errorum, in quos homines etiam docti lapsi sunt, dum deserto intissimo Ecclesiæ magisterio, suæ fallaci prudentiæ ad divinam revelationem explicandam innituntur.

ego ipse sum : palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Alhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? Et coram eis manducavit, *ut per veritatem comestionis veritas patesceret carnis*, inquit S. Gregorius Papa.

15. His, aliisque similibus bene consideratis recte concludebat S. Augustinus Lib. *de diversis quæst.* LXXXIII. quæst. 13. *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus; & si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus: ergo non fuit phantasma corpus ejus.* Quam S. Augustini rationem adhuc uberius explicat S. Thomas 3. P. qu. 5. art. 1. dicens: „ Si non fuit ve„ rum corpus Christi, sed phantasticum, ergo nec „ veram mortem sustinuit, nec aliquid eorum, „ quæ Evangelistæ de eo narrant, secundum ve„ ritatem gessit, sed solum secundum apparentiam „ quamdam, & sic etiam sequeretur, quod non „ fuerit vera salus hominis subsecuta: oportet e„ nim effectum causæ proportionari (a).“

16. Longum nimis esset, hanc veritatem multis *Sanct.* Patrum testimoniis comprobare; unde iis contenti erimus, quæ habet S. Ignatius Martyr in epist. ad Trallianos, *Oburate*, inquiebat primis Fidelibus, *Oburate igitur aures vestras, cum vobis quispiam loquitur sine Jesu Christo, qui ex genere Davidis, qui ex Maria, qui vere natus est, edit, & bibit, vere persecutionem passus est sub Pontio Pilato, vere crucifixus, & mortuus est, videntibus cœlestibus, terrestribus, subterraneis; qui, & vere resurrexit a mortuis, resuscitante ipsum Patre ipsius.* Eademque repetit in alia epistola ad Smyrnæos, addens: *Si enim opinione sola hæc a Domino nostro sunt peracta, ego opinione solùm vinctus sum.*

17. Obj. primo. Christus in sacris litteris dicitur factus in similitudinem hominum. Ad Philipp. II. 7. de Jesu Christo inquit Apostolus: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*: non ergo Christus veram habuit carnem, sed carnis similitudinem.

18. Respondet S. Thomas hic ad 1., illam similitudinem non esse *phantasticam*, sed *specificam*; ut nempe exprimatur veritas humanæ naturæ in Christo, sicuti omnes, qui vere in natura humana existunt, similes *specie* esse dicuntur: unde idem Apostolus in eodem loco subjungit: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; quod falsum esset, posita sola similitudine phantastica.

19. Dices. Idem Apostolus Roman. VIII. 3. *Deus*, inquit, *Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*; atqui similitudo illa *carnis peccati*, non est nisi mera apparentia; neque enim Christus Dominus vere assumpsit carnem peccati: ergo &c.

20. Resp., non eodem modo intelligi oportere similitudinem *hominum*, & similitudinem *carnis peccati*. Non enim repugnabat, Christum veram habere carnem, quam sexcentis in locis sacri Scriptores ipsi tribuunt una cum omnibus actionibus, & passionibus carnis: repugnabat autem eum habere *carnem peccati*, cujus proinde non erat in eo, nisi similitudo externa. „ Hunc, inquit Ter„ tullianus Lib. V. contra Marc. cap. 14., si Pa„ ter misit *in similitudinem carnis* peccati, non „ ideo phantasma dicetur caro, quæ in illo vide„ batur .... Ita similitudo ad titulum peccati per„ tinebit, non ad substantiæ mendacium. Nam „ nec addidisset *peccati*, si substantiæ similitudi„ nem vellet intelligi, ut negaret veritatem; tan„ tum enim *carnis* posuisset, & non *peccati*“.

21. Dices secundo. Idem Apostolus I. ad Corinth. XV. 50. inquit: *Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt*. Illa ergo humanitas Christi, quæ simul cum eo ascendit in regnum Dei, non erat ex carne conflata.

22. Respondebat sæpe laud. Tertullianus, hoc loco non veram carnem ab Apostolo intelligi, sed opera carnis, quæ idem Apostolus sæpissime damnat ad Gal. V. 19., & alibi. „ Dicit ergo S. „ Paulus, *caro & sanguis regnum Dei conse„ qui non possunt*, non substantiam damnans, „ sed opera ejus; quæ quia possunt non admitti „ a nobis, adhuc in carne positis, non ad rea„ tum substantiæ, sed ad conversationis pertine„ bunt.“ Vel etiam Apostolus nomine *carnis*, *& sanguinis* intelligit carnem corruptibilem, & mortalem, qualis certo non erit in cœlis.

23. Dices tertio. Idem Apostolus 2. ad Corinth. V. 16. inquit: *Itaque nos ex hoc* (stilicet *tempore*, in græco ἀπὸ τοῦ νῦν) *neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus*: quasi dicat, se resipuisse ab illo errore, quod chri-

(a) Hæc S. Thomæ ratio ex Sanctis Patribus desumpta est, potissimum vero ex Tertulliano, qui Lib. III. cont. Marcionem c. 8. *Jam*, inquit, *cum mendacio deprehenditur Christi caro, sequitur, ut omnia, quæ per carnem Christi gesta sunt, mendacio gesta sint: congressus, contactus, convictus, ipsa quoque Virtutes. Si enim tangendo aliquem liberavit a vitio, vel tactus ab aliquo, quod corporaliter actum, non potest vere acceptus credi, sine corporis ipsius veritate. Nihil solidum ab inani, nihil plenum a cavo perfici licuit. Pa-*

tations habitus, putativus actus: imaginarius operator, imaginaria opera. Sic nec passiones Christi ejus fidem merebuntur: nihil enim passus est, qui non vere est passus: vere autem pati phantasma non potuit: eversum est igitur totum Dei opus. Totum Christiani nominis & pondus, & fructus mors Christi negatur ... Negata vero morte, dum caro negatur, nec de resurrectione constabit .... Proinde resurrectione Christi infirmata, etiam nostra subversa est.

Christus habuerit veram carnem. Ita ex hoc loco Manichæus colligebat, S. Paulum retractasse quæcumque antea docuerat de Christi carne. Vid. S. Augustinus Lib. XI. *contra Faustum* cap. 4. T. VII.

24. Resp., obscurum esse hunc Apostoli locum, neque in eo explicando Interpretes convenire. Attamen plusquam certum est, Apostolum non velle, apparentem, & simulatam fuisse carnem Christi; alias sequeretur, eum æque in ceteris hominibus veram agnovisse carnem, cum dicat: *Neminem novimus secundum carnem*. Præclare S. Augustinus loco laud. cont. Faustum cap. 7. mirari se dicebat, cæcos Manichæos non vidisse, *quia si Christus ideo non habuit carnem, quia dixit Apostolus, nunc jam non se nosse Christum secundum carnem, nec illi habuerunt carnem, de quibus in eodem loco dicit, itaque nos amodo neminem novimus secundum carnem*.

25. S. Thomas Lect. IV. varias affert Paulini textus explicationes ex sanctis Patribus depromptas. Sed illa probabilior videtur S. Augustini, qui vult, Apostolum esse intelligendum de futura corporis gloriosi vita, quam ex certa spe tanquam præsentem meditabatur; & in qua nec Christus, nec Beati cognoscentur *secundum carnem corruptibilem, & mortalem*. Et Christus quidem omnem jam mortalitatem, & corruptionem exuit, nos autem id aliquando consecuturos speramus. Sumit ergo ibi Apostolus *carnem* pro corruptione carnis; quemadmodum dixerat in prima epist. XV. 50. *Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt*. Hanc S. Augustini expositionem adoptavit etiam S. Leo Papa in Serm. LXXI., qui est primus *de Resurrection. Domini* (*a*).

26. Alias hujus difficilis loci interpretationes affert Guill. Estius, & illam maxime probabilem existimat, quod S. Paulus reprehendere voluerit quosdam pseudo-apostolos Judæos, qui gloriabantur, quod Israelitæ essent, & ex semine Abrahæ secundum carnem: de quo uberius disserit infra cap. XI. 22.; se autem dicit neminem noscere *secundum carnem*, seu minime gloriari, quod ex istis descenderit secundum carnem; imo nec ipsum Christum noscere, quia etsi aliquando putaverit, gloriosum sibi esse, quod utpote Hebræus Jesu Christo gentilis fuerit, postea tamen se his omnibus mortuum dicit, ut neminem amplius secundum carnem, seu originem carnalem noscat. Quidquid tamen sit de istis, aliisque similibus interpretationibus, illud repetimus, quod ab initio cum Sanctis Augustino, & Thoma observavimus, nihil prorsus ex hoc Paulino testimonio contra veram Christi carnem erui posse, nisi dicamus, nec alios homines vera carne constare.

27. Ob. 2. Verbum divinum sæpius apparuit in veteri testamento in specie humana, quin tamen humanam carnem haberet. Quod enim dicit Isaias VI. 1. *Vidi Dominum sedentem* &c. a S. Joanne XII. 41. explicatur de Jesu Christo: eum ergo illæ apparitiones fuerint figuræ Incarnationis postea futuræ, possumus credere, etiam in ipsa incarnatione Verbum apparuisse non secundum corporis veritatem, sed secundum solam imaginationem, & apparentiam.

28. Resp. cum S. Thoma hic ad 3., convenientius fuisse, ut apparitiones veteris testamenti essent secundum apparentiam tantum, quasi figuræ, apparitio autem Filii Dei in mundo esset secundum corporis veritatem, quasi res figurata per illas figuras. Unde dicit Apostolus ad Coloss. II. 17. *Quæ sunt umbræ futurorum, Corpus autem Christi*. Hinc S. Irenæus Lib. V. *advers. Hæres.* cap. 1. ex veteribus apparitionibus futuræ incarnationis prænuntiis argumentum efficax trahebat, ut contra Phantasiastas veram Christi carnem probaret. „ Si enim & nunc talis apparuit, non e„ xistens, quod videbatur, quædam prophetica „ visio facta est hominibus, & oportet alium ex„ pectare adventum ejus, in quo talis erit qualis „ nunc visus est prophetice (*b*). “

29. Dices. Leginus in sacris paginis, Angelos aliquando apparuisse sub specie humana, manducasse, bibisse, omniaque illa præstitisse quæ ab hominibus per carnem effici solent, quin tamen ullum inde mendacium, aut inconveniens consecutum fuerit. Omissis aliis exemplis, illud sufficiat Angeli Raphaelis Tobiæ comitis. Quidni ergo idipsum dicatur de Christo?

30. Resp., ex ipsis sacris litteris luculenter constare, hæc omnia ab Angelis non vere, sed apparenter fuisse præstita; unde Raphael Tobiæ XII. 19. ita confessus est: *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor*. Multo majora, & ineluctabilia realis, & veræ suæ carnis argumenta præbuit Christus, qui

&

(*a*) Pulchra sunt ejus verba, ut prætermitti non debeant. *Merito*, inquit, „ dicitur caro Christi in eo „ statu, quo fuerat nata, nesciri: quia nihil in ea „ passibile, nihil remansit infirmum, ut & ipsa sit „ per essentiam, & non sit ipsa per gloriam. Quid „ autem, si hoc de corpore Christi profitetur (Apo„ stolus), qui de omnibus Christianis spiritalibus di„ cit: *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum „ carnem?* Ex hoc, inquit, initium nobis factum est „ resurrectionis in Christo, ex quo in eo, qui pro o„ mnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præ„ cessit. Non hæsitamus dissidentia, nec incerta ex„ pectatione suspendimur, sed accepto promissionis e„ xordio, fidei oculis quæ sunt futura, jam cernimus, „ & naturæ provectione gaudentes, quod credimus, „ jam teneamus. “

(*b*) Sanctus Augustinus L. III. *de Trin.* c. 10. & 11. T. VIII., aliisque in locis putavit, apparitiones illas factas fuisse ministerio Angelorum. Tertullianus autem L. III. *Contr. Marcionem* c. 9. credidit, illas Verbi apparitiones fuisse *in veritate quidem carnis, sed nondum natæ, quia nondum morituræ*. Nulla ex his, aliisque veterum Patrum sententiis aliquod affert Catholicis nostro dogmati nocumentum.

& natus est, & passus, & mortuus; atque etiam post resurrectionem discipulis carnem suam palpandam exhibuit.

31. Ob. alt. Haud decere videtur, carnem immundam, corruptibilem, mortalem, multisque aliis imperfectionibus scatentem divinæ naturæ, quæ purissima est, copulari.

32. Resp., ita sæpius objecisse Manichæos, illo falso præjudicio deceptos, nostram carnem, ut ceteras omnes creaturas, malam esse, & a Deo malo creatam. Ipsis autem S. Augustinus vicissim objiciebat verba Apostoli ad Ephes. V. 29. dicentis: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, de ossibus ejus.* Minime ergo indigna erat caro, quamquam imperfecta, ut a Deo pro sua bonitate, & pro nostra utilitate assumeretur. Seu potius, & melius dicere debemus, Deum potuisse omnipotentia sua carnem nostram dignam facere, ut in consortium divinæ naturæ assumeretur. Præterea, ut recte Tertullianus redarguebat Marcionem Lib. III. cap. 10.: *si dedecebat, veram carnem assumere, eccur non eum dedecebat fictitiam, & apparentem carnem ostendere?*

33. Dices. Saltem ex hoc capite Deum dedecebat veram carnem assumere, quia id sine aliqua ejus mutatione fieri nequibat: omnis autem mutatio *Deo* repugnat.

34. Resp., jam supra pag. 85. n. 26. seq. huic argumento satisfactum fuisse. Addenda tamen est præclara Sancti Augustini doctrina in Lib. *de diversis quæstion.* 83. q. 73. T. VI. ubi explicans ea Apostoli verba de Christo: *Et habitu inventus ut homo*, primo observat, *habitum* dici ab *habere*, nempe quod alicui accidit; postea vero iterum observat, quædam nobis accidere, quæ nos mutant, quin ipsa mutentur a nobis, sicuti sapientia, quæ in se non mutatur, sed hominem mutat: quædam sic accidere, ut & mutent, & mutentur, sicut cibus & mutat nos, & mutatur in nobis: quædam mutari a nobis, quin nos mutemur, ut vestis a nobis induta eam accipit formam, quam non habet exuta; nec tamen per eam nostra membra immutantur. Cum ergo Apostolus dicit, Filium Dei factum fuisse in similitudinem hominum, & *habitu* inventum ut hominem, id voluit significare, quod in vestibus accidit, quæ *ipsæ* mutantur, quin homo vestitus mutetur: sic enim homo assumptus a Deo fuit, *ut commutaretur in melius, & ab eo formaretur ineffabiliter excellentius, atque conjunctius, quam vestis, cum ab homine induitur.*

PROPOSITIO II.

Caro Domini nostri Jesu Christi non fuit cœlestis, sed humana in utero Beatæ Mariæ Virginis formata.

35. Hæc propositio iis ipsis Sacræ scripturæ testimoniis probatur, quibus in superiore propositione probavimus, Christum Dominum assumpsisse verum corpus nec phantasticum; præcipue autem ex iis S. Pauli verbis ad Roman. I. 2. *Qui* (Filius Dei) *factus est ex ex semine David secundum carnem:* Christus enim dici nullatenus posset ex semine David secundum carnem, nisi ex Maria, quæ erat de domo, & familia David, originem traxisset. Præterea idem Apostolus ad Gal. IV. 4. *Misit Deus*, inquit, *Filium suum factum ex muliere*, scilicet per veram generationem, quamquam sine virili commercio; juxta verba Angeli Gabrielis Lucæ I. 31. ad Marian Virginem: *Ecce concipies in utero, & paries Filium.* Et consequenter apud eumdem Evangelistam cap. II., 7. de Maria dicitur: *Et peperit filium suum primogenitum.* Unde postea in aliis locis Christus ipse se Filium hominis nuncupavit Matth. IX. 6. X. 23. XVI. 23. &c.

36. His, aliisque similibus Sacræ Scripturæ testimoniis perpensis ita recte concludebat S. Irenæus Lib. III. *adv. hæres.* cap. 31. *Si non accepit Christus ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis.* Et Tertullianus Lib. *de carne Christi* cap. 15. *Si humana*, inquit, *non fuit, nec ex homine* (ejus caro), *non video ex qua substantia ipse se Christus hominem, & filium hominis pronunciavit.* Totus autem exscribendus esset ille liber, in quo Africanus Doctor hanc catholicam veritatem omni argumentorum genere confirmavit.

37. Obj. primo. Joann. III. Christus Nicodemo plura dixit, quibus eum docuit, se non terrenam, & materialem, sed cœlestem, & spiritualem carnem habere, quia non ex carne, sed ex spiritu natus erat: Vers. 6. *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Vers. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Porro Jesus Christus non descendit de cœlo secundum divinam naturam, quia semper est in sinu Patris: ergo descendit secundum naturam humanam, secundum quam etiam ascendit in cœlum.

38. Resp., in prioribus verbis nullam esse difficultatem; manifeste enim respiciunt spiritualem regenerationem, qua homines carnaliter nati iterum debent spiritualiter nasci ex aqua, & Spiritu Sancto. Prima nativitate habemus vitam carnalem, secunda spiritualem: unde recte dicitur: *Quod natum est ex carne &c.*

39. Alia verba ita a S. Thoma explicantur in hæc.

hæc qu. art. 2. ad 1. „ Christus dicitur de cœ„ lo descendisse dupliciter: uno modo ratione di„ vinæ naturæ; non ita quod natura divina in „ cœlo esse desierit, sed quia in infimis novo mo„ do esse cœpit, scilicet secundum naturam as„ sumptam, secundum illud: *Nemo ascendit* „ *in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius* „ *hominis, qui in cœlis est*. Alio modo ratione „ corporis, non quia ipsum corpus Christi secun„ dum suam substantiam de cœlo descenderit; „ sed quia virtute cœlesti, idest Spiritu Sancto, „ est ejus corpus formatum. " Descendit ergo unigenitus Filius Dei de cœlo, quatenus humanam naturam in terris assumpsit, non quasi cœlestem suam sedem deseruerit; unde subdit: *Filius hominis, qui est in cœlis*. Iterum autem in cœlum ascendit, quando eamdem naturam glorificatam in cœlum detulit. Ipsa quoque humanitas Christi dicitur aliquo sensu descendisse de cœlo, quatenus non virili commercio, sed cœlesti virtute in utero Virginis formata fuit.

40. Dices. In eodem Evangelio Joannis VI. 32. sequent. Christus se vocat *panem* de cœlo venientem; & vers. 51. q. *Ego*, inquit, *sum panis vivus, qui de cœlo descendi*. Nomine aut intelligit carnem suam: *Panis, quem ego dabo, caro mea est*: erat ergo ejus caro cœlestis.

41. Respond., toto eo sermone a commate 32. usque versus finem capitis Christum Dominum voluisse turbas docere de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod instituturus erat, & in quo verum & reale Corpus Christi continetur. Dicitur autem panis cœlestis, & qui de cœlo descendit, quia reipsa Corpus Christi de cœlo in hoc augustissimo Sacramento descendit, quando panis in ejus carnem, & vinum in ipsius sanguinem convertitur. Quamvis etiam ejus caro dici possit *cœlestis* sensu mox explicato, quia cœlesti Spiritus Sancti virtute in utero Virginis formata fuit.

42. Obj. secundo. Paulus Apostolus 1. ad Corinth. XV. *Primus homo*, inquit, *de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis*. Hic antithesis fit inter Adam, & Christum; ut quemadmodum ille corpus habuit e limo terræ formatum, ita Jesus Christus Corpus habuerit de cœlo allatum.

43. Resp., Christum vere dici hominem cœlestem, non quia carnem habuerit de cœlo delapsam, atque alterius naturæ, quam nostra sit; sed quia ejus natura humana a Dei verbo assumpta erat, & ejus caro Spiritus Sancti virtute, non virili commercio plasmata fuerat. Cœleste etiam vocatur Corpus Christi, quia in resurrectione dotes corporis glorioso accepit, factum scilicet immortale, & impassibile.

44. Objic. tertio. Corpus Christi dicitur natum *in Maria*, non *ex Maria*. Matth. I. 20. Angelus referens Joseph hoc arcanum incarnationis mysterium, inquit: *Quod in ea* (Virgine Maria) *natum est, de Spiritu Sancto est*.

45. Respond., illam particulam *in* hoc loco idem significare, ac *ex*; ut sensus idem sit, ac si diceretur: *Quod ex ea natum est*. Unde Lucæ I. 31. sequ. Angelus dixit Mariæ: *Ecce concipies in utero, & paries Filium*. Et iterum *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur* (id-est *erit*) *Filius Dei*.

46. Dices. Ipse Jesus Mariam Virginem non agnovit ut suam matrem; nam apud Matt. XII. 46. sequent. cum quidam ei dixisset: *Ecce mater tua, & fratres tui*, respondit: *Quæ est mater mea, qui sunt fratres mei?* Negans scilicet se habere matrem, & fratres. Joann. etiam II. 4. Mariam non nominavit *matrem*, sed *mulierem*. *Quid mihi, & tibi est, mulier?* Et nullibi legitur Christum vocasse Mariam matrem suam.

47. Respond., Beatam Virginem Mariam sexcentis in locis ab Evangelistis vocari *matrem Jesu Christi*, ut Matth. I. 18. *Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater ejus Mariæ Joseph.* &c. Ibid. II. 11. *Invenerunt puerum* (Jesum) *cum Maria Matre ejus* &c. Et cum hæc appellatio sæpissime repetatur, recte concludimus, Beatissimam Virginem vere, & proprie fuisse Jesu Christi matrem, quem de suis visceribus genuit. Non igitur Christus eam *mulierem* appellavit in sensu exclusivo, quasi eam matrem non aguosceret. Unde Evangelista Joannes cap. XIX. 26. *Cum vidisset*, inquit, *Jesus Matrem ... dicit Matri suæ: mulier, ecce filius tuus*: ut intelligamus, nomen *mulieris* non excludere aliud nomen *Matris*.

48. Neque ipsum nomen matris excludere voluit Christus Dominus, quando apud Matthæum dixit: *Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei?* Sed solum voluit spiritualem cognationem præferre carnali; unde subditur: *Et extendens manus in Discipulos suos, dixit: Ecce Mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & Mater est*.

49. Objic. ultim. Joann. I. 13. insinuatur, Christum non *ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo* natum esse: non ergo carnem habuit similem nostræ, sed multo nobiliorem, scilicet cœlestem.

50. Resp., verba illa Sancti Joannis proprie ad Fideles justos, & Filios Dei pertinere, qui *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*, idest non carnaliter, sed spiritualiter *ex Deo nati sunt*. Quapropter hæretici Valentiniani bene videntes, nihil ex his verbis pro sua hæresi erui posse, eadem immutare audacissime præsumpserunt, legentes: *Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex voluntate viri, sed ex Deo natus est*. Sed concedi etiam potest, & debet, carnem Christi non fuisse eodem modo in utero Virginis conceptam, & natam, quo ceteri homines concipiuntur, ac nascuntur, non ex sanguine, neque ex carnis, ac vi-

viri voluntate, sed ineffabiliter Spiritus Sancti operante virtute.

51. Quæres, an Christi caro fuerit corruptioni obnoxia.

52. Resp. Id negarunt Hæretici quidam Sæcul. VI. ex Eutychianorum secta; dicti *Incorrupticolæ*, aliquibus, etsi non gravibus, moti argumentis. Primo enim afferebant verba Ps. XV. 10. *Non dabis Sanctum tuum* (nempe Christum) *videre corruptionem*. Secundo dicebant, a Verbo fuisse assumptam carnem immaculatam, atque adeo infirmitatibus, ac corruptioni minime obnoxiam; hæ quippe hujus vitæ miseriæ sunt peccati pœnæ. Tertio nonnullis abutebantur Sanctorum Patrum testimoniis, quibus aperte eorum sententia confirmari videtur; ut ex. grat. verbis S. Cyrilli, qui Lib. IX. *de adoratione in spiritu & veritate*, *Incorruptibile est Christi Corpus, & divinam in seipso naturam habet:* & Dionysii Alexandr., qui multo antea Paulum Samosatenum reprehendebat, quod diceret, *corruptibilem esse Sanguinem Jesu*.

53. Veruntamen absolute dicendum est, Christi *carnem* fuisse omnino similem nostræ passibilem, & infirmitatibus, atque corruptioni obnoxiam: unde Christus vere pro nobis passus, & mortuus est. Hæc fuit omnium Sanctorum Patrum sententia, ex quibus unum laudare sufficiat Sanctum Augustinum, qui in Lib. II. *De peccatorum meritis, & remissione* cap. 29. Tom. X. Part. I. *Quia*, inquit, *in eo* (Salvatore nostro) *erat similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit, ab ipsa exorsus infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa, caro pervenire potuisse, nisi juvenis fuisset occisus*.

54. Quod vero objiciebant Incorrupticolæ ex Psalmo XV., facile expediunt cum Sancto Petro, qui in Act. Apostol. II. 27. hoc Psalmistæ vaticinium adimpletum fuisse dicit, quando Christus resurrexit. Quamvis enim mortuus, & sepultus fuerit, non tamen ejus caro in sepulcro corrupta est.

55. Alterum Incorrupticolarum argumentum probat tantummodo, Christum non necessitate, sed voluntate fuisse obnoxium doloribus, passioubus, ac morti. Quod S. Augustinus inculenter asseruit in loco mox citato addens: *Quæ tamen mors in carne peccati inobedientiæ debita redditur, in similitudine autem carnis peccati obedientiæ voluntate suscepta est*.

56. Sancti Patres nonnunquam locuti sunt de Christi carne gloriosa post resurrectionem. Et sic Sanctus Cyrillus Alexandrin. in epist. ad Successum seipsum explicat: dicens: *Post resurrectionem vero erat quidem illud ipsum corpus, quod passum erat, sed non jam humanas infirmitates in se habebat. Non enim jam amplius fames, aut lassitudinem, aut aliquid hujusmodi sentire poterat: quin potius incorruptibile deinceps erat*. Vel Christum Dominum non necessitate naturæ corruptæ per peccatum, ut nobis contingit, sed solum voluntaria obedientia propter nostram salutem passionibus, & morti obnoxium esse docebant, quæ doctrina est verissima.

57. Epistola autem Sancti Dionysii Alexandrini ad Paulum Samosatenum, quæ a Turriano in T. I. *Collect. Conciliorum* anno 1608. Romæ impressa fuit, judicio saniorum Criticorum apocrypha est, & post hæresim Nestorianam scripta: ejusque auctor in erroribus Pauli Samosateni non bene versatum se prodit. Ceterum, quod eidem Paulo vitio vertit, quod diceret, *esse incorruptibilem Sanguinem Jesu*, intelligendum est de Sanguine ejusdem Jesu Christi in Sacramento Eucharistiæ, non in vivo ejus corpore (*a*).

CAPUT II.

Ostenditur contra quosdam Arianos, atque Apollinaristas, in Jesu Christo veram fuisse animam, & mentem.

58. Sanctus Athanasius in Lib. I. contra Apollinarium n. 6. *Frustra*, inquit, *Ariani arguties utuntur, dum Salvatorem carnem solam assumpsisse statuunt, ac passionis sensum ad impassibilem Deitatem impie referunt*. Concinit Sanctus Augustinus in Lib. *De hæresibus* n. 49. (*b*), & nonnulli alii, ut de hac re dubitari minime possit.

59. Neque hic error ab illa capitali Arianorum hæresi abludebat, qua veram, consubstantialemque Jesu Christi divinitatem negabant, cum enim in-

(*a*) Ea hujus Scriptoris verba, quibus etiam condemnatur Calvinistarum hæresis, quæ præsentiam realem Corporis, & Sanguinis Jesu Christi in Sacramento Eucharistiæ negat: „ Surrexit primum Samosatenus, is loquens iniqua, qui diceret esse corruptibilem „ Sanguinem Jesu, qui est Deus Israel Jesus, qui omnem corruptionem, & passionem, & mortem solvit; qui redemit nos a servitute corruptionis. Sanguinem mortalis, & passibilis hominis dicit, quia „ dixit Dominus gloriæ discipulis *Acelpite, & divite: hoc „ dite: nomen testamentum est in meo Sanguine, hoc „ facite in meam commemorationem*. Et quia dixit item: *Qui pro vobis effundetur*. Hæc cum audisset „ Samosatenus, videtur in hac voce Domini niti contra veritatem. " Quem errorem cum refutasset, ita concludit; „ in omnibus ostendimus torrenti iniquitatis, non esse corruptibilem Sanguinem factum Dei „ nostri Jesu Christi, necesse hominis mortalis sicut „ nos, sed Dei veri, qui est torrens voluptatis iis „ qui eum participant. " Auctor igitur epistulæ, quicumque sit, pro certo habebat, quod nos etiam credimus, Sanguinem, qui in Eucharistia sumitur, esse verum, & incorruptibilem Sanguinem Christi.

(*b*) De Arianis enim ita scribit: „ In eo autem,

Incelentissimis, & innumeris Sacræ Scripturæ testimoniis premerentur, eo devenerunt, ut aliquam inferioris ordinis divinitatem faterentur, quam facile dicere potuerunt esse animam ipsius Christi, in qua & passus, & mortuus fuerit, & a mortuis resurrexerit. Unde S. Ambros. Lib. I. *De fide ad Gratianum* cap. 13. inquiebat: *Detestandi Judæi, qui carnem Domini crucifixerunt: detestabiliores tamen eos arbitror* (Arianos), *qui divinitatem Christi cruci subditam crediderunt*. Imo eo libentius omnes Christi passiones ejus divinitati tribuebant Ariani, quo facilius ex illis inferre nitebantur, naturam Filii esse a divina Patris diversam.

60. Apertius autem, & sine ulla ambiguitate animam humanam Christo denegarunt Apollinaristæ, ita dicti ab Apollinari Episcopo Laodiceno, qui Sæculo IV. jam inclinante suos errores spargere cœpit. Fuerat autem Apollinaris magna apud omnes existimatione, cum propter externam quamdam morum probitatem, tum etiam propter plurimos, editos libros laude dignos, ut videri potest apud Sanct. Hieronymum in *Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum* cap. 114.; sed postea hæresis turpitudine omnem laudem, atque omne laborum suorum meritum amisit.

61. Apollinaristarum hæresim contra sacrosanctum Incarnationis mysterium his verbis S. Augustinus describit in Lib. *De Hæresibus* n. 55. *De anima Christi a Catholica dissenserunt, dicentes, sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In qua quæstione testimoniis Evangelicis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, defuisse animæ Christi, sed pro hac ipsum Verbum in eo fuisse, dixerunt*.

62. Clarius hoc Apollinaris delirium exponit Theodoretus Lib. IV. *Hæret. fabul.* cap. 8., inquiens de Apollinari: *Incarnatum dixit esse Deum Verbum, quod corpus, & animam assumpsit, non rationalem, sed rationis expertem, quam naturalem, sive vitalem aliquid nominant: mentem porro diversum quiddam ab anima esse dicens, negavit assumptam, sed naturam sufficisse divinam, ad usum mentis explendum*. Consul. etiam, quæ idem Theodoretus scribit de Apollinari in *Hist. Eccl.* Lib. V. cap. 3. *Videte absurditatem*, inquiebat S. Augustinus de Apollinaristis Tract. XLVII. in Joann. n. 9. T. III. Part. II., *& insaniam non ferendam, Animam irrationalem eum* (Christum) *habere voluerunt, rationalem negaverunt: dederunt et animam pecoris; subtraxerunt animam hominis* (a).

63. Sed & alium absurdiorem, & vix credibilem errorem Sancti Patres in Apollinaristis notarunt; nempe divinitatem ipsam fuisse in carnem conversam. Sanct. Augustinus in Hæresi LV. supraud. ita pergit: *De ipsa vero ejus* (Christi) *carne sic a recta fide discessisse perhibentur, ut dicerent, carnem illam, & Verbum unius, ejusdemque substantiæ, contentiosissime asseverantes, Verbum carnem factum, hoc est Verbi aliquid in carnem fuisse conversum, atque mutatum, non autem carnem de Mariæ carne fuisse susceptam*. Teste autem S. Gregorio Nazianzeno in Orat. XLVI. carnalem ipsam naturam volebant a Filio, antequam de Maria nasceretur, fuisse assumptam, eamque de cœlo in terram delatam; quem errorem Apollinaristæ a Valentinianis mutuati sunt, de quibus supra n. 8.

64. Sanctus Athanasius in celebri sua epistola ad Epictetum Episcopum Corinthi, quam Sanctus Epiphanius affert in *Hæresi* LXXVII. nonnullos alios Apollinaristarum errores contra orthodoxam Dominicæ incarnationis doctrinam enumerat, quamvis Apollinarium minime nominet, quos etiam breviter quidem, sed nervose refellit.

65. Denique etiam Sabellianismi fuit Apollinaris accusatus, quod divinæ Trinitatis personas solo nomine, non autem reipsa distingueret, eadem utens similitudine splendoris, radii, & solis, qua Sabellius mysterium Trinitatis explicabat, seu verius funditus evertebat. Ita Sanctus Basilius epist. CCXCIII., & Theodoretus supraland.; ut nulla pro-

(a) Recte Nemesius initio sui libri. *De natura hominis* observavit, hanc distinctionem inter animam rationalem, & irrationalem deprompsam fuisse ex Platonicorum Philosophia, cujus studiosissimus Apollinaris fuerat. Quidam enim Platonicorum, ut Plotinus, dicebat *aliud esse animam, & aliud mentem*, & ex tribus constare hominem volebant, nempe *corpore, anima, & mente*. Hinc Apollinaristæ dicti sunt a S. Epiphanio *Hæres.* LXXVII. Διαιρετικοὶ Δυνατικὸν, quod tertiam hominis partem, nempe mentem, Christo denegarent: Διαιρεσις enim apud Græcos significat tertiam partem.

„ quod Christum sine anima solum carnem suscepisse „ arbitrantur, minus noti sunt: nec adversus eos ab „ aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum. „ Sed hoc verum esse *& Epiphanius non tacuit*, & „ ego ex eorum quibusdam scriptis, & collocutioni„ bus *certissime* comperi". Quibus Augustini verbis recitatis Dion. Petavius L. I. *De Incarn.* c. 5. n. 5. ita subdit: „ Non igitur Athanasii, *Epiphanii*, & a„ liorum, quos citavi, antiquorum se Commentarios „ legerat Augustinus. " At vero, quomodo non legerat Augustinus Commentarios *Epiphanii*, quem nominatim allegat, & ex quo omnes fere hæreses se exscripsisse initio ejusdem operis testatur? Equidem potius arbitror, causam, cur S. Doctor dicat, Arianos fuisse propter hunc errorem *minus notos*, eam esse ipsam, quam inferius n. 8. idem Petavius sapienter allegat, nempe & Patres Conc. Niceni, & alios, qui Arianos condemnarunt, respexisse ad primarium, & omnium perniciosissimum illorum impietatem contra veram Filii divinitatem; minus autem curasse hunc errorem, qui erat quasi appendicula, & alterius. Neque omnes Ariani in hanc amentiam consurrarunt, vel saltem eam palam non manifestarunt.

proinde fides habenda sit Leontio Byzantino, qui in Libr. *De Sectis* Act. IV. Apollinarem circa Divinitatis dogma non errasse affirmat. Sed de Apollinaris erroribus Vid. Natalis Alexander *Hist. Eccl.* Sæcul. IV. cap. 5. artic. 14., & Dion. Petavius Lib. I. de *Incarn.* cap. 6.

66. Damnati autem non semel fuere Apollinaristarum errores; & primo in Synodo Alexandrina S. Athanasii an. 362., ubi tamen Apollinaris nomen, ad ipsius minuendam infamiam suppressum fuit, & solum definitum *Salvatorem non habuisse corpus inanimum, nec sensus, aut mentis expers.*

67. Ulterius hæc ipsa Apollinaris hæresis damnata fuit Romæ circa annum 373. a Damaso summo Pontifice, qui etiam in Apollinarem, ac Timotheum primarium ejus Discipulum sententiam depositionis tulit, ut patet ex ejusdem Damasi epistola ad Orientales relata a Theodoreto Lib. V. *Histor. Eccles.* cap. 8. (*a*). Postea damnata fuit in Synodo Antiochena anno 378., ac demum in Concilio Constantinopol. I., quod est œcumenicum II., ut constat ex ep. Synodica his verbis: *Nos præterea doctrinam Dominicæ incarnationis integram, & perfectam tenemus: neque dispensationem carnis Christi, vel animæ, vel mentis expertem, vel imperfectam esse asserimus; sed agnoscimus Verbum Dei ante sæcula omnino perfectum hominem in novissimis diebus pro nostra salute factum esse.* Juxta has Ecclesiæ definitiones ponitur hæc dogmatica

PROPOSITIO.

Jesus Christus una cum carne etiam animam, & mentem humanam suscepit.

68. S. Thomas hanc catholicam veritatem 3. Parte quæst. 5. art. 3. & 4. primo probat apertissimis Sacr. Scripturarum locis, quibus Christus ipse declarat se animam habere: Joann. X. 15. seq. *Animam meam pono pro ovibus meis ... ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Ubi certe intelligimus potestatem ponendi, & sumendi animam non esse ab ipsa anima, sed a Verbo divino, quod eam assumpsit, & quando voluit, eam deposuit.

69. Respondebat Apollinaris, in his locis animam sumi *metaphorice*, sicuti metaphorice sumitur apud Isaiam c. I. 14., cum dicit Deus: *Calendas vestras odivit anima mea.*

70. Sed hanc Apollinaris exceptionem præcludit Augelicus cum Sancto Augustino in Lib. *De diversis quæst. octoginta tribus* quæst. 80. T. VI., qui Evangelistæ nobis exponunt proprios animæ humanæ affectus; ut tristitiam Matth. XXVI. 37. *Tristis est anima mea usque ad mortem;* turbationem Joann. XII. 27. *Nunc anima mea turbata est;* desideria Lucæ XXII. 15. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Ac denique ut dicitur Lucæ II. ult. *Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Hæc omnia non solum evidenter ostendunt, in Christo Jesu fuisse animam a Divinitate distinctam, sed etiam hanc animam fuisse mente, & ratione præditam, sine qua nullæ possunt in nobis esse hujusmodi passiones: & sicut ex quo Christus comederit, dormierit, fatigatus fuerit &c. recte colligitur, in eo verum fuisse corpus, quod his corporeis actionibus, & passionibus obnoxium fuerit; ita pariter &c.

71. Secundo, animam, eamque rationis compotem fuisse a divino Verbo assumptam S. Thomas ex eo probat, quod Christus verus homo in sacris litteris sæpe dicatur, & filius hominis. Quod etiam in Symbolo omnes Fideles profiteantur: *Et homo factus est.* Quomodo autem homo appellari poterit, si anima careat, quæ præcipua est hominis pars? Et, ut bene advertit Angelicus. „ Cano et cetera partes hominis per animam spe„ ciem sortiuntur; unde recedente anima non est „ os, aut caro nisi æquivoce, ut patet per Phi„ losophum in II. *de Anima* textu 9., & VII. „ *Metaph.* tex. 34. “ Ant. autem 4. inde probat, Verbum etiam intellectum assumpsisse; quia si animam sine intellectu assumpsisset, non habuisset veram carnem *humanam*, sed *bestialem;* per solam enim mentem anima nostra differt ab anima bestiali; unde dicit August. loco mox cit., quod secundum hunc errorem Filius *belluam quamdam cum figura humani corporis suscepisset.*

72. Tertio probat Angelicus, hæresim Apolli-na-

(*a*) *Laudatissimus Damasus*, inquit Theodoretus, *cum hanc hæresim exortam esse didicisset, non Apollinarem modo, verum etiam Timotheum ejus discipulum deposuit, & ab Ecclesiæ communione alienos pronunciavit.* Postea vero ipse Theodoretus cap. 10. Epistolam Synodicam ejusdem Damasi ad Episcopos Orientales refert; quæ lectu digna est, præcipue ad ostendendum antiquum Ecclesiæ morem, causas majores ad Apostolicæ Sedis tribunal deferendi. Ita autem eosdem Pontifex alloquitur: *Quod debitam Apostolicæ Sedi reverentiam exhibet charitas vestra, in eo vobis ipsis pla-*

rimum præstatis, Filii charissimi. Et postea: *Quid igitur depositionem Timothei a me denuo postulatis? Qui & hic judicio Sedis Apostolicæ, præsente etiam Petro Alexandrinorum Urbis Episcopo depositus est una cum Magistro ipsius Apollinare.* Idem Sanctus Damasus allium Apollinaris discipulum nomine Vitalem Romam ad dicendam causam vocavit. Sed a fraudulento hæretico ficta suæ fidei expositione deceptus, est: cognita tamen fraude eumdem ab Ecclesiæ cœtu abdicavit. Rem totam narrat S. Gregorius Nazianzenus in epist. 1. ad Cledonium, sive Orat. LII.

narisarum derogare utilitati Incarnationis hoc S. August. ratiocinio in Lib. *contra Felicianum* c. 25. (*a*). „ Si accepta carne Filius Dei animam „ omisit, aut innoxiam sciens, medicinæ indigen„ tem non credidit; aut a se alienam putans, re„ demptioris beneficio non donavit; aut ex toto „ insanabilem judicans, curare nequivit; aut ut „ vilem, quæ nullis usibus apta videretur, abje„ cit. " Horum autem duo posteriora importare dicit blasphemiam in Deum; quomodo enim omnipotens dicatur, si curare non potuit animam? Aut quomodo Deus, si ipse animam nostram non fecit? Duo autem priora aut Deum faciunt nostræ infirmitatis ignarum, aut meritum tollunt universalis redemptionis. Quibus absurdis expositis laudatus Auctor ita concludit: „ Ego autem Chri„ stum & perfectum sapientia scio, & piissimum „ esse, non dubito; quorum primo meliorem, & „ prudentiæ capacem (animam) non despexit; „ secundo eam, quæ magis fuerit vulnerata, su„ scepit. "

73. Hæc autem ratio, quod debuerit Verbum divinum assumere animam, quia anima magis redemptione egebat, quam caro, etiam probat, animam assumptam a Verbo debuisse rationis compotem esse; anima enim non est capax peccati, nec gratiæ justificantis, nisi per mentem. Hinc Damascenus Lib. III. *de fide orthodoxa* cap. 6. postquam dixisset, Deum Verbum assumpsisse totam naturam humanam, qualis ab ipso creata fuerat, scilicet corpus, & animam intellectualem, & rationalem, cum utriusque proprietatibus, subdit: *Totum quippe me totus assumpsit, ac totus toti unitus est, ut toti salutem afferret. Nam alioquin non potuit sanari, quod assumptum non fuit.* Quæ omnia consonant iis Christi verbis Matth. XVIII. 11.: *Venit enim Filius hominis salvare, quod perierat.*

74. Objic. primo. Joannes cap. I., ubi incarnationis mysterium describit, tantummodo dicit, *Verbum carnem esse factum*, sine ulla animæ mentione.

75. Respondet Sanct. Thomas, ibi poni carnem pro toto homine, perinde ac diceretur: *Verbum homo factum est*; sicut & Isaiæ XL. 5. dicitur: *Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*; & Joelis II. 2. *Effundam spiritum meum in omnem carnem*; & Psalm. LXIV. *Ad te omnis caro veniet*; & iterum Psalm. CXLIII. *Benedicat omnis caro nomini sancto ejus.* Ideo autem carnis potius, quam animæ mentio facta est, quia caro est visibilis; unde subditur: *Et vidimus gloriam ejus.* Atque hac etiam de causa hoc mysterium communiter appellari solet *Incarnatio*; non quasi sola caro assumpta fuerit, sed ut conjectatur Sanctus Gregorius Nazian. in epist. I. ad Cledonium, quia *nostra causa usque ad deteriorem partem* (nempe carnem) *se demisit.* Vel, ut inquit Sanctus Augustinus *de divers. quæst.* 83. quæst. 80., *volens Evangelista commendare pro nobis dilectionem humilitatis Dei, Verbum, & carnem nominavit, prætermittens animum; quæ est Verbo inferior, carne præstantior.*

76. Objic. secundo. Anima necessaria est corpori, ut illud vivificet, atque ad operandum moveat; sed hoc totum præstabatur a Verbo divino, de quo intelligitur illud Psal. XXXV. 10. *Apud te est fons vitæ*: superflua igitur erat in Christo anima, adeoque a Deo minime assumpta, qui nihil operatur frustra.

77. Respondet Angelicus, quod Verbum est *fons vitæ*, sicut prima causa vitæ effectiva; sed anima est principium vitæ corporis, *tamquam forma ipsius*. Et ideo necesse fuit, a Verbo assumi etiam animam, alias non assumpsisset veram naturam humanam.

78. Dices. Saltem in Christo non erat necessarius intellectus, cum in illo esset sapientia divina, quæ est *lux vera illuminans omnem hominem*, ut dicitur Joann. I.

79. Resp. Huic difficultati Sanctus Gregorius Nazianzenus in priori epist. ad Cledonium, quamquam ex hac ratione necessarium non fuerit, ut Verbum assumeret mentem, id tamen necessarium fuisse alia de causa, ut Christus verus, & perfectus homo esset; quod sine mente esse non poterat.

80. Objic. tertio. Ex unione animæ ad corpus constituitur natura communis, quæ est species humana; at vero docente Sancto Joanne Damasceno Lib. III. *De fide orthodoxa* cap. 3. *in Domino nostro Jesu Christo non potest accipi communis species*: non igitur Deus assumpsit animam.

81. Respondet S. Thomas, non esse inconveniens, imo esse necessarium dicere, quod in Christo fuerit natura, quæ constituitur per animam advenientem corpori. Damascenus autem negat, in Domino Jesu Christo esse communem speciem, quasi aliquid tertium resultans ex unione Divinitatis & humanitatis: unde in loco objecto subdit: *Ne-*

(*a*) Hic *Liber contra Felicianum Arianum de Unitate Trinitatis* a Patribus Maurinis tamquam supposititius est Append. Tomi VIII., sed a Lovaniensibus ut genuinus habitus fuit. Editores Maurini illum tribuunt Vigilio Tapsensi, qui Augustino fere coævus fuit. Sanctus Thomas post Magistrum *Sententiarum*, & Alcuinum sub nomine Sancti illum citavit. Quidquid vero sit de vero ejus parente, rationes allatæ ad probandum, non potuisse a Verbo divino carnem humanam sine anima assumi, validissimæ sunt. Easdem propterea etiam Sanctus Fulgentius adhibuit Lib. I. ad Trasimundum c. 14., inquiens: *Ad extremum dicatur, cur ab illa ineffabili divinitate non fuerit animæ natura suscepta cum carne? utrum a Deo non fuerit facta? an peccato non fuerit vitiata? an carne vitiorem universali medicina despexit? an peccati vulnere saucietam omnipotens curare nequiverit?* Quæ omnia falsa & absurda esse Ruspensis Episcopus ostendit.

Neque enim fuit, nec est, nec unquam erit alius Christus ex Deitate, & humanitate, inque Deitate, & humanitate perfectus Deus, & perfectus homo.

82. Objic. quarto. Homo dicitur factus ad imaginem Dei præcipue propter animam, & rationem (vide quæ de imagine Dei in homine dicta sunt Tom. IV. Dis. III. Sect. I. cap. 2.); sed ubi est præsentia rei, non requiritur ejus imago: ergo in carne a Verbo Dei assumpta non erat necessaria anima, vel ejus ratio.

83. Resp. cum Angelico, minorem propositionem esse veram, quando imago ponitur, ut supleat rei absentis præsentiam, ut ponitur imago imperatoris absentis; non autem quando præsentia rei tantum ponitur ad perficiendam ipsam imaginem, ut in Verbi incarnatione contigit, in qua natura humana in se perfecta ad majorem perfectionem assumpta fuit, ut in divina Persona subsisteret.

84. Obj. quinto. Duæ naturæ perfectæ in unica persona subsistere non possunt; sed Verbi natura perfectissima erat: oportebat igitur, naturam humanam esse in Christo imperfectam, & diminutam, seu anima, vel mente carentem. Major propositio ita evidens Apollinaristis videbatur, ut instar axiomatis haberent, quod *duo perfecta non capiebat Christus*.

85. Resp. cum S. Gregorio Nazianz., majorem propositionem veram esse de rebus corporeis, quæ se invicem penetrare non possunt; ut vas perfecte plenum nihil aliud continere potest; non autem de rebus incorporeis, & intelligibilibus. Quamquam cum dicitur natura humana perfecta, non ea perfectione donata dicitur, qua nulla major esse possit, quomodo est perfecta natura divina. Sed dicitur perfecta in suo ordine, ita tamen ut ad altiorem perfectionem in ordine supernaturali elevari possit.

86. Unde etiam solvitur alia Apollinaristarum objectio, quod posita in Christo natura humana perfecta, sequeretur, non Trinitatem a nobis adorari, sed quaternitatem. Quis enim Catholicorum unquam somniavit, naturam humanam, quæ dicitur *in suo ordine* perfecta, tantæ esse in omni genere perfectionis, ut aliam personam divinam constituat? Alias subtiliores Apollinaristarum cavillationes videre quis poterit apud Dion. Petavium Lib. *de Incarn.* cap. 12., & apud Natal. Alexandrum Diss. XLVII. in sæc. IV.

87. Concludamus igitur cum nostra pia Matre Ecclesia Catholica in Symbolo, quod diebus Dominicis recitari solet: *Est ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei filius, Deus, & homo est, Deus est ex substantia Patris, ante sæcula genitus; & homo ex substantia matris in sæculo natus: perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens.*

88. Neque vero in levi illa vocum controversia immorabimur, quæ olim excitata fuit, an Christus dici debeat compositus ex tribus, nempe Divinitate, corpore, & anima? An vero ex duobus, scilicet natura divina, & humana? Utraque loquitio suos habuit patronos. Hæc secunda magis propria videtur: ne si velimus naturam humanam in omnes suas partes secare, dicere cogamur, Christum esse compositum ex corpore, anima, mente &c. Attamen prima locutio aliis visa est opportunior ad Arianorum, atque Apollinaristarum fraudes evitandas.

89. Quæres primo, an prius fuerit anima a Verbo assumpta, quam caro; aut prius caro, quam anima?

90. Resp. primo, omnino rejiciendum Origenis Adamantii errorem, qui omnes animas, non excepta sanctissima Christi anima, a principio fuisse creatas volebat; de quo videatur Petr. Dan. Huetius in *Origenianis* Lib. II. quæst. 6. n. 5. Hunc Origenis errorem una cum multis aliis proscribendum curavit Justinianus Augustus in celebri epist. ad Mennam, quæ a Synodo V. approbata fuit, inquiens: *Si quis dicit, aut sentit, animam Domini præexistisse, unitamque esse Deo Verbo ante incarnationem, & nativitatem ex Virgine, anathema sit.* Hinc S. Jo. Damascenus lib. 4. *De fide orthod.* c. 6. *Non quemadmodum*, inquit, *quidam falso prædicant, mens ante carnem ex Virgine assumptam, Deo Verbo copulata est; & jam tum Christi nomen accepit. Commentum enim hoc inter Origenis deliramenta recensetur, qui animas corporibus esse vetustiores docuerit:* non igitur anima Christi aute ejusdem carnem existebat; adeoque nec ante carnem assumpta est.

91. Hujus autem veritatis hanc rationem reddit Sanctus Thomas 3. Part. qu. 6. art. 3., quia si dicatur, quod fuerit anima Christi prius creata, sed non statim Verbo unita, „ sequeretur quod a„ nima illa aliquando habuisset propriam subsi„ stentiam sine Verbo: & sic cum fuisset a Ver„ bo assumpta, vel non esset facta unio secun„ dum subsistentiam, vel corrupta fuisset subsi„ stentia animæ præexistens. Similiter etiam est „ inconveniens, si ponatur, quod anima illa fue„ rit a principio Verbo unita, & postmodum in „ utero Virginis incarnata, quia sic ejus anima „ videretur esse non ejusdem naturæ cum nostris, „ quæ simul creantur, dum corporibus infun„ duntur".

92. Multo minus dici potest, fuisse prius a Verbo assumptam carnem, quam animam, quia, ut S. Thomas ratiocinatur art. 4. „ caro humana as„ sumptibilis est a Verbo, secundum ordinem, „ quem habet ad animam rationalem, sicut ad „ propriam formam. Hunc autem ordinem non „ habet, antequam anima rationalis ei adveniat: „ quia simul dum alia materia fit propria alicu„ jus formæ, recipit illam formam: unde in eo„ dem instanti terminatur alteratio, in quo introdu-

„ dicitur forma substantialis. Et inde est, quod „ caro non debuit ante assumi, quam esset caro „ humana, quod factum est, anima rationali ad- „ veniente. Sicut igitur prima anima non est prius „ assumpta, quam caro.... ita caro non debuit „ prius assumi, quam anima, quia non prius est „ caro humana, quam habeat animam rationalem."

93. Unico ergo momento in utero B. Virginis Christi caro concepta fuit, anima informata, & a Verbo assumpta. S. Jo. Damascenus Lib. III. *De fide orthod.* cap. 2. *Quamobrem*, inquit, *simulatque caro extitit, simul quoque Dei Verbi extitit caro, simul caro animata, rationis participes, & intelligentiæ.* Et sancti Patres communi contra Nestorium consensu docuerunt, non prius fuisse hominem formatum, & postea a Deo assumptum, sed eodem ipsissimo puncto temporis hominem ex purissimo B. Mariæ Virginis sanguine conceptum, a Verbo in consortium divinæ naturæ assumptum.

94. Neque vero hic valet similitudo aliorum hominum, quorum caro prius in utero matris plasmatur, quam ei anima infundatur. Conceptio enim Christi, sicuti a communi hominum conceptione in eo distat, quod sine virili semine virtute Spiritus sancti facta est, ita quoque in eo dissimilis est, quod non aliquo temporis intervallo, sed unico momento fuit & caro plasmata, & anima infusa, & tota natura a divino Verbo assumpta.

95. Non negat tamen Angelicus ibid. ad 3. aliquem intercessisse ordinem naturæ; nam *unione personali prius secundum intellectum oportet, quod caro uniatur animæ, quam Verbo: quia ex unione ad animam* (caro) *habet, quod sit unibilis Verbo in persona: præsertim quia persona non invenitur, nisi in rationali creatura.*

CAPUT III.

De defectibus humanæ naturæ a Jesu Christo assumptis.

69. Post ea pauca, quæ superius num. 52. & seq. de corruptibilitate carnis Christi contra Incorrumpticolas breviter innuimus, nunc de aliis humanæ naturæ defectibus a Jesu Christo pro nostra redemptione *assumptis* (*a*) copiosius disputandum est. Istorum autem defectuum alii pertinent ad corpus, ut fames, sitis, ac mors: alii autem ad animam, ut metus, tristitia, dolor, & hujus generis cetera. De his omnibus agendum est cum Sanct. Thoma 3. Part. quæst. 14., & 15., & primum de defectibus corporis.

PROPOSITIO.

Christus Dominus una cum humana natura etiam naturales, & communes corporis nostri defectus in se suscepit.

97. Hæc propositio iis omnibus suadetur, quibus supra num. 13. & seq. ostensum est contra Hæreticos Phantasiastes, veram in Jesu Christo fuisse carnem, nostræ similem, adeoque iisdem incommodis, & vicissitudinibus subjectam. Hinc sæpius eum *esurisse* legimus, ut Matth. IV. 1., & XXV. 18. etiam *sitisse* Joan. IV. 7. & XIX. 18.; item *fatigatum ex itinere sedisse* Joan. 6.; & alias vitæ nostræ miserias pro nobis pertulisse. Quamobrem recte S. Ambrosius Lib. VII. in Lucam: *Qui corpus suscepit*, inquit, *omnia debuit subire, quæ corporis sunt, ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur.* Hinc etiam omnes fideles in Symbolo profitentur, Christum Jesum *passum, crucifixum, & sepultum* fuisse.

98. Neque vero aliquis dicat, Jesum Christum etiam post resurrectionem manducasse, & bibisse, non certe quasi esuriret, & sitiret; potuisse igitur etiam ante mortem hæc omnia apparenter peragere, quin ad famem ac sitim sedandam iis opus haberet.

99. Resp. enim, in hoc esse discrimen, quod in vita sua Christus Dominus non solum dicatur manducasse, & bibisse, sed *esurivisse, & sitiisse*; fuisse *fatigatum, contristatum, passum, & mortuum*. Quorum nihil de Jesu Christo post resurrectionem in sacris litteris legitur.

110. Id autem convenienter factum fuisse ex tribus probat S. Thomas art. 1. quæst. 14. Primo, cum Filius Dei carnem assumpserit, ut æterno suo Patri pro peccatis nostris satisfaceret, decuit, ut carnem assumeret, iis subjectam miseriis, quæ nobis a Deo, ut peccati pœnæ inflictæ sunt: tales autem esse hujus vitæ humanæ miserias, nempe primi peccati pœnas, late demonstratum fuit Tom. IX. pag. 310. seq.: decuit ergo, ut eosdem defectus ad satisfaciendum pro nobis divinæ justitiæ, Christus Dominus in se susciperet. Quod Isaias spiritu prophetico vaticinatus est LIII. 4. dicens de venturo Redemptore: *Vere languores nostros* (LXX. Interpretes legunt *peccata nostra*) *ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit* (*b*). Un-

(*a*) Sanct. Thomas hoc eodem verbo *assumendi* utitur, negat autem art. 3. dici posse, Jesum Christum hos defectus *contraxisse*, „ quia in verbo *contrahendi* „ intelligitur ordo effectus ad causam, ut scilicet il- „ lud dicatur *contrahi*, quod simul cum sua causa ex „ necessitate trahitur. Causa autem mortis, & horum „ defectuum in humana natura est peccatum, quia „ *per peccatum mors intravit in hunc mundum* Rom. „ V. 12.: & ideo illi proprie dicuntur hos defectus „ contrahere, qui ex debito peccati hos defectus in- „ currunt. Christus autem hos defectus non habuit „ ex debito peccati.... Accepit enim naturam humanam absque peccato in illa puritate, in qua erat in „ statu innocentiæ &c."

(*b*) Minime obstat, quod dicit S. Matthæus VIII. 16. seq., Jesus *ejiciebat spiritus* (malos) *verbo, & omnes*

Unde S. Petrus in sua prima epist. II. 24. de Jesu Christo dicit: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis.*

101. Secundo ostendit Angeliens decuisse, ut Filius Dei corporales nostræ naturæ defectus assumeret, *propter fidem incarnationis adstruendam*. Cum enim natura humana non aliter esset nota hominibus, nisi prout hujusmodi corporalibus defectibus subjacet, si sine his defectibus Filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam, ut Manichæi, aliique hæretici supra momorati num. 5. commenti sunt. Et ideo Apostolus Paulus ad Philipp. II. 6. de Christo Jesu dicit: *Qui cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Unde etiam S. Thomas Apostolus ex contactu vulnerum Christi, ipsum a mortuis surrexisse credidit, ut dicitur Joan. XX. Hac ratione sæpissime usi sunt sancti Patres contra *Phantasiastas*.

102. Tertia ratio, cur decuerit, Christum Dominum nostri corporis defectus in se assumere, est propter exemplum patientiæ nobis exhibendum, ad pœnas, & calamitates hujus vitæ patienter, & fortiter tolerandas. Hanc rationem suppeditat S. Paulus ad Hebr. XII. 2. ita nos exhortans: *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum: qui proposito sibi gaudio (a), sustinuit crucem, confusione contempta... Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Quæ quamvis propriæ dicta sint de mortis supplicio ipsi a peccatoribus illato, possunt tamen ad omnia ea extendi, quæ propter nos homines, & propter nostram salutem Jesus Christus fecit, & passus est; etiam ut nobis patientiæ, & fortitudinis exemplum præberet. Adhuc clarius S. Petrus epist. I. cap. II. 21. *Christus*, inquit, *passus est pro nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

103. Obj. primo. Omnino decebat, ut natura humana a Verbo in consortium divinitatis assumpta, esset ab omni defectu immunis. Primo propter dignitatem Personæ assumentis; neque enim divinam majestatem decebant hujus nostræ carnis incommoda. Secundo, quia Deus assumpsit naturam hominis innocentem, qualem in primævo statu sine ulla labe ab ipso plasmata fuerat; atqui Adam in felici innocentiæ statu nullis miseriis, aut vitæ indigentiis conflictatus fuisset: ergo talia debebat esse etiam Christi natura.

104. Respond. ad primam obj. probat., nullam prorsus ejus vim esse, postquam negari non potest, nisi totam Evangelicam historiam repudiare velimus, saltem *apparenter* hæc omnia naturæ humanæ incommoda fuisse a Verbo Divino una cum natura humana assumpta, ut Hæretici Phantastastæ dicebant. Si enim non dedecebant divinam Majestatem hæc specie tenus gestare, & si periculum prolide nullum erat, negandi in Christo naturam divinam, jam corruit tota difficultas objecta. Sed tunc alia difficultas exoritur multo major, & omnino indissolubilis, quomodo possit veritas Evangelicæ historiæ sarta tectaque contra hostes Christianæ religionis salvari, immo quomodo verum sit fundamentale Religionis nostræ dogma Incarnationis Dominicæ. Veruntamen omnibus perpensis, sicut nihil divinæ Majestati in eo detractum est, quod æterni Patris unigenitus Filius, cum in forma Dei esset, voluerit pro summa erga nos misericordia sese exinanire, formam servi accipiendo; ita nihil prorsus ejus dignitati deperiit, quod simul cum forma servi etiam naturæ humanæ infirmitates, & miserias assumpserit.

105. Ad secundum. Quia Verbum divinum naturam sine peccato assumpsit, ut æterni Patris justitiæ pro nostris peccatis satisfaceret, debuit etiam pro nobis pœnas peccato debitas sustinere. *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra* Isaiæ LIII. 6. „ Quia tamen Christus fuit sine peccato, dicitur *non contraxisse* hujusmodi defectus, sed *voluntarie assumpsisse*“ inquit S. Thom. hic art. 3. ad 2. Vid. sup. not. ad n. 96.

106. Inst. Christus Dominus ut divinæ justitiæ satisfaceret, una cum corpore humano etiam animam assumpsit; atqui tamen Christi anima nullis fuit imperfectionibus subjecta; imo omni tam gratiæ, quam scientiæ perfectione donata, ut probat Angelicus 3. P. qu. P. art. 9., & qu. 9. art. 1.: ergo etiam debuit assumere corpus sine ullis imperfectionibus.

107. Respondet S. Thomas art. 1. ad 1., in hoc esse discrimen, quod animæ imperfectio non profuisset ad debitam pro peccatis nostris satisfactionem, bene vero ad id conducebant, imo suomodo necessariæ erant pœnæ corporales. „ Satisfactio, inquit Angelicus, pro peccatis alterius „ habet quidem, quasi materiam, pœnas, quas „ pro peccato alterius sustinet, sed pro principio „ habet habitum animæ, ex quo inclinatur ad vo-

male habentes curavit, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ignorationes nostras portavit. Id enim dictum fuisse vult Gnill. Estius in land. Isaiæ locum, quatenus infirmitates illæ erant peccatorum pœnæ, & ad animarum sanationem quasi præambulæ.

(a) Græcus textus habet ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς *pro gaudio sibi proposito*, quo nempe frui poterat, *sustinuit crucem* &c.

„ volendum satisfacere pro alio, & ex quo satisfactio efficaciam habet: non enim esset efficax „ satisfactio, nisi ex charitate procederet; & ideo „ oportuit, animam Christi perfectam esse, quantum ad habitus scientiarum, & virtutum, ut „ haberet facultatem satisfaciendi; & quod corpus ejus esset subjectum infirmitatibus, ut ei „ satisfactionis materia non deesset."

108. Cohærenter ad hanc doctrinam idem Angelicus in articulo 4. recte observat, quosdam esse defectus humanæ naturæ, qui repugnant perfectioni scientiæ, & gratiæ, quæ erant in anima Christi, sicut ignorantia, proinde ad malum, & difficultas ad bonum, & hos defectus negat fuisse a Christo assumptos.

109. Inst. secundo. Anima Christi non solum erat omnibus scientiarum, & virtutum habitibus ornata, sed etiam a primo suæ creationis instanti Dei visione perfecte beata; sed ex beatifica visione animæ redundat etiam gloria in corpus, dicente S. Augustino epist. CXXIII. alias LVI. ad Dioscorum, quod Deus *tam potenti natura fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine redundet etiam in inferiorem naturam, quæ est corpus, non beatitudo, quæ fruentis, & intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, sed incorruptionis vigor:* ergo quemadmodum anima, ita corpus Christi debebat esse ab omni imperfectione immune.

110. Resp. cum S. Thoma ibid. ad 2., hoc quidem contingere debere ex naturali commercio, quod animam inter & corpus est, non autem id contigisse in Christi corpore, quia Deus pro nostra utilitate voluit, ut ejus corpus esset passibile, & mortale. En verba S. Doctoris: „ Secundum naturalem habitudinem, quæ est inter a„ nimam, & corpus, ex gloria animæ redundat „ gloria ad corpus. Sed hanc naturalis habitudo „ in Christo subjacebat voluntati Divinitatis ipsius; „ ex qua factum est, quod beatitudo remaneret „ in anima, & non derivaretur ad corpus; sed „ caro pateretur, quæ conveniunt naturæ passibili."

111. Ob. secundo. Clemens Alexandr. in Lib. VI. *Stromatum* Christum nullo modo esurivisse, aut sitiisse scribit; *comedebat enim*, inquit, *non propter corpus, quod sancta virtute continebatur; sed ne eis, qui una cum eo versabantur, in mentem veniret, aliter de eo sentire .... Ipse autem passionis erat expers: ut quem nullus subiret, motus affectionis, neque voluptas, nec dolor.* Idem asserunt nonnulli alii Patres.

112. Resp. Hæc, & similia nonnullorum testimonia benigne explicanda sunt, non quod negaverint omnino in Christo humani corporis affectiones, sed quod eas non putaverint fuisse in Christo necessarias, aut ipsius voluntati contrarias, vel saltem quod sine rationis consensu insurgerent, ut æpe in nobis contingit. Esuriebat igitur, sitiebat, dolebat, patiebatur, quia volebat; cum potuisset divina sua virtute non esurire, nec sitire, nec aliis passionibus obnoxius esse. Ceterum, mentem suam aliquatenus ibidem Clemens exposuit, scilicet has humani corporis actiones ex Christi corpore absolute, & omnino non exclusisse, sed solum, ut minime necessarias: immediate enim antea dixerat: *In Servatore quidem corpus necessaria postulare ministeria, ut permaneat, ridiculum fuerit;* potuisset enim etiam sine his sustentari divina sua virtute (*a*).

113. Ob. tertio. Defectus corporis Christi finem ejusdem incarnationis impediebant. Nam primo propter tam multas, tamque magnas ipsius infirmitates facile Judæi, aliique suspicari poterant, ipsum non esse nisi purum hominem, non autem Deum; unde difficulter ad cognoscendam, & confitendam ipsius divinitatem attollebantur: certe facilius hoc incarnationis mysterium fuisset agnitum, si Verbum divinum humanam quidem carnem assumpsisset, sed omnino perfectam, nullisque infirmitatibus obnoxiam. Hinc etiam antiqui justi venturum Messiam expectabant *in fortitudine*; quorum illa vox erat apud Isaiam LI. 9: *Consurge, induere fortitudinem brachium Domini*; quod de Messia dictum intelligit S. Hieronymus, subdens: *Cujus adventum deprecatur Propheta*. Unde etiam David in Psalmo XCII. 1. de eodem Christo canebat: *Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*.

114. Resp., ad mysterium Incarnationis cognoscendum necessarium fuisse, ut Messias appareret perfectus Deus, & perfectus homo. Verum, & consubstantialem Patri divinitatem ostendit Christus, stupendis miraculis, præcipue autem prodigiosa sua ex mortuis resurrectione, quam ante prædixerat: æquum igitur erat, ut etiam assumptæ humanitatis veritatem patefaceret, subjacendo omnibus ejusdem humanitatis incommodis, & infirmitatibus. Antiqui autem Patriarchæ, & Prophetæ divino lumine collustrati Messiam expectabant in fortitudine, & potentia spirituali: & solus populus carnalis eum in potentia armorum, & in splendore majestatis terrenæ desiderabat, quemadmodum & nunc desiderat, ad restituendum temporale regnum Israel.

115. Diximus tamen in nostra propositione *naturales*, & *communes* corporis defectus fuisse a Servatore nostro susceptos; nempe eos solos, qui in omnibus *communiter* inveniuntur ex peccato pri-

(*a*) Hanc Clementis sententiam *non satis castigatam* appellat Dion. Petavius Lib. X. *De Incarn.* cap. 5. Reprehenditur etiam a Boileau in Dissert. *De sanguine Christi* 3., P. Nicol. Le-Nourry in *Apparit. ad Bibioth. Max. Sanct. Patrum*. Nat. tamen Alexander Dissert. VIII. in Sæc. II., aliique passim Theologi Clementis mentem benigne interpretantur.

primi parentis, sicut mors, fames, sitis, & alia hujusmodi. „ Quidam autem, inquit S. Thomas „ art. 3., defectus sunt, qui non consequuntur „ communiter totam naturam humanam, propter „ peccatum primi parentis, sed causantur in ali„ quibus hominibus ex quibusdam particularibus „ causis, sicut lepra, & morbus caducus, & a„ lia hujusmodi; qui quidem defectus quandoque „ causantur ex culpa hominis; puta ex inordina„ to victu; quandoque autem ex defectu virtutis „ formativæ, quorum neutrum convenit Christo; „ quia & caro ejus de Spiritu sancto concepta est, „ qui est infinitæ sapientiæ, & virtutis, atque „ errare & deficere non potens; & ipse nihil i„ nordinatum in regimine vitæ suæ exercuit. "

116. Obstare videntur verba Apostoli Pauli ad Hebr. II. 17., quod Christus *debuit per omnia fratribus similari*. Hujusmodi generales propositiones etiam inveniuntur aliquando apud sanctos Patres, scilicet Christum omnes omnino nostros defectus suscepisse.

117. Verumtamen hæc intelligenda esse cum aliqua restrictione, nos docet idem S. Apostolus in eadem epist. c. IV. 15. dicens, habere nos Pontificem *tentatum per omnia*, nempe per omnes *afflictiones nostras pro similitudine absque peccato*; idest iis exceptis quæ vel ex peccato oriuntur, vel ad peccatum suo modo inclinant.

118. Quæres primo, an prædictos communes corporis defectus Jesus Christus necessario assumpserit?

119. Negat S. Fulgentius in epist. ad Reginum, ubi postquam multa de hac re disputasset, ita cap. 4. concludit: „ Quocirca apparet, Christum „ ante passionem, imo usque ad passionem, & „ mortem, mortale, atque animale corpus ha„ buisse: & pro nobis in eodem corpore veram „ famem, veram sitim, fatigationemque sensisse, „ vera clavorum, ac lanceæ percepisse vulnera, „ & ex hoc verum dolorem *non necessitate, sed voluntate*, sensisse, veræque mortis acceptatio„ ne pro nobis animam suam propria potestate „ posuisse ". Ejusdem sententiæ est S. Jo. Damascenus Lib. III. *de fide orthod.* cap. 20. inquiens: „ Naturales passiones nostræ, & *secun„ dum naturam* in Christo erant, & *supra na„ turam*. Etenim *secundum naturam* in illo ciebantur, cum naturam pati sineret, quæ carni „ erant propria: *supra naturam* autem, quia in „ Domino quæ naturalia erant, voluntatem minime prævertebant. Neque enim *coactum quid* „ in eo conspicitur, sed *omnia voluntaria*. *Vo„ lens enim fame, volens metu, volens morte* „ *affectus est*. "

120. Quæ cum vera sint, ansam nonnullis præbuerunt eo usque progrediendi, ut dicerent, Jesum Christum tale corpus in sua prodigiosa conceptione sumpsisse, ut naturaliter pati non posset; quod si passus aliquando fuit, id propria ei voluntate contigisse, non autem suæ naturæ infirmitate; ita ut *præter naturam & per miraculum* factum sit, *quod doluerit & dolendo mortuus sit*. Et sic etiam naturale fuisse in Christo volebant jejunium 40. dierum; præternaturale autem, quod postea esurierit (*a*).

121. Sed præstat audire S. Thomam, qui 3. P. qu. 14. art. 2. solita sua præcisione hanc quæstionem ita resolvit. Primo notat, duplicem esse necessitatem; unam *coactionis*, quæ fit ab agente extrinseco, & *hæc quidem necessitas*, inquit, *contrariatur naturæ, & voluntati*: aliam naturalem, *quæ consequitur principia naturalia*; scilicet vel formam, sicut necessarium est, ignem calefacere: vel materiam, sicut necessarium est corpus ex contrariis compositum dissolvi. Hoc præmotato ita prosequitur: „ Secundum igitur hanc „ necessitatem, quæ consequitur materiam, cor„ pus Christi subjectum fuit necessitati mortis, „ & aliorum hujusmodi defectuum.... Hæc autem „ necessitas causatur ex principiis carnis humanæ. Si autem loquamur *de necessitate coactio„ nis*, secundum quidem quod repugnat naturæ „ corporali, sic iterum corpus Christi secundum „ conditionem propriæ naturæ *necessitati* subjacuit, & clavi perforantis, & flagelli percutien„ tis. Secundum vero quod necessitas talis repugnat voluntati, manifestum est, quod *in Chri„ sto non fuit necessitas horum defectuum*, ne„ que per respectum ad voluntatem humanam „ Christi absolute, prout sequitur rationem deli„ berantem; *sed solum secundum naturalem mo„ tum voluntatis*, prout scilicet naturaliter refu„ git mortem, & etiam corporis nocumenta. "

122. Et hoc sensu S. Thomas intelligit, & explicat ea verba Isaiæ LIII. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit*, quia nempe Christus *voluit* & voluntate divina, & *voluntate humana deliberata*, licet mors esset *contra naturalem motum voluntatis humanæ*.

123. Quæres secundo, an corpus Christi fuerit formæ elegantis supra ceteros homines, an potius staturæ, & faciei deformis, ac contemptibilis?

124. Resp. Ut superius num. 115. observavimus cum S. Thoma, Christus assumpsit omnes eos defectus, qui consequuntur totam naturam humanam, non autem eos, qui ex particularibus causis oriuntur, ex culpa hominis, vel ex impotentia virtutis formativæ; quia nec ille aliquid inordinatum egit in vita sua, nec Spiritus sancti virtus errare potuit in formando ejus corpore ex purissimo B. Mariæ Virginis sanguine; unde plusquam certum videtur, Christi corpus fuisse aptissimesuis

(*a*) Videri potest epistola quinta Philippi Abbatis Bonæ Spei ex Ordine Præmonstratensi inter Opera ejusdem Philippi ab uno ex ejus successoribus Nicolao Chamart edita in fol. Duaci 1621. Brevem hujus controversiæ historiam texit P. Dion. Petavius Lib. X. *De Incarnat.* c. 4.

suis membris dispositum, & sine ulla ex iis imperfectionibus, quibus singulares aliquos homines deturpatos videmus. Solum igitur quæstio est de peculiari aliqua venustate, vultus elegantia, coloris suavitate, atque oris specie, quibus a nonnullis scriptoribus sequioris ætatis D. N. Jesus Christus commendari solet; quique potissimum imiti videntur in Psalmi XLIV. 3. verbis: *Speciosus forma præ filiis hominum;* quæ ita Jesu Christo adaptant, perinde ac si ille fuisset, corpore, statura, vultu omnium hominum formosissimus. Ita hunc locum intellexerunt non pauci, nec ignobiles Interpretes.

125. Etiam aliqui sancti Patres admirandam, & plane cœlestem fuisse nostri Salvatoris formam scripserunt. S. Hieronymus in cap. IX. Matth. vers. 9. Tom. VII. *Certe*, inquit, *fulgor ipse, & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo aci se videntes trahere poterat adspectu.* Et in epist. 140. ad Principium de Christo loquens, *Nisi habuisset*, inquit, *& in vultu quiddam, oculisque sidereum, nunquam eum statim secuti fuissent Apostoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent.* Haud dissimiliter loquitur S. Joann. Chrysostomus Hom. XXVII. in Matth., aliisque in locis; & S. Bernardus Serm. I. in Festo omnium Sanct. num. 4. „ Prædicantem, inquit, Dominum de civitatibus, & castellis populi sequebantur... & adhærebant ei, affatu pariter, & aspectu illius delectati, cujus nimirum vox suavis, & facies ejus decora, sicut scriptum est: *Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis.*“

126. Præter hæc, & alia veterum testimonia, etiam imagines, statuæ, & numismata, quæ pulcherrimam ejus faciem exhibebant, a quibusdam allegantur. S. Jo. Damascenus Lib. IV. *de fide orthod.* cap. 16. in fine hanc historiam refert: „ Cum Abgarus Edessenorum Rex pictorem misisset, qui Domini exprimeret effigiem, neque „ id pictor *ob splendorem ex ejus vultu emicantem* assequi posset, Dominum ipsum, admoto „ divinæ, vivificæque faciei suæ pallio, imagi„ nem suam in eo depinxisse, quam ad Abgarum „ misit, ut hoc pacto posteriores ejus faceret sa„ tis“ (a).

127. Nicephorus Callixti Lib. II. *Hist.* c. 43. auctor est, imaginem Salvatoris, sicuti & B. Mariæ Virginis fuisse a S. Luca depictam, qui etiam Lib. I. c. 40. ejus proceræ staturæ, & admirandæ formositatis descriptionem reliquit (b).

128. Eusebius item Lib. VII. *Hist. Eccles.* c. 18. statuam *Jesu Christi speciem referentem* a muliere hæmoroissa Paneade erectam, *& Apostolorum Petri, & Pauli, Christique ipsius pictas imagines* ad suam usque memoriam servatas, *& in tabulis a se visas* testatur.

129. Imperat. Alexander Severus Mammeæ filius, ut in ejus vita Lampridius narrat, imaginem Jesu Christi in suo larario servabat.

130. Ac demum, ut S. Augustinus habet in Lib. *de hæresibus* num. 7., quædam Marcellina ex Carpocratianorum secta colebat *imagines Salvatoris nostri Jesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incensumque ponendo.*

131. Porro cum hæc antiquitatis monumenta modo desint, nomisi ex veterum testimonio hæc de Christi pulchritudine controversia finiri potest. Ita vero, quæ supra attulimus num. 125. seq., alia e diametro opponuntur. Nam primo Eusebius Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 13. referens, quæ Thaddæus Abgaro Regi Edessenorum exposuit de adventu Christi, memorat etiam, eum dixisse *de vilitate, & abjectione ejus humanitatis.* Deinde fuerunt, qui ea verba Isaiæ LIII. 2. *Non est species ei, neque decor* litteraliter de ipsius Christi vultu intelligerent, cujus nulla fuisset species, nullus decor (c). Sic Clemens Alexandrinus Lib. III. *Pædagogi* cap. 1. *Dominum vero ipsum*, ait, *fa-*

(a) Primus, qui hujus imaginis Edessenæ meminerit, est Evagrius auctor Sec. VI. Lib. IV. Hist. cap. 27., ubi Procopium citat, qui tamen nonnisi epistolas Abgari ad Christum, & Christi ad Abgarum memorat Lib. II. *De bellis* cap. 14. Damasceni autem narrationem Græci posteriores pluribus commentis exornarunt.

(b) Hæc sunt Nicephori Callixti verba: „ Egregius, viridique vultu fuit. Corporis statura ad palmos prorsus septem. Cæsariem habuit subflavam, ac non admodum densam, leniter quodammodo ad crispos declinantem: supercilia nigra, non perinde inflexa. Ex oculis fulvis, & subflavescentibus micabat prominebat gratia. Acres ii erant, & nasus longior. Barbæ capillus flavus, nec admodum demissus. Capitis porro capillos tulit prolixiores. Novacula enim in caput ejus non ascendit, neque manus aliqua hominis, præsertimam Matris in tenera dum taxat ætate ejus. Collum fuit sensim declive, ita ut non arduo, & extento nimium corporis statu esset. Porro tritici referens colorem non rotundum, aut acutum habuit faciem; sed qualis Matris ejus erat, paulum deorsum vergentem ac modice rubiendam: gravitatem, atque prudentiam enim lenitate conjunctam, placabilitatemque irascendiæ expertem præ se ferentem. Persimilis denique per omnia fuit divinæ, & immaculatæ suæ Genitrici.“ Haud multum diversa est facies Jesu Christi pictura, quæ describitur in apocrypha quadam epistola nescio cujus Lentuli, quæ ad Romanum Senatum scripta legitur apud Lezianofrum Lib. XII. *Hist. Univ.*

(c) R. Abarbanel in Comment. ad hunc locum literaliter verba Prophetæ explicabat de corpore venturi Messiæ prorsus deformi; unde contra eos, qui pulcherrimam Christi formam depredicant, argumentum trahebat, Messiam in Lege promissum non fuisse Jesum Nazarenum. Argumentum prorsus elumbe, doctum ex opinione omnino incerta; & quod facile solvi posset, etiamsi statueretur, Christum fuisse facie omnium speciosissima.

facie deformatum, per Isaiam Spiritus testatur; & in Libris *Stromatum* non semel Jesum Christum *in carne deformem* appellat; cujus deformitatis Lib. VI. hanc affert rationem: *Non frustra*, inquit, *volut uti vili, & humili forma corporis; ne quis speciem laudans, & admirans pulchritudinem, absistat ab iis, quæ dicuntur*. Tertullianus etiam *de carne Christi* cap. 9. *Adeo*, inquit, *nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum? Sputaminibus contaminare faciem, nisi merentem?* Alios idem fere asserentes brevitatis causa omitto.

132. Sed omittere nequeo celebrem Origenis locum Lib. VI. contra Celsum n. 75., ubi hæc affertor Celsi, nostræ Religionis hostis acerrimi, objectio: „ Quoniam divinus Spiritus erat in corpo„ re (Jesu Christi), omnino oportuit, illum ante„ cellere ceteris, aut magnitudine, aut pulchri„ tudine, aut viribus, aut voce, aut majestate, „ aut eloquentia. Fieri enim non potest, ut in „ quo est aliquid divinum, quod alii non habent, „ is nihil ab alio differat. Hic autem nihil ab „ alio discrepabat; immo, ut ajunt, statura exi„ gua, vultu deformi, & abjecto erat."

133. Huic autem Celsi objectioni ita Origenes respondet: „ Constat quidem e Scripturis, Jesu „ corpus fuisse *adspectu deforme*; sed non etiam „ *objecto vultu*, ut Celsus exponit, nec exigua „ statura illud fuisse, clare indicatur. Hæc sunt „ Esaiæ verba, quibus prædicit, illum venturum „ huc esse, non decora specie, nec excellenti „ pulchritudine.... *Non est species ei, neque* „ *gloria, & vidimus eum, & non habebat de*„ *corem, neque pulchritudinem; sed species ejus* „ *indecora, & deficiens præ filiis hominum*. „ Hæc andivit Celsus, quia sibi ad calumnian„ dum Jesum utilia esse videbantur, nequaquam „ autem attendit ad ista Psalmi XLIV.... *Spe*„ *cie tua, & pulchritudine tua intende, prospe*„ *re procede, & regna*." Hæc Origenes, qui postea scite observat, nec in Evangeliis, nec in Apostolorum libris scriptum esse, nullam Jesu Christo fuisse speciem, & pulchritudinem; imo contra aliquando resplendusse faciem ejus, sicut solem, Matt. XVII. 2. Unde postea concludit, corpus Jesu Christi, *hoc ceteris antecelluisse, quod prout cujusque caput, & prout utile erat, tale videretur, quale singulis videri oportebat*.

134. Sed ex hactenus dictis, nobis colligendum videtur, Jesum Christum nec peculiarem, & distinctam corporis veuustatem assumere voluisse, nec tamen fuisse externæ speciei deformitate contemptibilem, immo absolute aspectu pulchrum. Audiri meretur S. Thom. in expositione Psalmi XLIV. (a) ad illa verba, *Speciosus forma præ filiis hominum*: ubi postquam quadruplicem pulchritudinem in Christo distinxit, scilicet primam *secundum formam divinam*, & alteram *justitiæ*, *& veritatis*, tertiam *conversationis honestæ*, quartam *corporis*, inquirit, an secundum hanc pulchritudinem corporis dictus sit *speciosus forma præ filiis hominum?*

135. Respondet autem, *pulchritudinem consistere in proportione membrorum, & colorum*, „ & hanc pulchritudinem, inquit, Christus, se„ cundum quod competebat ad statum, & reve„ rentiam suæ conditionis, habuit. Non est ergo „ intelligendum, quod Christus habuerit capillos „ flavos, vel fuerit rubeus, quia hoc non decuis„ set eum; sed illam pulchritudinem corporalem „ habuit summe, quæ pertinebat ad statum, & „ reverentiam, & gratiositatem in aspectu; ita „ quoddam divinum radiabat in vultu ejus, quod „ omnes eum reverebantur, ut Augustinus ait."

136. Prophetiam vero Isaiæ superius n. 133. relatam S. Doctor explicat; quod *voluerit exprimere contemptum Christi in passione, in qua deformata fuit corporis forma præ multitudine afflictionum*. Ita Angelicus.

137. Et ante eum S. Joannes Chrysostomus Hom. XXVII. in Matth. de Jesu Christo loquens. „ Nec „ que enim, inquit, ex prodigiis tantum admi„ randus, sed ipsius solum conspectus gratia mul„ ta plenus erat; id, quod indicatus Propheta di„ cebat: *Speciosus forma præ filiis hominum*. „ Quod si Isaias dicat: *Non habebat speciem*, „ *neque decorem*; aut illud de divinitatis gloria „ ineffabili intelligit; aut ea, quæ in passione „ gesta sunt, narrat, ignominiamque illam, quam „ crucis tempore sustinuit, aut tenuitatem illam, „ quam toto vitæ tempore in omnibus exhibuit."

138. Ita etiam S. Augustinus utrumque locum Psalmi XLIV., & Isaiæ LIII. conciliat Tract. IX. in epist. S. Joannis n. 9. Tom. III. P. II. inquiens: „ Quomodo invenimus pulcrum Jesum? *Specio*„ *sus forma præ filiis hominum, diffusa est gra*„ *tia in labiis tuis*... Unde invenimus, quia fœ„ dus, & deformis est Jesus?.... Isaiam interro„ ga: *Et vidimus eum, & non habebat spe*„ *ciem, neque decorem*. Illæ sunt duæ tibiæ „ quasi diverse sonantes: sed unus Spiritus am„ bas inflat. Hac dicitur *Speciosus forma præ* „ *filiis hominum*: hac dicitur in Isaia: *Vidimus* „ *eum, & non habebat speciem, neque deco*„ *rem*: uno spiritu implentur ambæ tibiæ, non „ dissonant..... Interrogemus Paulum Apostolum; &

(a) Dubitatum fuit, an Commentarii in priores Ps. *Li.* essent genuinus S. Thomæ fœtus; sed eos idem vindicavit *P. Jo. Franc. Bern. Maria de Rubeis* in *Dissert. Criticis, & Apologet. De gestis, & scriptis, ac doctrina S. Thomæ Aquinatis* Dissert. II. cap. 2.

„ & exponat nobis consonantiam duarum tibiarum." Videlicet in verbis illis ad Philipp. II. 6. *Qui cum in forma Dei esset .... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* &c. Sic ergo S. Augustinus mirifice nobis declarat, neque ex prioribus Psalmistæ verbis deduci posse, corpus Jesu Christi fuisse omnium speciosissimum, neque ex aliis Isaiæ indecorum fuisse, aut contemptibile (*a*).

CAPUT IV.

De passionibus animæ a D. N. Jesu Christo susceptis.

139. Quemadmodum non omnes defectus corporis, sed communes duntaxat, qui naturam sola protoparentis culpa, non autem nostra vitiatam consequuntur, pro nobis suscipere dignatus est, ita etiam defectus, & passiones animæ suscepit, sed non omnes; quidam enim defectus divinæ ipsius Personæ omnino repugnabant, & quidam filii ejusdem incarnationis prodesse non poterant.

140. Defectus primi generis, qui divinitati ejus repugnabat, fuit originale peccatum, quo tota natura humana infecta erat. Hunc porro naturæ nostræ primarium defectum neque assumpsit, neque assumere poterat Christus Jesus. Nam præterquamquod peccatum sanctitati ipsius omnino opponebatur, nec etiam poterat componi cum ea satisfactione, quam supremæ justitiæ Patris sua incarnatione exhibere volebat, quia ut dicitur Ecclesiastici XXXIV. 23. *Dona iniquorum non probat Altissimus. Talis* igitur, inquit Apostolus ad Hebr. VII. 26., *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Ulterius venerat Christus in mundum, ut nobis omnium virtutum exempla reliqueret: ab omni ergo peccato immunis esse debuerat; unde etiam ipse Joann. VIII. 46. turbas ita fidenter provocabat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

141. Quomodo autem Jesus Christus, tametsi nostram naturam ab Adam descendentem assumperit, nullam tamen peccati labem inde traxerit, ita explicat S. Thomas q. 15. art. 1. ad 2. ex S. Augustino, quia non eodem omni modo Christus fuit in Adam, & in aliis Patribus, quo nos ibi fuimus. Nos enim fuimus in Adam *secundum seminalem rationem, & secundum corpulentam substantiam*. Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit; ratio vero conceptionis ejus, non a semine virili fuit, sed longe aliter, quia nempe desuper venit; unde non fuit in Adam secundum seminalem rationem, sed solum secundum corpulentam substantiam. „ Et ideo Christus non accepit *active* ab „ Adam humanam naturam, sed solum *materialiter; active* vero a Spiritu sancto, sicut & ipse Adam *materialiter* sumpsit corpus ex limo „ terræ; *active* autem a Deo. Et propter hoc „ Christus non peccavit in Adam, in quo fuit „ solum secundum materiam."

142. Eadem fere ratione Angelicus art. 2. probat, in Christo non fuisse fomitem peccati, seu concupiscentiam, qualis in nobis est, quia, ut dicitur Matth. I. 20., quod in Maria Virgine *natum est, de Spiritu sancto est*; sed Spiritus sanctus non solum excludit peccatum, sed etiam fomitem, seu inclinationem peccati: non ergo &c.

143. Præterea anima Christi fuit gratia cumulatissime plena, omnibusque virtutibus exornata, quibus inferiores partes rationi perfecte subjiciebantur: nullus ergo esse poterat locus sensuali appetitui, ut contra rationem insurgeret, eamque ad peccandum sollicitaret. Neque etiam talis animæ defectus poterat ordinari ad satisfaciendum divinæ justitiæ pro nostris peccatis; quin potius natura sua ad oppositum ejusdem satisfactionis tendebat.

144. Sed contra hanc postremam rationem ita objicit S. Thomas. Per fomitem peccati *caro concupiscit adversum spiritum*, ut dicitur ad Gal. V. 17.: eo igitur major est victus, eoque major meritum, quo difficilius est certamen carnis contra spiritum; fomes igitur peccati multum conferre poterat ad augendum satisfactionis valorem; adeoque &c.

145. Respondet autem S. Doctor, majorem spiritus virtutem, & fortitudinem ostendi, quando non solum resistitur carni perduelli, sed etiam ita ejus vis comprimitur, ut neque insurgere possit. Ceterum licet hoc certamine carnerit Jesus Christus, alia tamen habuit cum mundo, & diabolo certamina, quibus potuit maxima sibi merita comparare ut nos immensis suis divitiis ditaret.

146. In tertio demum art. probat Angelicus, non potuisse a Domino Salvatore nostro suscipi defectum ignorantiæ; quia sicut in eo fuit plenitudo gratiæ, & virtutis, qua tollitur fomes peccati; ita etiam in ipso fuit plenitudo scientiæ, qua omnis ignorantia excluditur.

147. Neque obstat hujus doctrinæ S. Joannes Damascenus, quando in Lib. III. *de fide orthod.* c. 21. dixit, Christum *ignorantem, & servilem naturam* assumpsisse. Id enim intelligendum est de natura humana Christi in seipsa, & ex ratione suæ speciei considerata; non autem prout conjuncta fuit hypostasi divini Verbi, ex qua habet plenitudinem gratiæ, & scientiæ. Et hæc non solum certa, sed & facilia sunt.

148.

(*a*) Si quis plura de hac minime necessaria quæstione scire cupit, præter Commentatores Sacr. Script., adire poterit P. Franc. Vavassorem *De forma Christi*, tum P. Jac. Hyac. Serry Exercit. XLVIII. *De Christo* (quem confutavit Ant. Sandinus in *Hist. Familiæ Sacræ*. 10. 7., sed sui vindicias egit Serrius in *Animadv. Anticriticis*), P. Galm. Dissert. in Isaiam, & non paucos alios.

148. Modo operosius inquirendum est de aliis defectibus, & passionibus animæ innoxiis, & quæ sunt humanæ infirmitatis effectus. Hujusmodi sunt dolores sensuum, tristitia, metus, agonia, & mors.

PROPOSITIO I.

Anima Christi, etiam ut conjuncta Verbo divino, fuit doloribus, & inculpatis passionibus obnoxia.

149. Id primum ostenditur ex iis Psal. LXXXVII. 4. verbis: *Repleta est malis anima mea*; quibus verbis animæ Christi non solum attribuuntur mala, sed in tanta copia, ut malis esset repleta. Malis, inquam, ut explicat S. Augustinus, idest *non hominis peccatis, sed tantum humanis malis*; quæ tot, & tanta fuerunt, ut Christus Dominus se ab iis aliquando *turbatum* fuisse, dixerit. Quod ita explicat S. Ambrosius in Lib. II. de *fide ad Gratianum* c. 3.: *Non turbatur ejus virtus, non turbatur ejus Divinitas, sed turbatur anima secundum humanæ fragilitatis assumptionem. Nam qui suscepit animam, suscepit etiam animæ passionem.*

150. Sed distincte postea sacræ litteræ nobis exponunt illa mala, quibus anima Jesu Christi repleta fuit. Et primo assignantur dolores, quos spiritu prophetico prædixit Isaias c. LIII. 3. & seq. ipsum appellans *virum dolorum, & scientem infirmitatem*: ac de eo vaticinans: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit .... Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* In quæ verba ita commentatur S. Hieronymus: „ Vere languores nostros, & peccata portavit, & pro nobis doluit, *non putative*, idest *φαντασικως*, ut „ nova, & vetus hæresis suspicatur; sed *vere* crucifixus est, *vere* dolnit.

151. Ulterius S. Petrus in sua prima epistola cap. II. 21. *Christus*, inquit, *passus est pro nobis: vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*, scilicet in tolerandis adversis. Si autem Christus Dominus tantum specie tenus sustinuisset dolores, non autem vere, & proprie, nullum nobis reliquisset Christianæ patientiæ exemplum.

152. Secundo memoratur in sacris litteris Jesu Christi *tristitia*, quando Matth. XXVI. 37. seq. *cæpit contristari, & mœstus esse*; & postea dixit Discipulis: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; quibus verbis significare voluit Salvator noster, talem, & adeo intensam fuisse tristitiam, quam patiebatur, ut hulla major esse posset, cujus etiam judicium apertissimum fuit sudor ille *prodigiosus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*. Luc. XXII. 44. Veram autem, non figuratam illam fuisse tristitiam tradit S. Ambr. L. II. *de fide ad Gratianum* c. 3. inquiens: *Ut homo tristitiam habuit; suscepit enim tristitiam meam*. Et S. Hier. in hunc locum: *Dominus noster, ut veritatem assumpti probaret hominis, vere contristatus est*. Signa etiam tristitiæ exhibuit Christus, & quando Lazarum mortuum invenit, Joan. XI. 35. & quando videns civitatem Jerusalem *flevit super illam*, Lucæ XXI. 41.

153. Tertio Jesus Christus fuit aliquando timore, & tædio correptus. Marci XIV. 33. *Cæpit Jesus pavere, & tædere*; unde etiam illius oratio ad Patrem: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me*; & apparitio Angeli confortantis eum, Lucæ XXII. 42. seq. Quod etiam a Davide prædictum fuerat iis verbis Psalmi LIV. *Timor & tremor venerunt super me*.

154. Denique Evangelista Marcus cap. III. 5. Jesum Christum aliquando iratum fuisse dicit contra Pharisæos: *Et circumspiciens eos cum ira contristatus super cæcitate cordis eorum &c.* Ecce quantis malis fuit anima Jesu Christi propter nos repleta!

155. Ad omne tamen erroris periculum præcavendum, semel, iterumque monet Augelicus, aliter supra memoratas passiones tristitiæ, timoris, atque iræ in Christo Jesu fuisse ac in nobis sint. Primo, quia in eo hujusmodi passiones innocuæ fuerunt, nec poterant ferri in objectum illicitum, cum in Christo nullum fuerit, aut potuerit esse peccatum. Secundo, quia in Christo non poterant prævenire judicium rationis, ut in nobis sæpe contingit: sed omnes motus sensitivi oriebantur ex rationis dispositione; unde Sanctus Augustinus Lib. XIV. *de Civit. Dei* cap. 9. Tom. VII. *Hos motus*, inquit, *certæ dispensationis gratia ita cum voluit, suscepit, ut cum voluit, factus est homo*. Imuo etiam ipsain animi perturbationem, cui aliquando Christum fuisse obnoxium sacræ paginæ narrant, non prævenisse illius voluntatem ex eo intelligimus, quod dicitur Joann. XI. 33. *turbavit seipsum*. Unde iterum S. Augustinus Tract. XLIX. in Joann. n. 18. *Turbaris tu nolens: turbatus est Christus, quia voluit*. Tertio, quia in nobis hujusmodi motus quandoque non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt secum rationem ab ipsis obnubilatam; quod in Christo non fuit; quia motus naturaliter humanæ carni convenientes sic in appetitu sensitivo manebant, ut ratio ex his nullo modo impediretur facere, quæ conveniebant. Qu. 15. art. 4.

156. Objic. primo. Anima Christi ab ipso primo suæ conceptionis instanti beata fuit: utpote intuitiva Dei visione fruens: ergo non potuit esse doloribus, & aliis passionibus cruciantibus obnoxia.

157. Confirm. Habemus in quibusdam actis Sanctorum Martyrum, eos divinæ contemplationis dulcedine abreptos, acerbissimos cruciatus non persensisse; unde & hymnos Deo canebant, & suis tortoribus insultabant: qua de re plura habet Sanctus Bernardus Serm. LXI. *in Cantica*: ergo multo minus Jesus Christus perfectissima Dei contemplatione absorptus ullam potuit vim doloris,

vel tristitiam, mœrorem, aut timorem sentire,

158. Respond. Sanct. Thomas art. 6. ad 5., quod sicut virtute divina sic beatitudo contiuebatur in anima, ut non derivaretur ad corpus, unde remanebat passibile, & mortale; sic eadem virtute delectatio contemplationis ita retinebatur in mente, ut non derivaretur ad vires sensibiles, in quibus dolor, & tristitia, & metus, aliæque passiones remanebant. Hinc fit, ut omnes, quas pro nobis Filius Dei sustinuit pœnas, non solum voluntariæ ipsi fuerint, sed ad eas sustinendas dispensatio divinitatis requirebatur: unde dicit Damascenus Lib. III. *de fide orthod.* cap. 14. & sequent., quod *beneplacito divinæ voluntatis permittebatur carni pati, & operari, quæ ipsius propriæ sunt*. Et sic intelligitur, quantum quidem intelligi potest, quomodo Jesus Christus eodem tempore beatissimus fuerit in superiore animæ parte, qua jugi Dei visione fruebatur; & simul ex divina dispensatione in viribus sensitivis, doloribus, amarisque passioubus obnoxius.

159. Ad confirm. resp., probabiliorem videri eorum sententiam, qui Dei singulari gratia ita confortatos fuisse Martyres credunt, non ut vim cruciatuum non sentirent, sed ut fortiter eos tolerarent. Unde Sanctus Bernardus Serm. laud. postquam multa oratorio more de hoc argumento dixisset, quasi toto lacero corpore, & rimante latera ferre, anima Martyris *exul a corpore dolores non sentiret corporis*, subdit: *Neque hoc fuit stupor, sed amor: submittitur enim sensus, non amittitur: nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur*. Quamquam non repugnaverim, si quis credat, Deum aliquando minuisse vim cruciatuum, ut facilius possent a Sanctis Martyribus tolerari.

160. Obj. secundo contra tristitiam, metum, & cetera. Hujusmodi animi perturbationes in nobis oriuntur propter ea, quæ contra nostram voluntatem nobis accidunt. Sic tristitia, definiente Sancto Augustino L. XIV. *de Civit. Dei* cap. 6., *est de his, quæ nobis nolentibus accidunt*. Timor non est, nisi de malo, quod vitari non potest. Sed nihil potuit Christo accidere nolenti; imo quia ut homo Deus omnipotenti virtute pollebat, tum etiam quia ejus voluntas erat Dei voluntati plene, & perfecte subjecta: ergo &c.

161. Respondet Sanct. Thomas, dupliciter aliquid nobis accidere *nolentibus*, idest vel quia absolute illud nolumus, & tamen inviti, & coacti patimur, ut est mors: vel quia quamquam absolute illud volumus ratione finis, est tamen in se nobis contrarium, & aliqua ratione malum; ut amara potio medicinæ, vel incisio carnis, aut membri ad sanitatem procurandam. „ Et hoc modo, „ inquit Angelicus, mors Christi, ejus passio fuit „ secundum se considerata involuntaria, & tristi„ tiam causans; licet fuerit voluntaria in ordine „ ad finem, qui est redemptio humani generis.“

162. Quantum vero ad timorem, observat idem Angelicus Doctor, potuisse quidem a Jesu Christo vitari mala futura secundum virtutem Divinitatis, non potuisse autem ea vitari secundum infirmitatem carnis assumptæ. Cum enim naturaliter appetitus sensitivus refugiat corporis læsionem; sicut nascitur tristitia, quando actu corpus læditur, sic nascitur timor, quando prævidetur læsio futura.

163. Notat insuper Sanct. Doctor ex Joan. Damasceno Lib. III. *de fide orthod.* cap. 23., quemdam esse timorem *naturalem*, ut cum anima timet sejungi a corpore ob naturalem affectionem, & necessitudinem, qua fit, ut pertimescat, angatur, mortem recuset: *Metus hic*, inquit Damascenus, *& trepidatio, pavorque, naturalis, & inculpata, nec subjecta peccato affectio est:* atque hunc timorem fuisse in Christo Domino, credimus. *Aliud timoris genus est*, prosequitur Damascenus, *quod ex cogitationum defectione, & diffidentia, atque ex eo oritur, quod quis mortis horam ignoret: ut cum noctu, oborto aliquo strepitu, timore afficimur .... Hunc porro timorem Dominus non assumpsit.*

164. Inst. De Christo prædictum est Isaiæ XLII. 4. *Non erit tristis, nec turbulentus*. Præterea Proverb. XII. 21.: *Non contristabit justum quidquid ei acciderit;* & XXVIII. 1. *Justus, quasi leo confidens absque terrore erit*. Christus ergo, qui justus, & sanctus erat, immo ipsa justitia, & sanctitas, tristitiæ subjectus esse non potuit. Quod etiam Stoici philosophica ratione confirmabant; quia vir probus, & fortis non reputat sua bona, nisi quæ ipsi a nemine eripi possunt, nempe justitiam, & virtutem. Christus ergo, cujus anima omni virtutum genere repleta erat, nec tristitiæ, nec timori obnoxius esse potuit.

165. Resp., allata Scripturarum testimonia esse intelligenda de tristitia, vel trepidatione inordinata, quæ certe a Christo procul abfuit; non autem de ea tristitia, vel trepidatione, quæ mentis rationem nec prævenit, nec turbat, non mediocrem tamen secum affert animi afflictionem, quam Christus pro nostris peccatis assumere non recusavit. Hinc aliqui post S. Hieronymum has J. Christi internas afflictiones potius *propassiones*, quam veras, & consummatas passiones appellandas esse censuerunt. Ita enim Sanct. Hieronymus explicanda putavit ea verba apud Matth. XXVI. 37. *Cœpit contristari, & mœstus esse;* nempe „ quod „ Dominus, ut veritatem probaret assumpti ho„ minis, *vere* quidem contristatus sit; sed ne „ passio in animo illius consummaretur, *per pro„ passionem cœperit contristari*.“ Ut ita passio consummata, & vitiosa intelligatur, quando tristitia animo, seu rationi dominatur; *propassio* autem, quando est inchoata in appetitu sensitivo, sed ulterius ad superiorem partem non evehitur (a).

166.

(a) Quamvis ipse S. Pater in Cap. V. Matth. ad vers. 28. etiam in *Propassione* aliquid vitii agnoscat, dicens:

166. Et sic intelliguntur, & conciliantur aliquæ Sanctorum Patrum locutiones, quæ videntur omnem passionem a Jesu Christo removere, ut cum Clemens Alexandrinus Lib. VI. *Stromatum* „ ipse „ autem, inquit, *passionis* erat expers, ut quem „ nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, „ neque dolor. “ Hujusmodi locutiones in alio sensu catholico, & orthodoxo intelligi nequeunt, quam per exclusionem illarum passionum, quæ rationem ipsam præveniunt, absorbent, & quasi captivam secum trahunt, ut in nobis sæpe contingit: contingere autem non poterat in Christo Domino, omnibus virtutum numeris exornato.

167. Quantum autem pertinet ad Philosophiam Stoicorum, eamdem ita solide refellit S. Thomas. Ideo nullum malum existimabant posse accidere sapienti „ quia non credebant, aliquid esse bo„ num, nisi honestum, quod homines bonos fa„ cit; nec aliquid esse malum, nisi inhonestum, „ per quod homines mali fiunt. Quamvis autem „ honestum sit *principale hominis bonum*, & „ inhonestum *principale hominis malum*, quia „ hæc pertinent ad ipsam rationem, quæ est prin„ cipalis in homine, sunt tamen quædam *secun„ daria hominis bona*, quæ pertinent ad ipsum „ corpus, vel ad exteriores res corpori deservien„ tes. Et secundum hoc potest in animo sapien„ tis esse tristitia, quantum ad appetitum sensiti„ vum secundum apprehensionem hujusmodi ma„ lorum; non tamen ita, quod ista tristitia per„ turbet rationem. Et secundum hoc intelligitur, „ quod *non contristabit justum, quidquid ei ac„ ciderit*; quia scilicet ex nullo accidente ejus „ ratio perturbatur. Et secundum hoc tristitia fuit „ in Christo, *secundum propassionem*, non au„ tem *secundum passionem*. “

168. Sic etiam Augelicus explicat dictum Aristotelis in VII. *Ethicorum*, quorum tristitia sit *malum*; nempe concedit esse malum *pœnæ*, non autem semper malum *culpæ*; sed solum quando ex inordinato affectu procedit. Unde Augustinus dicit Lib. *de Civ. Dei* cap. 9.: *Cum rectam rationem sequuntur istæ affectiones, & quando, & ubi oportet, adhibentur, quis eas tunc morbos, seu vitiosas passiones audeat dicere?*

169. Repones. Aliqui Sancti Patres omnem prorsus timorem a Christo Jesu repellunt. Nam S. Hieronymus explicans illud Matth. XXVI. 39. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu:* „ Postulat, inquit, *non timore* patiendi, sed mi„ sericordia pejoris populi, ne ab illis bibat ca„ licem propinatum “. Nullum ergo timorem in Jesu Christo Sanct. Hieronymus agnovit. Pariter S. Augustinus Enarrat. II. in Ps. XXI. num. 4. negat Christum timuisse mortem, quando dixit Patri: *Si possibile est, transeat a me calix iste*, sed vult hæc dixisse *de me, de te, de illo; corpus enim suum gerebat, idest Ecclesiam*. Enarr. item II. in Ps. XXX. num. 3. de Christo inquit: *Non in se, sed in nobis pavebat*. Quod etiam repetit aliis in locis.

170. Resp. a S. Hieronymo, aliisque Patribus non excludi sensum litteralem illorum verborum, *Tristis est anima mea*, sed solummodo addi pias interpretationes, quæ cum litterali explicatione minime pugnant. Talis est illa Hieronymi, Christum non tam mortis timore, quam misericordia erga populum Judaicum regasse, ut calix transiret, ne ille tanti criminis reus efficeretur.

171. Sic etiam S. Augustinus dicit quidem, & sæpe repetit, Christum non in se, sed in nobis timuisse, seu in corpore suo, quod est Ecclesia, non tamen per hoc inficiatur, J. C. etiam vere, & proprie in se fuisse expertum timorem. Clara sunt, & perspicua ejusdem S. Patris verba in Psalm. XCIII. num. 19., ubi cum dixisset: *Te præsignavit Dominus in sua infirmitate, non se; non enim timebat Dominus pati* &c., ita subdit: „ Nolite putare, quia hoc dicimus, non „ fuisse tristem Dominum. Si enim hoc dixeri„ mus, quia non erat tristis, cum Evangelium „ dicat, *Tristis est anima mea usque ad mor„ tem*, ergo & quando dicit Evangelium *Dormi„ vit Jesus*, non dormivit Jesus; & quando E„ vangelium dicit, *manducavit Jesus*, non man„ ducavit Jesus &c. ... Ergo tristis fuit? Prorsus „ tristis, sed voluntate suscipiens tristitiam, quo„ modo voluntate suscipiens carnem: quomodo vo„ luntate carnem veram, sic voluntate tristitiam „ veram. “

172. Atque hac ratione haud difficulter explicantur quædam alia Sanctorum Patrum testimonia, quibus a Christo veræ passiones, verusque doloris sensus removeri videntur. Sed non ita facile est explicare, quæ objciuntur ex S. Hilario, quem nonnulli hac in parte de tribus erroribus accusare non dubitant: scilicet primo, quod docuerit Jesum Christum non accepisse corpus suum ex Maria: secundo, quod veras, atque internas non habuerit animi passiones, tristitiam, metum, atque af-

„ later *πάθος*, & *προπάθειαν* idest inter *passionem*, & „ *propassionem* hoc interest, quod passio reputatur in „ vitium; propassio, licet initii (alii legunt *viti*) „ culpam habeat, tamen non teneatur in crimine. “ Sed hic loquitur de concupiscentia, quæ semper vitiosa est etiam in suo principio; explicat enim ex verba Christi Matth. V. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Alio vero in loco agit de tristitia Jesu Christi, quam

veram fuisse agnoscit, licet ejus causam velit fuisse, non timorem patiendi, sed infelicissimum Judam, & scandalum Apostolorum, & rejectionem populi Judaici, & eversionem miseræ Jerusalem. Card. Baronius ad ann. 363. n. 4. naturales Christi affectus *propassiones* dictos fuisse vult, *nempe ut, cum vellet ipse, tantum insurgerent; & si nollet, nequaquam ipsi dominarentur*, quæ explicatio magis congrua videtur.

afflictionem: tertio, quod nullum ex plagis, ac vulneribus dolorem senserit. Nos tamen una cum S. Magistro nostro Aquinate, aliisque non paucis Theologis, quæ obscura, aut minus accurate dicta videntur, ad sanum, & orthodoxum sensum pertrahere studebimus (a).

CAPUT V.

Vindicatur S. Hilarius ab injusta accusatione, quod humanam in Jesu Christo carnem, & veras passiones, verosque dolores in eo non admiserit.

173. Primam accusationem injustam esse, & calumniosam vel ex eo solo constat, quod Sanct. Leo Papa illam Eutychetis hæresim, *humanum quidem vocari Christi Corpus, non tamen esse ex Maria genitum, neque nobis consubstantiale*, tamquam novam, blasphemam, & absurdissimam condemnaverit; quin tamen ullus ex illius sectæ hominibus ausus sit, ad gravissimum S. Hilarii patrocinium confugere, quod fieri facile potuisset, si eadem laudatissimus hic Pictaviensis Antistes patrio antea publice docuisset.

174. Sed in promptu sunt multa Sancti Patris loca, quibus Jesum Christum veram ex Virgine Maria carnem assumpsisse docet. In Ps. CXXXVIII. num. 2. dicit, Deum assumpsisse hominem *ex utero Sanctæ Virginis*, & num. 3. assumpsisse hominem, non *alienæ*, *aut simulatæ naturæ*. In Lib. X. de *Trinit.* n. 17. asserit Beatam Virginem *officio usam materno sexus sui naturam in conceptu, & partu hominis* (Jesu Christi) *executam fuisse*: & non minus crebro, quam clare repetit, humanam Christi carnem fuisse *ex Virgine* assumptam. Atque ut omne procul dubium amoveatur, de qua carne loquatur, nonnumquam addit pronomen *nostra*. Sic L. I. de *Trinit.* num. 21. eam nominat *nostri corporis carnem*; & addit: *non aliud, quam nostræ carnis Deus caro factus est*. Ac demum Jesum Christum appellat *filium David*, quo nomine appellatur in sacris litteris, ut intelligamus, & credamus, ipsum veram carnem, totamque naturam humanam ex Virgine Maria traxisse.

175. Non minus facile est secundam criminationem repellere, quod veras in Christo passiones negaverit. Nam clara, & aperta sunt hujus Sancti verba in Psalmum LIII. n. 4., ubi inquit: *Passio Davidi Prophetæ, Dei, ac Domini nostri Jesu Christi passionis exemplum est .... ut qui omnia secundum hominem passus est*. Et iterum num. 7. *Ut absolutissimum nobis humanæ humilitatis præberet exemplum, omnia, quæ hominum sunt, & oravit, & passus est ..... Hinc illud est, quod esuriit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, impiorum cœtus fugit, mœstus fuit, & flevit, & passus, & mortuus est*. Quodnam autem, quæso, Dominus, ac Magister noster nobis reliquisset exemplum, si hæc omnia non vere, sed simulate tantummodo peregisset?

176. Ulterius in Psalm. CXXXIX. num. 11. duplicem in Christo naturam distinguens, *Gerens*, inquit, *hominis, Deique naturam, habebat & ex hominis infirmitate trepidationis affectum, & ex conscientia divinitatis fiduciam securitatis*. Item in Psalm. CXLI. num. 1. de Jesu Christo inquit: „ Qui frequenter fugerit, frequenter „ latuerit, frequenter oraverit, in ipso quoque „ tempore passionis & fleverit, & ad Deum in „ tribulatione clamaverit, non ob naturalem qua„ si passionis metum, *sed affectum hominis*, „ *quem gerebat*, ostendens, ut per hanc oratio„ nem, & Filius Dei, ad quem oraret, & *ipse* „ *non simulatus homo*, sed *verus posset intelli*„ *gi*. “ Quomodo intelligi poterat verus homo, non simulatus per simulatas animi, corporisque passiones? Ac demum in Psal. LIV. n. 65. omnia ea verba: *Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me. Timor, & tremor cecidit super me*, Jesu Christo adaptat; *qui pati omnia in seipso constituit, dummodo humanæ salutis sacramenta perficeret*. Et postea subdit: *Hæc quidem in eum omnia, quæ nostræ necessitatis sunt, irruerunt; sed ab eo naturæ suæ virtute suscepta sunt, dum morte nostra potens non mori, etiam timorem in se mor-*

(a) Claudianus Mamertus Auctor Sæcul. V. in Lib. II. *De statu animæ* cap. 9. S. Hilarium reprehendit, quod *nihil doloris Christum in passione sensisse* dixerit. Mirantur aliqui, hanc Claudiani accusationem visam fuisse justam amplissimo Cardinali Baronio, dum ad ann. 363. num. 4. scripsit, inexcusabilem fuisse hæreticorum de Christi incorruptibilitate sententiam, eam eam scire potuissent, *in Hilario esse damnatam, non a recentioribus tantum, sed a Claudiano Mamerto Episcopo Viennensi*. Quinquam hæretici illi S. Hilarium in patrocinium sui erroris nunquam advocarunt: quod Cl. Annalium parens alioutre potuisset. Eamdem contra S. Hilarium accusationem renovavit Sæc. XI. Berengarius; quem tamen etiam hac de causa pro meritis castigavit Lanfrancus Episcopus Cantuariensis in epist. 50., ostendens, hanc accusationem recidere etiam in Sanctos Gelasium, Augustinum, Hieronymum, ceterosque Sacræ Religionis Doctores, qui Hilarii scripta maximo in pretio habuerunt. Hoc non obstante non defuerunt etiam sæculis posterioribus Hilarii accusatores, ut Sæcul. XII. Joannes ille Præpositus, cum quo Phil. Abbas Bonæ Spei epistolarem hac de re habuit concertationem: V. sup. num. 120. Erasmus quoque, & alii recentiores parum æqui S. Hilario fuerunt. Sed Petrus Lombardus, S. Thomas, & S. Bonaventura splendidissima Theologiæ lumina, S. Hilarii dicta, quæ prima fronte dubia videntur, ad sanum, & orthodoxum sensum retraxerunt. Quorum exemplum fere omnes recentiores secuti sunt. Vid. Præfatio ad Tom. I. Operum S. Hilarii studio, & labore Monachorum Ord. S. Ben., & Remigius Ceillier. ejusd. Ord. Tom. V. *Des Auteurs Eccl.* pag. 139. seq.

mortis ingruentem non venuit. Et hæc quidem de internis animi passionibus, tristitia, & metu. Nunc pauca de corporis doloribus.

177. In Psalm. LXXIII. num. 1. ita luculentissime non solum passiones animæ, sed etiam dolores sensibiles Christo tribuit: *Universarum itaque humanarum passionum sorte perfunctus, secundum susceptas infirmitates nostras loquitur, & dolet ipse quidem extra necessitatem & timoris potius, & doloris, sed his se tamen, quæ suscepit, accommodans: ut qui carnis nostræ homo natus esset, & dolorum nostrorum querelis, & infirmitatis precatione loqueretur.* Et n. 23. *Percussus ergo*, inquit, *est Dominus, peccata nostra suscipiens, & pro nobis dolens, ut in eo usque ad infirmitatem crucis, mortisque percusso sanitas nobis per resurrectionem redderetur .... Hunc igitur ita a Deo percussum persecuti sunt* (Judæi) *super dolorem vulnerum dolorem persecutionis hujus addentes*. Atque ibidem verba Prophetæ *Ego sum patuper, & dolens* de Christo interpretatur. Et hujus generis alia multa sunt, quibus evincitur, Hilarii doctrinam *fuisse* orthodoxam, & a communi Ecclesiæ *sententia* minime discrepantem.

178. Objic. primo contra primam partem. Sanctus Hilarius Lib. X. *de Trinit.* num. 16. explicans ea verba Jo. III. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit*. „ Quod de cœ„ lo descendit, inquit, *conceptæ de Spiritu ori„ ginis* causa est; non enim (*ex se*) *corpori „ Maria originem dedit*: licet ad incrementa, „ partumque corporis omne, quod sexus sui est „ naturale, contulerit:“ Hic manifeste distinguit primam originem, seu conceptionem Corporis Jesu ab ipsius incremento, & nativitate: hæc Mariæ tribuit, non autem primam originem (*a*).

179. Respond. primo, illam particulam *ex se* fuisse ab editoribus Maurinis expunctam, quia in melioris notæ codicibus deest, & fuerat ab Erasmo inserta; ac manifeste repugnat iis, quæ Sanctus Hilarius habet paulo ante, nempe num. præced., inquiens, Corpus Christi fuisse *ex Virgine conceptum*; & postea de Beata Virgine ait: „ Et „ quamvis tantum ad nativitatem carnis *ex se* da„ ret, quantum *ex se* fœminæ edendorum corpo„ rum susceptis originibus impenderent; non ta„ men Jesus Christus per humanæ conceptionis „ coaluit naturam.“ Non itaque potuit Hilarius, quasi sui oblitus, post paucas lineas negare, Mariam *ex se* Corpori Jesu Christi dedisse originem.

180. Ex his autem postremis allatis verbis facile constat Hilarii mens; excludendi scilicet a Jesu Christi conceptione omnem virilis seminis originem, cum totum fuerit Spiritus Sancti opus, qui ineffabili sua virtute ex purissimo castissimæ Virginis Sanguine Christi Corpus efformavit. Principium itaque hujus corporis efficiens fuit divina virtus. B. autem Maria Virgo materiam subministravit; adeoque totum illud contulit, quod *ex se* fœminæ edendorum corporum susceptis originibus impendere solent; ut proinde Jesus Christus veram ex ipsa carnem assumpserit.

181. Dices. Ibidem S. Hilarius vult, carnem Christi fuisse non *ex Virgine*, sed *in Virgine* formata, inquiens: *Quod vero hominis filius est, susceptæ in Virgine carnis est partus*.

182. Resp., utramque particulam *ex*, & *in* idem hoc loco significare, quia Hilarius utramque promiscue adhibet, solum cavens, ne principium efficiens, seu prima origo Christi, humanæ virtuti tribuatur: unde inquit num. præced. Verbum assumpsisse corpus *ex Virgine conceptum*; ac B. Virginem tantum ad ejus corporis nativitatem *ex se dedisse*, quantum aliæ fœminæ impendunt, & solum vult, Jesum Christum *per humanæ conceptionis non coahisse naturam*; idest non ex virili commercio fuisse conceptum.

183. Dices secundo. Ibid. num. 25. explicans verba Apostol. ad Philipp. II. 7. *Humiliavit semetipsum, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus &c.* vult, *in forma servi veram esse nativitatem*, sed in habitu hominis, dumtaxat *similitudinem creaturæ*.

184. Respond., ibi ab Hilario non accipi naturam humanam præcise, sed naturam *peccati*, in cujus similitudinem Christus factus est; unde subdit: „ Ipse quidem per Virginem ex se natus „ homo; & *in similitudine vitiosæ peccati car„ nis* inventus.“

185. Dices tertio. In eodem Lib. X. n. 55. de Corpore Jesu Christi inquit: „ Quod licet (Vir„ go) sexus sui officio genuerit, tamen *non ter„ renæ conceptionis suscepit elementa*“: unde etiam ibidem illam conceptionem vocat *spiritualem*.

186. Respond., hæc fuisse ab Hilario prolata non ad excludendam veram carnis Christi formationem, & conceptionem, sed solum ad caute servandam Dei genitricis virginitatem. Quod manifeste ibidem explicat dicens: *Genuit etenim ex se corpus, seu quod conceptum esset ex Spiritu*. Et hoc sensu conceptionem *spiritualem* appellavit, nempe non ex carnali commercio, sed virtute Altissimi obumbrante Mariæ. Luc. I. 35.

187. Dices quarto. In Lib. III. *de Trinitat.* num. 19. de Maria Virgine inquit: „ *Et certe „ non suscepit, quod edidit*, sed caro carnem si„ ne *elementorum nostrorum pudore* provexit, & „ perfectum *ipsa de suis non imminuta genera„ vit*:“ non itaque ex Virginis aliqua materia fuit Corpus Christi conflatum, alias fuisset ipsa Virgo *de suis imminuta*.

188.

(*a*) Hunc maxime locum arripuit Erasmus, ut suam *ferret in Hilarium* censuram, inquiens in Præfat. ad *opera hujus Sancti*: „ L. III. sed magis L. X. sic lo„ quitur de Corpore Christi, ut sentire videatur, Ma„ riam Virginem, præter concipiendi, gestandi, & pa„ riendi ministerium, *nihil addidisse de suo*.“

188. Resp., hic etiam sollicitum fuisse Hilarium mendi B. Mariæ illibatam virginitatem, ostendens *sine elementorum nostrorum pudore*, hoc est sine viri, ac fœminæ commercio, ut in nobis contingit, & sine aliqua suæ virginitatis *imminutione* Filium genuisse.

189. Obj. secundo contra secundam partem. Sanctus Hilarius Lib. X. *de Trinitat.* numer. 10. totus est, ut ostendat, nullum in Christo esse potuisse timorem passionis, ac mortis, cum nulla ratio subsistat, *ut mori timuerit, qui omnem ab Apostolis timorem depellens, ad gloriam eos sit martyrii adhortatus* &c. Et num. 27. *Timuisse*, inquit, *tibi*, o *hæretice*, *Dominus gloriæ passionem videtur?* ..... *Anne timuit, qui armatis ad corripiendum se obvius prodiit?* Inferius autem num. 36. *Hæreticos* appellat eos, qui iis Christi verbis Matth. XXVI. *Tristis est anima mea usque ad mortem*, abutebantur, ad probandam naturæ ipsius infirmitatem, & variis modis conatur ostendere, nullam in Christo fuisse tristitiam.

190. Respondet breviter Sanct. Thomas art. 7. ad 2. „ quod Hilarius eo modo a Christo excludit timorem, quo excludit tristitiam, scilicet „ *quoad necessitatem timendi*. Sed tamen ad „ comprobandam veritatem humanæ naturæ voluntarie timorem assumpsit, sicut etiam tristitiam. " Id patet ex ipsis rationibus, quibus S. Pater omnem metum, & tristitiam a Jesu Christo amovebat; primo, quia ab Apostolis timorem ipse expellebat, eos ad martyrium adhortans: secundo, quia ipse armatis ad eum comprehendendum obvius ivit: tertio, quia sciebat, magnam ex sua passione sibi gloriam redundare debere: *Si enim*, inquit n. 29., *passio honorificatura eum erat, quomodo tristem eum metus passionis effecerat? Nisi enim tam irrationabilis fuerit, ut pati timuerit, quæ se essent glorificatura patientem*. Hæ, aliæque similes rationes probant quidem, Jesum Christum *necessitate* non fuisse timori, & tristitiæ subjectum, non autem has passiones in Christo revera non fuisse, quas pro nobis propria voluntate suscepit. Multo etiam magis allatæ rationes ostendunt, non tales in Jesu Christo fuisse has passiones, quæ rationem præverirent, & mentem ipsius perturbarent, aut a suis officiis impedirent. Sed quemadmodum istæ passiones erant voluntariæ susceptæ propter nostram utilitatem, ita erant rationi omnino subjectæ. Vid. sup. n. 163.

191. Obj. tertio contra tertiam partem de Christi doloribus. S. Hilarius eodem Lib. X. *de Trinit.* n. 23. postquam dixisset, Jesum Christum fuisse simul Dei filium unigenitum, & *hominem verum, secundum similitudinem nostri hominis*, ita subdit: *In quo quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret; afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent: ut telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans, omnes quidem has passiones naturæ suæ infert, ut foret, ut compungat, ut vulneret; sed naturam suam in hæc passio illata non retinet, dum in natura non est, vel aquam ferari, vel pungi ignem, vel aerem vulnerari; quamvis naturæ teli sit, & vulnerare, & compungere, & forare. Passus quidem est Dominus Jesus Christus, dum cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur: sed in Corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exseruit: dum & pœnali ministerio desæviit, & virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit*. Prolixior est textus; sed totus afferendus fuit, ut constaret, nihil disertius, aut clarius dici potuisse, ad excludendum omnem a Christi humana natura dolorem.

192. Respondet iterum S. Thomas art. 5. ad 1. „ in omnibus illis verbis, & similibus Hilarium „ a carne Christi *non veritatem doloris*, sed *ne*„ *cessitatem* excludere voluisse. " Nempe, ut ibidem explicat Angelicus, per comparationem ad causam primam horum defectuum, quæ est peccatum; ut scilicet ea ratione dicatur caro Christi *non subjacuisse necessitati* horum defectuum, quia non fuit in ea peccatum. Quantum tamen ad causam propinquam horum defectuum, quæ est compositio contrariorum, caro Christi *subjacuit necessitati* horum defectuum. Ita S. Doctor pro solita sua in rebus explicandis præcisione, & ἀκρίβειᾳ. Atque hanc fuisse S. Hilarii mentem patet ex iis, quæ addit ibidem n. 25., istam antea dictorum causam afferens: *Habuit enim corpus, sed originis suæ proprium, neque ex vitiis humanæ conceptionis existens, sed in formam corporis nostri virtutis suæ potestate subsistens: gerens quidem nos per formam servi, sed a peccatis, & a vitiis humani corporis liber*. Hæc porro ratio fortissima est ad excludendam a Corpore Christi illam necessitatem patiendi, & dolendi, quæ oritur ex peccato, non autem illam necessitatem, quæ oritur ex principiis constitutivis humanæ naturæ. Ita loca objecta explicarunt etiam Magister Sententiarum, S. Bonaventura, ac nonnulli alii.

193. Quibusdam tamen nua cum S. Bonaventura visum est, a S. Hilario fuisse omnes passiones, ac pœnas negatas, non quæ corpus, & animam Jesu Christi afficerent, sed quæ afficerent ipsam divinitatem. Sane cum in toto Libro X. agat contra eos hæreticos, qui *ex passionis metu, & ex infirmitate patiendi* colligebat, Jesum Christum non fuisse in *natura impassibilis Dei*, quemadmodum ipse in initio declarat num. 9., non inverosimiliter dicitur, Hilarium omnes doloris sensus non a natura humana Christi, quæ passibilis erat, amovere voluisse, sed a natura divina, quæ quamvis humanæ esset arctissimo vinculo conjuncta, impassibilis tamen omnino remansit; propterea

sa dicit: *Et virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit*. Nomine enim *virtutis corporis* S. Hilarius divinitatem intelligebat, seu ipsum Verbum divinum in corpore assumpto subsistens.

194. Obscura hæc loca ipse Sanctus Hilarius alibi clarius explicat, ut in Psalmum LIII. num. 12., ubi negat, passionem potuisse lædere Jesum Christum patientem; „ non quod lædendi non haberit pro ipsa passionis qualitate naturam; sed „ quod dolorem *Divinitatis natura* non sentit. „ Passus ergo est Deus, quia se subjecit voluntarius passioni; sed suscipiens naturales ingruentium in se passionum (quibus dolorem patientibus necesse est inferri) virtutes, ipse tamen „ a naturæ suæ virtute (nempe Divinitate) non „ excidit, ut doleret. " Hac itaque posita explicatione dicere potuit Hilarius, virtutem Corporis Christi, seu divinitatem ipsam humanitati conjunctam *sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepisse*.

195. Si autem nomine *virtutis* intelligere supremam divinitatem, quæ impassibilis est, manifeste idem Sanctus ostendit; ita orationem suam prosequens: „ Habuerit sane illud Domini Corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, ut calcet undas, & super fluctus „ eat, & non degravetur ingressu, neque aquæ „ insistentibus vestigiis cedant, penetrent etiam „ solida, nec clausæ domus obstaculis arceatur. „ At vero *si Dominici corporis sola ista natura sit*, ut *sua virtute, sua anima* feratur in humidis, & insistat in liquidis, & exstructa transcurrat; quid per naturam humani corporis conceptam ex Spiritu carnem judicamus? " Quorsum hæc omnia, nisi ut contra Arianos, quorum perpetuus mastix fuit, ostenderet, præter naturam humanam passionibus, ac doloribus obnoxiam, aliam in Christo fuisse, impassibilem, & omnipotentem, quæ ejus corpus sustentabat, ne aquis mergeretur, & ita *subtile* aliquando efficiebat, ut solida penetraret, & etiam, si voluisset, potuisset ab omni non solum dolore, sed etiam læsione immune servare; quemadmodum ipsa fuit omnis passionis, doloris que expers.

196. Dices. S. Hilarius vult, Corpus illud Christi fuisse doloris expers, quod cædebatur, quod suspendebatur, quod crucifigebatur: atqui hoc certe corpus non erat natura ipsa divina: non ergo a natura divina Christi, sed ab humana omnem doloris sensum exclusit.

197. Resp. neg. min. ad mentem Arianorum, atque Apollinaristarum, quos eo loci refellebat Hilarius; quique ex hoc ipso, quo Christus veros dolores, ac mortem perpessus sit, impie colligebant, eum non fuisse verum Deum; alias Deus fuisset passus, & mortuus. Reponebat autem Hilarius, divinitatem, quæ Christi carni conjunctissima erat, nullum fuisse passam dolorem, quamquam corpus cæderetur, & crucifigeretur; quia passiones corporis ad ipsam non pertingebant (a).

CAPUT VI.

De prodigiosa conceptione Christi in utero Beatæ Mariæ Virginis.

198. Postquam veritatem humanæ naturæ a divino Verbo assumptæ exposuimus, atque a multiplici Hæreticorum depravatione juxta orthodoxam Ecclesiæ doctrinam vindicavimus, sequitur modo, ut de prodigiosa ejusdem Verbi in natura humana generatione in utero B. Mariæ Virginis dicamus. Hanc autem Christi generationem sic describit S. Matthæus I. 28. seq.: *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem* (Isaiæ VII. 4.): *Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus*. Atque hoc Isaiæ vaticinio in Jesu Christi generatione adimpleto feliciter usi sunt veteres Patres, ut contra Judæos evincerent, Jesum Christum esse Messiam

(a) Atque hæ sunt duæ viæ, quibus Theologi cum veteres, tum recentiores insistunt, ut splendidissimum Ecclesiæ Gallicanæ jubar cum orthodoxa totius Ecclesiæ Catholicæ doctrina conciliant: quarum tamen nostra doctissimo Petavio placuit Lib. X. *De incarn.* cap. 5. n. 4. ac propendere videtur in quorumdam paucorum opinionem, qui Hilarium ea retractasse putant, quæ incaute de impassibili Christi natura scripserat: quem librum retractationis vidisse, & perlegisse se dicit Guillelmus Parisiensis Archiepiscopus, ut Sanct. Bonaventura refert in III. *Sentent.* Dist. 16. art. 1. qu. 1. „ Sane, subdit Petavius, tantus vir Guilli Parisiensis fuit, ut cum eo ipso fateatur, Hilarium errore lapsum esse, quod retractando illum correxisse significet, *haud temere idem nobis asseverare licet*. Quonam vero libro fecerit hoc Hilarius, hactenus incompertum est. Mea hæc suspicio est, Commentariorum in Psalmos esse, in quo Psal. LXVIII. multa dicit superiori illi opinioni contraria, ut merito retractasse priora videri potuerit. " Hactenus Petavius, qui postea ex illo Psalmo noanulla affert, quæ probant, Deum dolorem, ac timorem in natura assumpta suscepisse.

siam in Lege promissum. Ita S. Justinus Martyr in *Dialogo contra Tryphonem*, Tertullianus in Libro *adv. Judæos* cap. 9., Origenes Lib. I. *contra Celsum*, Eusebius ib. VII. *Demonstrat. Evangel.* Sancti Basilius, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, aliique.

199. Jam vero contra tam apertum Evangelistæ testimonium duo hostium genera pugnant. Primo obcæcati, & obdurati Judæi, qui negant prophetico illo oraculo prædictum fuisse Virgineum Messiæ conceptum, & partum (a). Deinde Ebionitæ, Cerinthiani, Carpocratiani, & Helcesaitæ blasphemantes, Christum ex carnali Josephi cum Maria consortio instar aliorum hominum esse natum (b). Contra quos omnes sit

PROPOSITIO.

Christus Dominus a beatissima Maria Virgine, illibato ejusdem purissimæ virginitatis lilio, genitus fuit.

200. Id autem prob. primo contra Judæos ex memorato superius oraculo Isaiæ Prophetæ, cujus hæc fuit occasio. Regnante impio Achaz in Judæa, Rasin Rex Syriæ, & Phacee Rex Israel ascenderunt in Jerusalem ad obsidendum Achaz, sed non valuerunt superare eum, ut narratur in IV. Libro Regum cap. XVI. Timor tamen, & pavor omnium animos occupaverat; & tunc ad eos confortandos Isaias Propheta præsentissimum fere auxilium Dei promisit, atque ita locutus est ad Achaz cap. VII. 11. dicens: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz, non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit* (Isaias): *Audite ergo, domus David: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quæ postrema verba clariora sunt, quam ut opus sit ea aliquo commentario illustrare. Eadem tamen variis rationibus conati sunt obscurare Rabbini.

201. Primo enim negant, legendum esse cum nostro vulgato interprete: *Ecce Virgo concipiet*; nam illa vox העלמת *haalma* non significat *Virginem*, sed puellam adolescentulam, sive integram, sive virum expertam. Quod aliquibus locis parallelis confirmant: nam in Canticis Canticorum I. 2. ubi dicitur: *Adolescentulæ dilexerunt te*, hebraice habetur עלמות *Alamot*; & Proverb. XXX. 19. ubi nos legimus *viam viri in adolescentia*, Hebræi habent בעלמה *behaalma in adolescentia*; ubi certe non intelligitur Virgo, ad quam vir ingressus non sit.

202.

(a) Perfidis Judæis (quis crederet?) accessit non ita pridem in Germania infelix Jo. Laur. Isenbiellis, qui anno 1778. librum edidit germanico idiomate inscriptum *Novum testamen in Prophetiam de Emmanuele*, in quo contendebat, propheticum Isaiæ oraculum de divino Emmanuelis ortu ex Virgine non ad virgineum Deiparæ partum, nec ad verum Emmanuelem Christum Dominum ullo sensu, sive litterali, *sive typico* pertinere. Quod vero S. Matthæus testatur, illud oraculum fuisse in Jesu Christi generatione adimpletum, non pro vero adimpleto, *sed ut adnotationem meram, seu allusionem a S. Evangelista memorari*. Porro omnium Catholicorum aures nova hæc blasphemia offendit; & nonnulli inclytæ illius nationis Episcopi, non solum tanto malo fortiter sese opposuerunt, sed etiam *more Majorum*, ad Sanctissimum Rom. Pontificem Pium VI. feliciter regnantem hanc fidei causam retulerunt. Nil autem cunctatus providentissimus Ecclesiæ universalis Pastor, diligenti præmisso examine impium Isenbiellis librum, *tamquam continentem doctrinam, & propositiones, respective falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, erroneas, hæresi faventes, & hæreticas* damnavit die 20. Septembris 1779. Longum esset, omnia quæ in recenti hac Laur. Isenbiellis causa contigerunt, singillatim referre; sed nefas etiam videretur, de eadem penitus silere. Erat is Sacerdos Archi-Diœcesis Moguntinæ, & ibidem Sacræ Scripturæ Professor. Anno 1774. Theses 140. supra Evangelium S. Matthæi defendendas proposuerat, quarum aliquas Ordinarius Censor, audito etiam Sacræ Theologiæ Facultatis judicio, tamquam falsas, erroneas, & temerarias, alias ut male sonantes, hæresi proximas, Deismi suspectas, & sacris litteris aperte contrarias improbavit. Auctor autem sacras litteras interpretandi munere fuit abdicatus, & ad Cathedram linguarum Orientalium moderandam promotus. In suis tamen erroribus pertinax anno 1777. furtivis typis in lucem edidit librum, cujus mentio non facta est. Tunc vero zelus eorum, qui recte sentiunt, pro conservanda fidei puritate magis contra infelicem Scriptorem ubique exarsit. Universitatum Heidelbergensis, Argentoratensis, ac Parisinæ judicium expostulatum: quarum omnium una sententia fuit, plures in eo libro esse propositiones variis censuris notandas. Quamobrem & infaustum opus prohibitum fuit, & Laurentius omni docendi munere abdicatus, a sacris facientibus suspensus, & carceri mancipatus; a quo tamen non multo post solutus, & ad Monasterium Orbacense relegatus fuit. Cum vero aliqui ipsius patroni turbas ciere adhuc pergerent, ut finis erranti tandem fieret, tota causa ad supremum Romani Pontificis tribunal delata fuit. Audito autem infallibilia Apostolicæ Sedis oraculo aequievit Isenbiellis, & suis erroribus ejuratis sincere, & constantis conversionis signa præbuit, omnesque turbæ cessarunt, ut hinc Protestantes discere queant, quam facile sit, inter dociles Romanæ Ecclesiæ filios gliscentes errores supprimere; quod apud eos obtineri nunquam potuit. Sed de hoc satis dictum est in Tom. I. P. II.

(b) De Cerinthianis testatur S. August. in Lib. *De Hæres.* n. 8. quod Jesum *tantummodo hominem fuisse*, dicerent. Quod iterum n. 10. asserit de Ebionæis Tom. VIII. quamquam hos postremos in suis erroribus neque unanimes, neque constantes fuisse, bene observat Nat. Alex. in *Hist. Eccl.* Sec. I. cap. 12. art. 5. & 6. De Carpocrate etiam inquit S. Pater ibid. n. 7. *Hic Jesum hominem tantummodo, & de utroque sexu natum putasse perhibetur.*

202. At vero certum, & plane demonstratum est, vocem hebraicam *haalma* designare *adolescentulam*, non cujuscumque generis, sed absconditam, incognitam viro, Virginem a radice עָלַם *Almam celare, abscondere*; adolescentulæ enim innuptæ magna diligentia apud Hebræos ab hominum aspectu custodiebantur, ut patet ex secundo libro Machabæor. III. 19., ubi dicitur, Virgines, *quæ conclusæ erant*, percurrisse ad Oniam. Id etiam testatur Josephus Hebræus lib. VII. *Antiquit. Judaic.* cap. 10. Maxime autem significatur virgo, quando vox עַלְמָה *alma* scribitur cum præpositione litteræ ה *he*, ut hic scribitur הָעַלְמָה *haalma*. Sane nonnisi tribus in locis hæc vox invenitur, & semper significat Virginem. Sic Gen. XXIV. 16. & 43. Rebecca virgo appellatur cum littera ה *he* præposita *haalma*. Exodi pariter II. 8. Maria soror Moysis, quæ virgo erat, vocatur *haalma*. Nec nillibi in tota sacra Scriptura legitur hæc vox *haalma* ad designandam puellam, quæ virgo non fuerit; adeo ut S. Hieronymus in sacro textu hebraico versatissimus ita fidenter potuerit asserere in Comment. ad hunc locum: „ Quantum cum mea pugno memoria, nun„ quam me arbitror *alma* in muliere nupta le„ gisse, sed in ea, quæ virgo est: ut non solum „ virgo sit, sed virgo junioris ætatis, & in annis „ adolescentiæ. Ergo *Almæ* non solum, puella, „ vel virgo, sed cum σπαργάνοις *Virgo abscondita* „ dicitur, & secreta, quæ nunquam virorum pa„ tuerit aspectibus, sed magna parentum diligen„ tia custodita sit. Et addit: lingua quoque Puni„ ca, quæ de Hebræorum fontibus manare dici„ tur, proprie Virgo *alma* appellatur. "

203. Neque vero contrarium evincunt duo loca objecta ex Canticis, & ex Proverbiis. Nam in primo illæ adolescentulæ, quæ vocantur *Alamot*, virgines erant; utpote quæ inferius cap. VI. 7. distinguuntur a Reginis, seu uxoribus Salomonis, & a concubinis: *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*; nempe Virginum, quæ in gynecæo asservabantur, ut quando opus esset, in conjuges assumerentur.

204. In cap. autem XXX. Proverb. Salomon dicit, tria esse sibi difficilia, scilicet viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, & viam navis in medio mari; quartum autem se *penitus ignorare*, nempe *viam viri in adolescentia*, ut noster Vulgatus legit, una cum LXX. Interpretibus, idest quomodo usus rationis a nobis sensim, ac sensim acquiratur, & una cum ætate in nobis crescat. Qui autem una cum Hebræis legunt in *adolescentula*, vel id referunt ad mysterium Incarnationis Dominicæ, quod certe ignorabat Salomon, quomodo in utero Virginis peractum sit: vel dicunt, Salomonem ignorasse modum, quo ex permixtione utriusque sexus fiat hominis generatio; vel demum autumant, voluisse hunc sapientissimum Regem artes indicare, quibus astutissimæ puellæ turpes suos lapsus abscondere solent. At vero etiamsi concedatur Rabbinis, fuisse hoc loco nomen *Alma* adhibitum ad significandam puellam non vere, sed simulate virginem, non video, quidnam inde inferri possit contra Isaiæ oraculum: quasi vero Isaias non de vera, sed de simulata Virgine locutus sit.

205. Dices primo. Hebræi ad Virginem designandam utuntur voce מְתוּלָה *Betula*, ut ex innumeris locis ostendi potest.

206. Resp., hanc vocem *Betula* significare Virginem cujuscumque ætatis; vocem autem *Alma* significare Virginem adolescentulam, cujusmodi fuit Maria, quando de Spiritu Sancto concepit Dominum nostrum Jesum Christum. Imo vox *Betula* aliquando usurpata invenitur ad significandam viduam, ut Joelis I. 8. *Plange, quasi Virgo* (Hebr. *Betula*) *accincta sacco super virum pubertatis suæ*.

207. Dices secundo. Aquila, Theodotion, & Symmachus græce hanc Isaiæ vocem interpretantes, non verterunt παρθένος parthenon *virginem*, sed νεᾶνις *neanida adolescentulam*.

208. Resp., his tribus interpretibus suspectæ fidei, utpote qui proselyti Judæorum fuerunt, & post natam Christianam religionem suas versiones ediderunt (*a*), præferendos esse LXX. senes, qui ante dissidia, & schisma Rabbinorum vocem *Alma* verterunt παρθένος *parthenon* Virginem. Ita quoque verterunt Paraphrastes Onkelosus, & Jonathan; & ita etiam veteres aliquos Rabbinos hunc locum intellexisse testantur Tertullianus *contra Judæos* c. 9., & Eusebius Lib. VII. *Demonstr. Evangel.* c. 7. Unde communem hujus vocis intelligentiam Evangelista Matthæus secutus est; quin aliquis eo tempore ei contradixerit.

209. Dices tertio. Illa verba: *Ecce Virgo concipiet, & pariet*, intelligi possunt in sensu divisо; nempe ea, quæ modo Virgo est, postea suscepto virili semine concipiet, & pariet; quomodo dicebat Jesus Matth. VI. 5. discipulis Joannis: *Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant* &c. Id patet ex loco Joelis, supra n. 206. allato, ubi nomen Virginis adhibetur ad denotandam viduam, quæ plorat super virum, cui virgo olim nupserat. Imo nec profanis scriptoribus insolens fuit

Ho-

(*a*) Aquila primo Gentilis fuit, postea Christianus ac demum proselytus Judæus. Græcam suam versionem edidit primum anno Æ. C. 129.; alteram postea addidit, quam *Deuterosin*, una cum annot., & comm. impietatis plenis ... Theodotion vero Ephesius primo Marcionis sectator fuit, postea ad Judæos migravit. Ejus versio pejoris est notæ, quam versio Aquilæ. Symmachus Samaritanus erat; Christianus autem factus Ebionitis adhæsit, in quorum gratiam suam edidit græcam Bibliorum versionem.

nomen Virginis adaptare mulieribus jam corruptis (a).

210. Resp., futilem esse, & contextui repugnantem hanc quorumdam Rabbinorum explicationem. Isaias enim proposuit domui David conceptum & partum Virginis tamquam signum aliquod extraordinarium, quod Deus omnipotens daturus erat; dixerat enim prius regi Achaz: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra*: renuente autem Achaz subdit Propheta: *Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo &c.* Profecto risui omnium se exposuisset Propheta, si hoc signum nihil aliud esse voluisset, quam conceptum, & partum puellæ, quæ ante Virgo erat, & virginitatis jacturam in concipiendo fecerit. *Sin autem*, inquit apposite Hieronymus in hunc loc., *juvencula, vel puella, ut Judæi volunt, & non virgo pariat, quale signum poterit appellari, quum hoc nomen ætatis sit, non integritatis?* Et S. Irenæus L. III. *adv. hær.* cap. 27. *Quid enim magnum*, inquit, *aut quod signum fieret in eo, quod adolescentula concipiens ex viro peperisset, quod evenit omnibus, quæ pariunt, mulieribus?* Voluit itaque proculdubio Propheta ibi proponere signum aliquod magnum, insuitatum, & quod omnes naturæ vires excederet, quale petere a Deo noluit Achaz, & quod Deus domui David dare constituit, nempe conceptum, & partum Virginis: *Ecce Virgo concipiet, & pariet &c.*

211. Inst. Ipse Isaias cap. seq. (VIII. 18.) inquit: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israel;* quin tamen hic velit, signum aliquod supra naturæ vires indicare; ergo similiter in cap. VII. potuit proponere signum aliquod commune, & vulgare conceptus, & partus Virginis jam vitiatæ.

212. Resp. & ex adjunctis, & ex ipso modo loquendi palam fieri discrimen inter utrumque locum. In primo enim loquebatur Propheta de signo, quod Achaz petere jubebatur in profundum inferni, sive in excelsum supra: *Pete tibi signum:* sermo igitur erat de vero prodigio. Achaz autem renuente convertit se Isaias ad domum David: *Audite domus David*, & signum illis promittit, quod dabit ipsis Deus; utique verum prodigium. Nihil autem tale in cap. VII.; sed Isaias proponit se, & pueros suos (hoc est alios Prophetas, vel Discipulos sibi a Deo datos) *in signum & portentum*, quia prædicatores erant veri Dei cultus; & tales prædicatores propter illorum temporum nequitiam contemptui habebantur; unde regius Ps. LXX. 7. inquiebat: *tamquam prodigium factus sum multis*. In quo tamen ipsi filii, vel discipuli Isaiæ figura fuerunt Apostolorum, & discipulorum Christi, qui in *signum*, & *portentum* facti sunt, novam ipsius doctrinam ubique evangelizantes.

213. Obj. secundo. Non apparet, quomodo Isaias eo loci potuerit de conceptu, & nativitate Messiæ vaticinari. Volebat enim aliquo signo persuadere Regi Achaz, destruendam esse potentiam duorum fœderatorum Regum Assyriæ, & Samariæ; propterea illi jubet, ut petat signum a Domino Deo; renuente autem illo, & dicente: *Non petam, & non tentabo Dominum*, Isaias promittit ipse signum a Deo. At vero hoc signum præcedere debebat destructionem duorum regnorum, quæ conspiraverant adversus Jerusalem; Christus autem natus est sexcentis, aut septingentis post annis: ergo &c. Ea expressa Prophetæ verba: „ Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & „ vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum, „ & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & „ eligere bonum. *Quia, antequam sciat puer „ reprobare malum, & eligere bonum* (hoc est „ antequam rationis usum attingat) *derelinque- „ tur terra, quam tu detestaris, a facie duo- „ rum Regum suorum.* " Jam vero ista difficultas evanescit, atque omnia facile componuntur, si ille filius Virginis, qui vocari debebat *Emmanuel*, idem esse ponatur ac filius ejusdem Isaiæ, cujus mentio fit cap. VIII. 3. & seq. his verbis: *Accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus. Accelera, spolia detrahere, festina prædari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* Quæ prædictio etiam opere adimpleta fuit: nam paulo post Theglathphalasar Rex Assyriorum Damascum vastavit, & Rasin Regem Syriæ interfecit, ut habetur Lib. IV. Regum XVI. Non ergo Isaiæ oraculum ad virginem Mariæ partum referri potest, qui multis sæculis posterior fuit.

214. Resp. certe hanc difficultatem non exiguam esse. Ad illam vero tollendam non eamdem insistunt viam veteres, ac recentiores Interpretes. Veterum tamen explicatio & solidior, & toti contextui magis consentanea est. Negant illi, conceptum, & partum Virginis cap. VII. præmunciatum, sicuti ea omnia, quæ de conceptu, & partu Prophetissæ cap. VIII. dicta sunt, fuisse signum, quod præcedere deberet destructionem duorum Regum Syriæ, & Samariæ. Et jure quidem id negant; alias prophetia falsi convinceretur, saltem quantum ad tempus. Regi enim dixit Propheta, nasciturum ex Virgine puerum, seu Emmanuel; & antequam ille sciat reprobare malum, & eligere

(a) Notum est illud Virgilii *Ecloga* VI. 47. de Pasiphae trium filiorum matre

Ah virgo infelix, quæ te dementia cepit! tum illud Horatii Lib. I. Ode 29.

.... Quæ tibi virginum
Sponso necato barbara serviet?

Et multo plura afferri possent.

re bonum, nempe antequam infantilem egrediatur ætatem, *derelinquetur terra, quam tu detestaris, a facie duorum Regum suorum;* & infra adhuc expressius cap. VIII. 4., *antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum:* hoc est duo inimica regna Syriæ, & Samariæ funditus everterentur: atqui hoc factum est quidem, sed multo serius, scilicet anno sexto imperii Ezechiæ capta est Samaria a Salmanasare Rege Assyriorum, ut dicitur Lib. IV. Regum XVIII. 10.; hoc est sexdecim circiter annis post vaticinium Isaiæ: ergo non antequam puer nascituras sciret reprobare malum, & eligere bonum, aut vocare patrem, & matrem. Multoque magis hoc argumentum valet, si non filius Prophetissæ, sed filius ipsius Regis Achaz, ut Rabbini David Kimchi, Aben-Ezra, Lipman, aliique volunt, in signum a Propheta datus dicatur; qui ulterius non nasciturus, sed natus jam erat, & annos circiter viginti numerabat (a).

215. Præterea, quomodo alterutri, vel utrique horum filiorum ea convenire possunt, quæ ibi Propheta filio prænunciato accommodat? Primo enim vocandus erat *Emmanuel;* neuter autem filius hoc nomen, vel ejus significatum habuit. Secundo additur VIII. *Et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel.* Tertio vers. 14. *Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem aut offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel.* Quæ nonnisi in Jesu Nazareno adimpleta sunt, juxta prædictionem sancti senis Simeonis Lucæ II. 34. Multo autem magis ad solum Messiam ea pertinent, quæ Isaias subdit cap. IX. 6. seq. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis,* cum iis, quæ sequuntur, quæ frustra a divino Vate prædicta sunt, si non referantur ad Messiam, cui soli, & nulli alteri, illi characteres convenerunt. De Messia igitur tota illa prophetia, quanta est, intelligi debet.

216. Neque obstat, quod Isaias eo tempore colloqueretur cum Rege Achaz de angustiis, ad quas redactus erat, & de prompto auxilio Dei, quo ab iis liberaretur, ac denique de signo, quod divinæ promissionis arrha, & pignus esse debebat. Nam primo non insolens est, imo frequentissimum apud Prophetas, ut repente de uno subjecto ad aliud transeant, propter quod maxime obscuri sunt, ut non semel notavit S. Hieronymus (ad cap. VIII. 23. Jeremiæ, ad Isaiæ III., & ad Nahum II.): potissimum vero, ut sua vaticinia referrent ad Christum venturum, qui omnium prophetiarum finis est. Secundum hunc transitum repentinum judicavit Propheta, cum non amplius vellet alloqui Regem, postquam renuit petere a Domino Deo signum, sed conversus est ad domum David, dicens: *Audite ergo Domus David,* quasi de alia re jam loqueretur. Tertio promittens Domui David Filium nasciturum, qui *super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio, & justitia, amodo, & usque in sempiternum* (cap. IX. 6.); hoc ipso confirmabat promissionem paulo antea factam (cap. VII. 5. seq.) quod Deus dissipaturus erat consilium iuitum a duobus Regibus Syriæ, & Samariæ, avellendi Regem Achaz a Juda, & ponendi regem in medio ejus filium Tabeel; quasi diceret, destrui non posse consilio humano illam domum ac familiam, de qua oritura erat illa Virgo, quæ conciperet, & pareret Eum manuelem.

217. Sed quomodo, instant Adversarii, talis conceptus, & partus nonnisi post 600., & amplius annos futurus poterat vocari liberationis proximæ speratæ signum? *Dabit Dominus ipse vobis signum?*

218. Resp., primo majore difficultate premi, qui volunt filium Prophetissæ, aut ipsius Achaz fuisse signum, ut mox n. 214. explicuimus cum S. Hieronymo. Deinde *signum* potest dupliciter sumi, aliud *prognosticum*, & tunc eventum rei, quam significat, certe præcedere debet, sicuti quando idem Propheta Isaias Regi Ezechiæ pro signo futuræ sanitatis, ac vitæ diuturnioris dedit prodigiosam retrogressionem umbræ in horologio Achaz decem lineis Lib. IV. Regum XX. 9. Aliud signum est *rememorativum*, ut illud, quod Moysi dedit Deus Exodi III. 12. *Hoc habebis signum, quod miserim te: cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.* Hoc secundo sensu sumi poterit signum ab Isaia prædictum.

219. Ad hæc, vox hebraica אוֹת *Hoth* potest etiam significare prodigium, vel miraculum, ut notat noster Sanctes Pagninus in *Thesauro linguæ sanctæ* col. 49., & conjungitur aliquando חֹדֶשׁ *Mo-*

(a) Hoc argumentum est S. Hieronymi, qui in vers. 16. hujus c. VII. ita colligit: „ Sexto imperii anno „ Ezechiæ est ab Assyriis capta Samaria, idest tri„ gesimo primo anno ætatis ipsius. Si itaque, iste „ qui nasciturus, vel *de Virgine*, ut nos probamus, „ vel *de adolescentula*, ut Judæi volunt, butyrum, „ & mel comedet, & tam parvulus erit, ut malum „ a bono discernere nequeat, & antequam ille tem„ pus egrediatur infantiæ, terra Syriæ, & Samariæ „ vastanda ab Assyris sit; respondeant Hebræi, quo„ modo Ezechias triginta & uno annis infantulus præ„ dicetur, & tam rudis ætatis, ut mel, & butyrum „ comedens, juxta Ninivitices pueros, nec sinistram, „ nec dexteram, idest nec malum, nec bonum nove„ rit? “

Mophet, quod proprie miraculum est. Ut in Psalmo CXXXIV. 9. *Misit signa, & prodigia;* & sæpe alibi. Unde suspicari non immerito possumus, Prophetam non signum, vel pignus futuræ liberationis domus Davidi proponere voluisse, sed potius magnum illud prodigium Virginei conceptus, & partus Emmanuel, qui totum genus humanum a captivitate dæmonis liberaturus est.

220. Dices. Quomodo Messiæ illa verba adaptari possunt, *Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum;* cum ejus anima a primo conceptionis momento fuerit omni sapientia repleta?

221. Resp., significari his verbis naturam humanam Emmanuelis, qui propterea solitis aliorum infantium cibis nutriri debebat, cujusmodi erant apud Judæos butyrum, & mel, quibus terra Chanaan abundabat, *fluens lacte, & melle:* & qui etiam, ut ceteri pueri, debebat crescere ætate, & sapientia, saltem externa specie; vere enim illius anima non poterat in sapientia crescere, nisi experimentali.

222. Dices iterum: Judæi, qui pavore, & terrore correpti, unice ut ab imminenti liberarentur periculo, solliciti erant, oraculum Isaiæ de Emmanuele ex Virgine nascituro intelligere non poterant: supervacaneum igitur erat.

223. Resp., utique potuisse Judæos tum ex verbis ipsis: *Ecce virgo concipiet, & pariet*, tum multo magis ex adjectis Emmanuelis characteribus oraculi significatum intelligere, nisi carnales existentes rebus tantum præsentibus fuissent more brutorum occupati. Quamquam non desunt Rabbini, qui Messiam, ex Virgine nasci debere, hoc instructi Isaiæ vaticinio fateantur. Mirabile etiam videri potest, quod Deus noluerit statim initio nativitatis Jesu Christi hoc conceptus, & partus Virginalis mysterium omnibus revelari; imo ad illud tegendum voluerit, Mariam Josepho nuptiali vinculo conjungi: cujus quidem divinæ œconomiæ a sanctis Patribus variæ afferuntur rationes. Revelatum tamen fuit ab Angelo Gabriele Virgini Mariæ, quæ jure mirabatur, quomodo posset in suo utero concipere, cum virum non cognosceret. Revelatum est Josepho, ne dubitaret Mariam conjugem suam accipere: ac demum tempore opportuno omnibus a sacris Evangelistis patefactum est.

224. Duo postremo superesse possunt scrupuli: primo quod in primigenio textu hebraico non legatur *in* tempore futuro: *Ecce virgo concipiet, & pariet;* sed in præterito *concepit, & peperit* הרת וילדה. Secundo, quod Jesus Christus non fuerit vocatus *Emmanuel*.

225. Primo dubio facile occurrunt linguæ sanctæ periti, qui bene norunt, futurum a præterito persæpe solum ex adjunctis distingui, quomodo hic distinguitur, unde etiam LXX. Senes verterunt in tempore futuro ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱόν. *Virgo in utero habebit, & pariet filium*. Præterea frequentissime Prophetæ ad designandam certitudinem eventus adhibent tempus præteritum, vel præsens pro futuro, quod innumeris ejusdem Isaiæ locis confirmari potest: ut cum de Messia prophetavit: *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit* &c. Atque hæc communis est veterum Patrum, atque Interpretum hujus difficultatis enodatio.

226. Alterum vero scrupulum jam exemit Evangelista Matthæus c. I. utrumque nomen simul conjungens *Jesus*, & *Emmanuel*, (sup. n. 198.) quorum alterum ab Angelo impositum fuit, alterum a Propheta. Primum officium *Salvatoris* explicat: secundum ejusdem Salvatoris personam divinam in duplici natura subsistentem.

227. Sed recentiores aliqui, gravesque Theologi minime dubitant, duos pueros fuisse in eo loco ab Isaia indigitatos & distinctos: primum scilicet Emmanuelem, seu Messiam, ad quem referuntur ea verba: *Ecce virgo concipiet, & pariet;* alterum vero filium Prophetissæ, quem in signum, & pignus proxime futuræ liberationis nasciturum prædicit. Itaque priora verba: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*, continere dicunt promissionem Messiæ nascituri ex Virgine, & qui cum Deus sit, & homo, educandus, & nutriendus fuerit instar aliorum puerorum lacte, & melle. Sequentia autem: *Quia* (hebraice כי *sed*) *antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, a facie duorum Regum suorum*, referri volunt ad filium Isaiæ, qui postea clarius indicatur in c. seq. Observant enim, Prophetam non dixisse, quia antequam *iste* puer sciat reprobare malum &c., quod dicendum illi erat, si adhuc de puero Emmanuel loquerentur: sed dixisse absolute, *antequam puer* (vel fortasse *antequam ille puer*, propter aspirationem, ה *he*) ut significaret, se non amplius loqui de Emmanuele, sed de alio puero, seu de filio Prophetissæ. Hanc explicationem adhibuit post Jac. Ben. Bossuet. P. Augustinus Calmet in Dissert. præmissa Commentariis in Isaiam. Eidem adhæret etiam P. Car. Houbigant in admonat. ad hunc Isaiæ locum, quos tamen hærere necesse est, aut magnopere laborare cum tempus determinare conguntur, quo prophetia de eversione Samariæ completa fuit, juxta ea, quæ supra n. 214. cum S. Hieronymo diximus.

228. Et hæc quidem de explicatione cap. VII. Isaiæ. Dubium tamen superest de iis, quæ Propheta addit cap. VIII.: *Et dixit Dominus ad me, sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis: velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ; & accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: voca nomen ejus. Accelera, spolia detrahere, festina præ-*

prædari ; quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum... Qui duos filios ab Isaia distinctos fuisse volunt, Emmanuelem, & filium Prophetissæ, facile hæc verba cum superioribus conciliare videntur; sed nodus postea ipsis remanet solvendus, quonodo tempus hujus prophetiæ litteraliter acceptæ possit cum Lib. IV. Regum conciliari, ex quo scimus, spolia Samariæ nonisi anno sexto Ezechiæ, idest annos ad minus sexdecim post hoc vaticinium fuisse detracta.

229. Accedit, non posse hæc verba de concubitu Isaiæ cum Prophetissa uxore sua explicari, quin aliquid indecorum, imo fœdum cogitatu in mente veniat; quasi scilicet Isaias coram duobus fidelibus testibus operam, gignendo filio daderit, & nomine libri grandis, ac styli partes nec nominandæ indicatæ fuerint, quemadmodum aliqui carnales Judæi explicare impudenter non sunt veriti.

230. Itaque sancti Patres consultius judicarunt, hæc etiam verba ad Messiam referre, nomine *Prophetissæ* intelligentes Mariam sanctissimam, cujus filius fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ spiritualiter auferre debebat; *expolians* scilicet *principatus & potestates* Coloss. II. 15. Mariam Prophetissam fuisse, nemo dubitat, qui divinum illius Canticum considerat: *Magnificat anima mea Dominum* Lucæ I. Ad illam ergo accessit Propheta, non corpore, sed spiritu. Nonnulla etiam, quæ de Filio hujus Prophetissæ ibi enunciantur, vix, ac ne vix quidem possunt filio Isaiæ convenire; ut illud: *Erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel* (a).

231. Obj. tertio. Christus in sacris litteris describitur eo modo genitus, quo alii homines, scilicet ex commixtione maris cum fœmina. Nam primo non solum dicitur habere matrem, sed etiam patrem. Lucæ II. 33. *Erat pater ejus, & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo*; & infra vers. 48. dicit ei Mater: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*. Secundo Matth. I. probatur, Christum fuisse filium David, quia Joseph vir Mariæ ex David descendit; quæ probatio nulla foret, si Christus tantum Mariæ filius fuisset; non autem Joseph. Tertio S. Paulus ad Gal. IV. 4. Christum dicit *factum ex muliere*; mulier autem consueto loquendi usu non significat virginem, sed fœminam a viro cognitam.

232. Respondet S. Thomas ad primum, S. Josephum fuisse appellatum *Patrem* Jesu Christi secundum communem hominum opinionem, quos Deus de hoc virgine partus mysterio instruere ab initio certis de causis opportunum non judicavit: unde idem S. Evangelista cap. III. 23. *Ipse Jesus*, inquit, *erat incipiens, ut putabatur, filius Joseph*.

233. Ad secundum. S. Hieronymus in hunc locum Matthæi duas allegat rationes, propter quas genealogia Jesu Christi fuit deducta per Josephum, & non per Mariam; primo, *quia non est consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur. Deinde ex una tribu fuit Joseph, & Maria; unde & ex lege eam accipere cogebatur, ut propinquam:* unde si Joseph a David descendebat, Mariam quoque ex eadem tribu existens, descendebat ex David, adeoque & Jesus, filius Mariæ.

234. Tertium leve est: mulieris enim, sive fœminæ nomen, tam virginibus, quam corruptis commune est. *Usu hebraeæ locutionis*, inquit S. Augustinus Serm. LXXIII. *de verbis Domini* cap. 4., *mulieres dicit, non virginitate corruptas, sed fœminas*. Quod S. Thomas Lect. II. in hunc locum probat ex cap. III. Geneseos, ubi Adam vocat Evam uxorem suam *mulierem: Mulierem quam dedisti mihi*, quæ tamen tunc adhuc virgo erat.

235. Obj. ultimo. Si Christus ex semine viri genitus non fuit, verain non habuit humanam naturam, nostræ similem; corpus enim humanum debet ex utroque sexu efformari.

236. Respondet S. Thomas, quod sicut Adam fuit verus homo, quamquam formatus ex limo terræ, ita Christus Jesus verum habuit corpus humanum, virtute divina in utero Virginis formatum absque virili semine.

237. Scholion. Hujus mirabilis conceptionis Jesu Christi in utero Virginis intemeratæ quatuor rationes aptissimas affert S. Thomas. „ Primo „ propter mittentis Patris dignitatem conservan„ dam. Cum enim Christus sit verus, & natura„ lis Dei filius, non fuit convenieus, quod alium „ Patrem haberet, quam Deum, ne dignitas Dei „ Patris transferretur ad alium. Secundo hoc fuit „ conveniens proprietati Filii, qui mittitur, qui „ quidem est Verbum Dei. Verbum autem abs„ que corruptione cordis concipitur; quinimmo „ cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non „ patitur. Quia ergo caro sic fuit a Verbo Dei „ assumpta, ut esset caro Verbi Dei, conveniens „ fuit, quod etiam ipsa sine corruptione matris „ conciperetur. Tertio hoc fuit conveniens digni„ tati humanitatis Christi, in qua locum pecca„ tum habere non debuit, per quam peccatum „ mun-

(a) De his maxime legendum consulo Natalem Alexandrum, tum in *Hist. Vet. Test.* in V. mundi ætate Diss. X. art. 7., tum etiam in *Hist. Eccl. Sæc.* I. Diss. XXVIII.; ex quo fonte multos alios video suos rivulos deduxisse. D. Ignatius Laudrianus Medioh. Monachus Olivetanus hebraice doctissimus multa de hoc argumento scripsit in Opere, cui titulus *Virginis partus, ejusque filii Emmanuel Divinitatis, & humanitatis, scripturalis Dissertatio, atque Demonstr. adv. Hebræos, & Hæreticos* in 4. Mediol. 1654.

„ mundi tollebatur, secundum illud Joan. I. 29. *Ecce agnus Dei*, scilicet innocens, *qui tollit peccatum mundi*. Non poterat autem esse, quod „ in natura jam corrupta ex concubitu caro nascseretur sine infectione originalis peccati .... „ Quarto propter ipsum finem incarnationis Christi, quæ ad hoc facta fuit, ut homines renascerentur in Filio Dei, *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo*, id„ est ex ipsa Dei virtute; cujus rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. "

DISSERTATIO III.

De unione duarum naturarum, divinæ & humanæ in Persona æterni Dei Verbi.

1. Explicatis iis, quæ ad humanam Christi naturam pertinent, sequitur, ut de ipsius conjunctione cum natura divina in unica æterni Verbi persona agamus, ubi amplam nobis disserendi materiam hæreses Nestoriana, Eutychiana, ac Monothelitarum suppeditabunt. Primum vero Nestorianam hæresim impugnare aggrediemur, quæ etiam tempore alias antecessit. Exordiemur autem ab hujus hæresis origine.

CAPUT I.

De ortu hæresis Nestorianæ, ac de ejus condemnatione.

2. Nestorius Germanicæ obscuro quodam Syriæ oppido natus, facundia, ac dicendi promptitudine, potius quam doctrina (*a*) & affectata quadam morum gravitate, ac sanctimonia, tantum populi favorem, plausumque adeptus est, ut ipsius fama Constantinopolim usque ad aures Imperatoris Theodosii pervenerit, qui ad Regiæ urbis Patriarchalem Sedem morte Sisinii vacantem anno 429. ipsum Antiochia evocatum evehi curavit. Et primo quidem ad vehemens catholicæ religionis tuendæ, ac propagandæ studium omnibus se commendabilem reddidit. Sed dum Hæreticos omnes (exceptis Pelagianis, quibus interius favebat) magno zelo insectabatur, infeliciter ipse in hæresim est lapsus, quam hausisse creditur a Theodoro Mopsuestiæ Episcopo, ad quem in suo itinere declinaverat, ut in epistola quadam narrat Joannes Antiochenus, cujus epistolæ partem Facundus Hermianensis suo Libro X. inseruit.

3. Duo autem erant ipsius hæresis suprema capita. Primum, quod duas personas in Jesu Christo admitteret, divinam, & humanam, atque adeo in utero B. Mariæ Virginis nonnisi hominem fuisse formatum, cui postea unitum fuerit Verbum divinum, non substantialiter, & hypostatice, sed moraliter tantum, ut proinde Incarnatio Verbi nihil sit aliud, quam ipsius inhabitatio in homine ex Maria genito, tanquam in templo, unde etiam sequebatur, Deum proprie natum, passum, ac mortuum non esse, nec Christum esse Deum, sed purum hominem; in quo tamen Deus, veluti in templo inhabitaret.

4. Alter principalis Nestorii error fuit, beatissimam Virginem Mariam non esse θεοτοκον *Deiparam*, sed χριστοτοκον *Christiparam* appellandam, vel etiam ἀνθρωποτοκον *hominis matrem*. Atque hinc cœpit Nestorius suarum basphemiarum exordium, quarum præcones adhibuit Dorotheum quendam Episcopum, & Anastasium Presbyterum, quorum audacia eo pervenit, ut in publica concione in eos anathema dicerent, qui Mariam Deiparam nominarent, idque præsente, atque approbante Nestorio. Quamquam populus blasphemia audita, tumultuari cœpit, imo quidam inventus est Monachus, qui vocem contra concionatorem hæreticum extolleret, quem Nestorius vi, & potentia sua facile oppressit, & flagris cæsum in exilium amandari curavit. Non potuit tamen Nestorius populorum clamores compescere, qui publice inclamabant: *Imperatorem habemus, Episcopum non habemus*. Et S. Cyrillus ad S. Cælestinum Rom. Pontificem scribebat, Constantinopolitanum populum universum, præter paucos leves ac vanos homines, a Nestorii communione abstinuisse.

5. Nestorius interim, ut latius suam hæresim propagaret, Tractatum *de Incarnatione*, nonnullasque Homilias in Ægyptum misit, ubi tamen inexpugnabilem fidei catholicæ defensorem invenit Sanct. Cyrillum Patriarcham Alexandrinum. Hic statim per epistolam suos Monachos contra pestilentem hæresim præmunivit, ac fere una simul ad Imperatorem Theodosium, atque ad Imperatrices Eudoxiam, & Pulcheriam libellum misit *de recta in Christum fide*. Scripsit postea etiam ad Nestorium, qui ubique de Cyrillo sibi infesto conquerebatur, immo ipsum apud Imperatorem accusavit, ut pacis perturbatorem, & insurpatæ in Ægypto tyrannidis reum. Porro Cyrillus amantissimis litteris Nestorium monebat, ut deposito errore, quem incaute hauserat, B. Virginem *Deiparam* vocare una cum ceteris fidelibus non recusaret. Extant hæ litteræ in I. P. Concilii Ephesini, quibus frigide, & jejune respondit Nestorius in suo errore pertinax.

6. Sed postea cum rescisset Cyrillus, Nestorium ad summum Pontificem Cælestinum de hac enata con-

(*a*) Ita enim de eo scribit Socrates Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 32. *Cum naturali facundia esset præditus, eruditus quidem videbatur, revera tamen erat indoctus. Libros etiam veterum interpretum haudquaquam legere dignabatur. Arrogantia enim elatus ob dicendi facultatem, non satis adeo rerum vetustiorum legendis operam dabat: sed seipsum reliquis omnibus præstare arbitrabatur.*

controversia scripsisse, veritus he malis artibus ipsum deciperet, ad eumdem Romanum Pontificem litteras obsequii, & reverentiæ plenas, per Possidonium Diaconum misit, in quibus primo memorat *veterum Ecclesiarum consuetudinem*, quæ suadebat, ut hujusmodi res Sanctitati suæ communicaretur. Deinde hæc addit notatu dignissima: *Non prius autem illius* (Nestorii) *communionem palam, aperteque desérimus, quam hæc ipsa Pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias, perscribere, quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat, an vero libere eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat. Porro tuæ Integritatis mens, & super hac re sententia piissimis, Deoque devotissimis, Macedoniæ Episcopis, nec non totius Orientis Antistitibus perspicue per litteras exponi debet. Non cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo in una sententia persistant, rectæque fidei, quæ jam impugnatur, opem ferant.* Ita Cyrillus secundæ Patriarchalis Sedis Antistes, suo, aliorumque Orientalium Episcoporum nomine Romani Pontificis in universa Ecclesia primatum, & verbis, & factis venerabatur.

7. S. Cælestinus, negotii gravitatem probe perpendens, Synodum Romæ habuit anno 430., in qua re diligenter, ut par erat, examinata, sententiam excommunicationis, & depositionis contra Nestorium tulit, nisi intra decimum ab admonitione diem errores suos *aperta, & scripta confessione* damnaret; Cyrillo insuper jussit, ut tamquam Apostolicæ Sedis Legatus, sententiam contra Nestorium executioni mandari curaret, atque Ecclesiæ Constantinopolitanæ provideret. Aliæ insuper litteræ a Cælestino missæ sunt ad Nestorium, ut errores deponeret; ad Clerum Constantinopolitanum, ut constans in orthodoxa fide permaneret. Joanni præterea Antiocheno, Rufo Thessalonicensi, Juvenali Jerosolymitano, aliisque majorum Sedium in Oriente Episcopis scriptum ab eodem fuit, ut eansam Fidei strenue adjuvarent.

8. Porro Cyrillus Rom. Pontificis auctoritate firmatus Synodum habuit Episcoporum sui Patriarchatus eodem ipso anno 430.; unde Synodicam epistolam una cum Cælestini Pontificis mandatis, ac duodecim anathematismis, quibus Nestorius ad suos errores sine tergiversatione ejurandos, subscribere jubebatur, per quatuor legatos ad Nestorium ipsum misit (*a*). Scripsit etiam S. Cyrillus aliam epistolam ad Clerum, & Archimandritas Constantinopolitanos, ut eos de re tota edoceret, atque ad conservandam orthodoxam de Mysterio Incarnationis fidem vehementius urgeret.

9. Nestorius acceptis Romani Pontificis, atque Antistitis Alexandrini litteris in majores furias actus, & non solum suos errores pertinaciter tueri perrexit, sed & Imperatoris levem, & facilem animum a Cyrillo avertere, variis contra eum intentatis calumniis, conatus est, suosque Clericos, maxime autem Archimandritas, & Monachos orthodoxæ fidei constanter adhærentes, multimodis afflixit. Anathematismis autem Cyrilli totidem opposuit anathematismos errorum, atque impietatis plenos; quos etiam a Joanne Antiocheno, nonnullisque Syriæ Episcopis probari curavit. Nec deerant, tam in regia Urbe, quam in multis Orientis provinciis, qui ab Hæresiarcha decepti, vel ejus hæresi, vel saltem ejus personæ aperte patrocinarentur. Quocirca ad Ecclesiæ pacem restituendam, & ad puritatem fidei conservandam, e re visum est Synodum œcumenicam congregare.

10. Eam postulavit ab Imperatore una cum aliis Nestorius ipse, ut scribit Evagrius Lib. I. cap. 5., quorum votis piissimus Augustus annuit, & Ephesi pro die Pentecostes anni 431. indicta est. Ei præfuit ipse Cyrillus, vel suæ Sedis prærogativa, vel, ut alii arbitrantur, nomine Sancti Cælestini, cujus in hac causa jam antea fuerat Legatus, donec Arcadius, & Projectus Episcopi, una cum Philippo Presbytero, quos idem S. Cœlestinus Roma ablegaverat, Ephesum pervenirent, & simul cum S. Cyrillo Synodo præsiderent. Interea tamen cum S. Cyrillus Romanum Pontificem sciscitatus fuisset, *an quia induciarum tempus emensum erat, sententia* (contra Nestorium) *dudum lata perduraret*, Cœlestinus sententiam suspendisse creditur, cujus propterea elementiam erga Hæresiarcham, ut resipisceret, Legati Pontificii in Synodo exposuerunt (*b*).

11. Statuta Pentecostes die S. Cyrillus cum 50. tum est illud odium, quo plerique eorum feruntur contra S. Cyrillum, ipsumque præcipitis judicii, odii, atque injustitiæ in Nestoriana causa insimulare non verentur, ut infra videbimus. Sane Elias Salvianus Minister Calvinista Rotterodamensis accusatus a suo æmulo Petro Jurieo inter alia, quod Nestorium *orthodoxum* pronunciasset, ita in *Apologia* se defendit, quod duo inde contra Ecclesiam Romanam pro Reformatis emolumenta obvenirent: primo, quod Cyrilli auctoritas inde imminueretur, qui idololatriam (nempe adorationem corporis Christi) invexerit, secundo quod auctoritas infallibilis Conciliorum generalium simul cum Synodo Ephesina everteretur.

(*a*) Natalis Alexander in Sæc. V. *Hist. Eccl.* cap. 5. art. 12. §. 4. apposite Calvinistas invitat, ut ad hanc Synodicam S. Cyrilli epistolam attendant, in qua præsentiæ realis corporis Christi in Eucaristiæ Sacramento hoc præclarum redditur testimonium: *Quin & illud non possum*, inquit S. Antistes una cum tota Synodo, *hoc loco non adjicere, nempe dum Unigeniti Filii, hoc est Jesu Christi mortem, & resurrectionem ex mortuis annuntiamus, ejusdemque in cœlum assumptionem confitemur, incruentum in Ecclesia Sacrificium nos celebrare; atque mysticas benedictiones accedere, eaque ratione sanctificari, utpote sacræ Carnis, & pretiosi Sanguinis Christi, omnium nostrum Salvatoris participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem suscipimus. Absit hoc &c.* Hoc fortasse or-

(*b*) Legatur Card. Augustinus Orsi initio Libri XXIX. suæ *Hist. Eccl.*, ubi ostendit, eos falli, qui suspera-

circiter Episcopis sui Patriarchatus Ephesinæ Synodo adfuit. Aderat Ephesinus Episcopus, & Hexarcha Memnon cum aliis 40. Episcopis Asiaticæ Provinciæ. Paulo post pervenit etiam Juvenalis Jerosolymitanus cum Episcopis Palestinæ, & Episcopi simul congregati erant circiter ducenti. Solus aberat Joannes Antiochenus cum suis Episcopis Orientalibus, sive quod ex industria moras necteret, ut Nestorio amico suo gratificaretur, ut Patres Ephesini non immerito suspicati sunt; sive quod expectare debeus suos Episcopos, citius venire non potuerit, ut seipsum excusavit in litteris ad S. Cyrillum.

12. Interea tamen adhuc per 15. dies Synodi celebratio dilata est, quamvis nonnulli Episcopi hanc moram impatienter ferrent. Sed cum duo Metropolitæ, qui in comitatu Joannis erant, scilicet Alexander Apameæ, & Alexander Hierapoleos Ephesum pervenissent, & semel iterumque testati essent, Joanni minime placere, ut causa ipsius diutius Synodus prorogaretur, prima Actio Synodi habita est die 22. Junii in majore Ephesina Ecclesia, quæ *Sanctæ Mariæ* dicebatur. Die tamen præcedenti missa fuerat quatuor Episcoporum legatio ad Nestorium, qui ipsum ad Synodum die sequenti inchoandam invitarent. Sed Nestorius, re cum suis fautoribus communicata, venire renuit, immo contra Synodi exprdium protestatus est, contendens, Joannem Antiochenum una cum aliis quibusdam Episcopis esse expectandum. Idem etiam protestatus est Comes Candidianus, ab Augusto Theodosio ad Concilium missus, ut de recto ordine servando curaret, qui tamen Nestorio impense favebat, omneuque dabat operam, ut ejus damnatio impediretur (*a*).

13. Nulla vero utriusque protestationis ratio a Patribus habita est, & præside S. Cyrillo Sacrosancti Concilii initium fecerunt. Sedebant Episcopi 158. præter Diaconum Cesulam, qui a Capreolo Episcopo Carthaginensi, aliisque Africanis missus fuerat. Ante omnia tres Episcopi ad Nestorii domum missi sunt, ipsum ad Synodum advocantes; & iterum alii tres, ut trina admonitio a canonibus præscripta servaretur. Sed non alia fuit Nestorii responsio, quam venturum se ad Synodum, cum omnes Episcopi præsentes fuerint. His, aliisque ex canonum præscripto peractis, ea omnia lecta fuerunt, quæ ad Nestorii causam pertinebant; præcipue vero loca sacrarum Scripturarum, quæ magno numero Sanctus Cyrillus contra Nestorium collegerat. His addita postea fuerunt testimonia Sanctorum Patrum, quos decem enumerat Vincentius Lirinensis in *Commonitorio* cap. 42. (alii duodecim nominant) ut orthodoxa doctrina etiam ex divina traditione constaret. Lecta demum fuit epistola Episcopi Carthaginensis Capreoli per Diaconum Cesulam ad Concilium missa, in qua suam, & suorum Collegarum fidem explicabat. Quæ omnia actis conciliaribus inserta fuere, & prostant in Tom. III. Collectionis Conciliorum Labbeanæ. Atque his rite præhabitis, ac mature perpensis, tandem Patres unanimi calculo ad sententiam depositionis, atque excommunicationis contra Nestorium devenerunt, testantes se id facere *coactos per sacros canones, & epistolam Sanctissimi Patris, & Comministri Cœlestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi*. Hæc sententia subscripta inventur in Actis ab Episcopis 198., quamvis enim nonnisi 158. præsentes Synodo adessent, postea tamen alii, rei veritate comperta, eidem sententiæ suis suffragiis adhæserunt. Atque hic finis fuit memorandæ illius primæ Sessionis, quæ a summo mane usque ad noctem perduravit. Tanta autem excitata est in populo Ephesino lætitia pro vindicato Deiparæ Patronæ suæ honore, ut illico facibus accensis tota urbs fuerit illuminata, atque Episcopi cum acclamationibus, aliisque honorum signis ad sua domicilia deducti. Infelici autem Nestorio fuit sententia postridie ex juris formulis missa cum hac inscriptione: *Nestorio novo Judæ*; deinde in foro publicata, multisque in locis affixa.

14. Sed hujus primæ diei lætitia haud parum turbata fuit, quando Comes Candidianus Nestorii patronus publico edicto omnia, quæ in prima sessione acta erant, irrita esse declaravit; iterumque vetuit, ne Patres ulterius in causa Nestorii progrederentur ante Joannis Antiocheni adventum. Patres tamen his Candidiani mandatis insuper habitis Concilii celebrationi maxima diligentia incubuerunt.

---

sam fuisse credunt decreto Imperatoris Theodosii sententiam depositionis, atque excommunicationis a S. Cyrillo nomine Rom. Pontificis latam; vel saltem ex ipsa indictione Synodi œcumenicæ hanc suspensionem sententiæ secutam fuisse. Utrumque esse falsum, vel ex eo solo fit manifestum, quod convocatio Synodi signata a Theodosio fuerit, ante sententiam in Nestorium latam, nempe die 19. Novembris anno 430.; sententia autem damnationis Nestorio non innotuerit ex juris regulis ante diem 7. sequentis Decembris. Annuente igitur Cœlestino pro bono pacis, res omnes suspensæ manserunt usque ad definitionem Concilii, prout Augustus averso in Cyrillum, propenso autem in Nestorium animo disponerat. Ceterum S. Cœlestinus suis Legatis semel, iterumque mandaverat, ne Apostolicæ Sedis jura ulla ex parte lædi, imminuique permitteret.

(*a*) Verba Imperatoris mittentis Comitem Candidianum hæc sunt: „ Candidianum præclarissimum sacro„ rum domesticorum Comitem ad sacram vestram Sy„ nodum abire jussimus, sed ea lege, & conditione, „ ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fi„ dei dogmata incidunt, nil quidquam commune ha„ beat. *Nefas est enim, qui Sanctissimorum Episco„ porum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasti„ cis negotiis sese immiscere:* verum ... ut diligenter „ prospiciat, ne qua dissensio ex mutuo repugnandi „ studio coorta increbrescat. " Non igitur poterat vi suæ legationis Synodi celebrationem impedire, aut differre.

buerunt; quibus tensim plures etiam eorum accedebant, qui prius rebus minus perspectis Nestorio adhæserant.

15. Major autem cura incesserat Concilii Patres, postquam die 27. Junii Ephesum pervenit Joannes Antiochenus Orientalibus Episcopis stipatus. Ipsi obviam a Concilio missi fuerant nonnulli Clerici, & Episcopi, tum honoris causa, tum etiam ut eum de rebus hactenus gestis certiorem redderent. Eidem tamen appropinquare a militibus permissi non sunt, & vix postquam ad suum domicilium pervenisset, cum eo colloqui potuerunt; atque ab eo dimissi multis injuriis, & plagis affecti sunt. Joannes vero illico cum suis Episcopis, aliisque, qui ad eum convenerant pseudo-Synodum inchoavit, cui tamen mirum est, non interfuisse Nestorium, in cujus gratiam hoc schismaticum conciliabulum habebatur; fortasse ut suspicatur P. Jo. Garnerius, ne ipse ut Constantinopolitanus Patriarcha Synodo præsidere vellet; quem honorem Joannes ambiebat (in Præf. ad Part. II. Operum Marii Mercatoris p. 28.). Hujus prima actio *fuit* sententia depositionis contra S. Cyrillum, & Memnonem, excommunicationis vero contra ceteros Episcopos, ac Clericos iisdem adhærentes, donec resipiscentes ad suas partes commigrarent. Qua in re breviter considerare possumus non solum temeritatem 43. Episcoporum, qui ducentos pene viros, ac legitime congregatos proscribere ausi sunt, sed etiam violentiam & tyrannidem hujus pseudo Synodi, quæ eosdem Episcopos, nec auditos, nec invitatos sine examine prævio, & sine ullo ex iis ritibus, quos sacri Canones in hujusmodi judiciis præscribunt, judicare, & condemnare præsumpserunt. Quamobrem S. Cyrillus, & Memnon, spreta, ut par erat, hac informi, & nullius roboris sententia, postero die solemniter sacrosanctum Missæ Sacrificium publice celebrarunt, cui multi fideles adstiterunt, & sacrorum mysteriorum participes facti sunt, non obstantibus omnibus Comitis Candidiani conatibus, quibus hanc solemnitatem impedire tentavit.

16. His malis accesserunt postea litteræ Theodosii Imperatoris, qui de rebus gestis falsa, ac maligna Comitis Candidiani, & Nestorianorum relatione certior factus, per Palladium Magistrianum acta Concilii, tamquam tumultuaria, & illegitima rescindebat. Nec facile poterant Patres veram, ac sinceram Actorum relationem ad aures Imperatoris perferri curare, obstructis a Nestorianis omnibus viis: sed tandem inventus est mendicus, qui litteras Synodi arundine inclusas ad Episcopos Constantinopoli degentes feliciter detulit; quibus commoti illi Episcopi, una cum Archimandritis, eorumque Monachis Imperatorem adierunt, ab eoque facile impetrarunt, ut possent Patres Concilii aliquos ex suis ad ipsius Thronum mittere, qui eum de omnibus plene certum redderent.

17. Interea Patribus magnæ consolationi fuerunt Legati Pontificii, qui ad Synodum opportune pervenerunt die 10. Julii, quorum Philippus Presbyter vices Sancti Cælestini gerebat, adeoque ceteris duobus Episcopis prælatus legitur, qui nomine Synodi Romanæ venerant. Omnium gratulatione, & debitis honoribus excepti sunt in ædibus Memnonis Episcopi Ephesini, ibique lectæ sunt litteræ S. Cælestini, quibus auditis a Patribus acclamatum fuit, *Novo Paulo Cælestino, Cælestino Custodi fidei, Cælestino cum Synodo concordi, Cælestino universa Synodus gratias agit*. Communicata deinde Legatis fuere acta Sess. primæ; iisque bene consideratis, Legati die sequenti plenissimum consensum præstitere, condemnationem, ac depositionem Nestorii ratam habentes; itaque omnes tres Actioni subscripserunt, primo quidem Philippus Presbyter, deinde Arcadius, & Projectus Episcopi; ac de his omnibus epistola Synodica scripta est ad Theodosium Imperatorem, ad quem etiam missæ sunt litteræ S. Cælestini, quas secum Legati attulerant (*a*).

18. Sed novæ Constantinopoli exortæ erant turbæ; & Theodosius ex utraque parte pulsatus, incertus quid consilii caperet, tandem Ephesum ire jussit Comitem Joannem sacrarum largitionum Præfectum, qui Nestorium, Cyrillum, & Memnonem, tamquam exactoratos haberi voluit; imo in custodia militum captivos detinuit; quæ sententia Orientalibus non displicebat, ut, quoniam Nestorium salvare non poterant, saltem Cyrilli, & Memnonis ulciscerentur. Hoc tamen ortho-

(a) Notatu digna sunt ea Sancti Cælestini verba ad Theodosium: *Major vobis fidei causa esse debet, quam regni, ampliusque pro pace Ecclesiarum Clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitus, quæ sunt Deo cariora, serventur.* Et infra: *Pro vestri enim imperii salute geritur, quidquid pro quiete Ecclesiæ, vel sanctæ Religionis observantia laboratur.* Hæc verba vellicare visus est Tillemontius Tom. XIV. in vita Sancti Cyrilli art. 46. quasi Pontifex, *majori securitate, quam Sanctus Augustinus fecisset*, Augusto promiserit, *omnia prospere secutura, si primitus quæ sunt Deo cariora serventur*. His verbis voluit Tillemontius locum Sancti Augustini indigitare Lib. V. *De Civit. Dei* cap. 25. Tom. VI. ubi postquam omnia prospere successisse Imperatori Constantino *eorum Deum colenti* exposuisset, *sed rursus*, subdit, *ne Imperator quisquam ideo Christianus esset, ut felicitatem Constantini mereretur, cum propter vitam æternam quisque debeat esse Christianus, Jovianum multo citius, quam Julianum abstulit, Gratianum ferro tyranico permixit interimi* &c. Quæ quidem a Sancto Augustino contra eos veritissime dicta sunt, qui religionem solummodo propter temporales felicitates colunt, non autem contra eos, qui de puritate divini cultus solliciti, inde etiam a Deo prosperitates temporales sperant, juxta Christi monitum Matth. VI. 33. *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia* (temporalia) *adjicientur vobis*.

thodoxis profuit, quod jussi sunt ex utraque parte Legati ad Theodosium mitti; & quinque uniuscujusque partis delecti fuere. Eosdem Imperator Chalcedone in Villa Rusmiana non semel, sed quarto, & quinto audivit. Et quidem initio Legati Orientalium in magnam spem venerant obtinendæ victoriæ, ac suos adversarios opprimendi. Sed illico rerum facies, Deo cor Regis inclinante, mutata est; & Episcopi Catholici jussi sunt Imperatorem sequi in Urbem regiam, ut ibi pro Nestorio jam deposito alium Episcopum ordinarent; quod & factum est, electo Maximiano, Orientalibus nequidquam reclamantibus. Ipsis autem ab Imperatore facta est ad suas sedes redeundi potestas, sicuti & ceteris; ac Sanctus Cyrillus die 30. Octobris hostibus triumphatis Alexandriam reversus est. Atque hic tandem fuit faustissimus Concilii Ephesini exitus, quem S Cælestinus magna animi sui lætitia audivit, antequam ad cœlos evolaret; quod contigit anno sequenti 432.

19. Pax tamen in Ecclesia illico restituta non fuit. Orientales enim spe sua frustra turbas ciere non desistebant, præcipue adversus S. Cyrillum, cujus duodecim anathematismos ad Nestorium missos, ut Arii, atque Apollinaris hæresibus infectos accusare, & impugnare non cessabant, quamquam ille in Concilio Ephesino hujusmodi pestiferas hæreses, ut quascunque alias ab Ecclesia damnatas, damnare se, atque anathematizare professus sit. Acerrimus ejus hostis Theodoretus, Cyrensis Episcopus, vir admodum doctus, sed fidei dubiæ. Hic opus vulgaverat adversus Cyrillum & Sanctum Concilium inscriptum τῆς ἐνανθρωπήσεως de Incarnatione quinque libris compreheusum.

20. Sed piissimus Imperator Theodosius paci redintegrandæ solicite studebat, & separati Orientales simulabant ea conditione, ut penitus abolerentur quæcumque S. Cyrillus *vel epistolis, vel tomis, vel libris evulgaverat, & soli fidei, quæ a Sanctis Patribus Nicææ edita fuerat*, omnes consentirent. Absurda conditio a Catholicis rejecta fuit, & eorum nomine Cyrillus respondit, expositioni fidei, quam Nicæni Patres ediderunt, adhærere omnes, sed ea etiam intacta esse debere, quæ contra blasphemias Nestorii scripta fuerant. Constans præterea in eo proposito Cyrillus erat, neminem ad suam communionem admittendi, qui in Nestorii condemnationem, & depositionem non consentirent. Postea vero idem Cyrillus, ut ad optatam concordiam perveniretur, consensit, ut tota controversia de 12. anathematismis silentio premeretur: dummodo tamen Nestorii doctrina anathematizaretur, ipse pro deposito, ac Maximianus pro legitimo ejus successore haberetur. Atque ita pax cum Joan. Antiocheno, ceterisque Episcopis Orientalibus feliciter restituta est. Hujus concordiæ notitiam Sanctissimus Pontifex Sixtus III., qui Cælestino successerat, Episcopis, qui ad ejus natalem celebrandum convenerant, præ gaudio exultans communicavit.

21. Solus Theodoretus, quamquam ea, quæ Cyrillus scripserat, suam fidem exponeus, orthodoxa esse concederet (*a*), induci tamen non poterat, ut Nestorio anathema diceret; *cujus Sanctissimi Episcopi*, inquiebat, *qui doctrinam indiscrete anathematizet, pietatem ipsam anathematizare videatur*, non quia Nestorii errores tueretur, sed quia eosdem illi falso attribuitos, ejusque mentem non bene a suis adversariis perceptam existimabat, ut aliqui non improbabiliter de Theodoreto judicant. Et cum hac, illaeque discrimen turbas inter Episcopos excitaret, jussus est a Theodosio tandem quiescere, & Cyri in suo Episcopatu se continere.

22. Nestorius quoque ex Monasterio Euprepiano, quo se post depositionem receperat, Episcopos, Clericos, atque Aulicos sollicitare non cessabat, sperans se posse amissam dignitatem eorum ope aliquando recuperare. Errores item suos clanculum propagare satagebat. Quamobrem ipse Joannes Antiochenus, sive turbarum pertæsus, sive angoita hominis perfidia, Imperatorem rogavit, ut hunc inquietum perturbatorem procul amandari juberet, quod etiam facile obtinuit, & Nestorius Imperatorio decreto fuit in Oasin deportatus, ejusque libri igne damnati (*b*). Ibi autem propter barbarorum incursiones multa mala perpessus, & sedem sæpius mutare coactus infeliciter periit, a vermibus, ut fama fert, detestabili lingua ante mortem corrosa.

23. Non tamen post mortem Nestorii quieverunt ejus asseclæ, sed divulgare coeperunt quædam scripta Diodori Tarsensis, & Theodori Mopsuesteni, quibus damnata Nestorii doctrina confirmari videbatur: quæque, ut legi ab omnibus possent, in linguas Syrorum, Armenorum, atque Persarum conversa fuerunt. Id autem negotii maxime urgebant Theodoretus Cyrensis Episcopus, & Ibas Edessenus, uterque Cyrillo infensus. Horum duorum nomina una cum Theodoro damnata fuerunt in Synodo V. œcumenica, de qua inferius opportuna erit disserendi occasio. Hoc tantummodo notantes, Rabulam Episcopum Edessenum, qui prius Nestorio favere videbatur, cognita autem veritate, Synodo œcumenicæ subscripserat, in Synodo Edessæ congregata omnia Theodori, & Theodoreti, & Andreæ Samosatensis scripta contra Cyrilli anathematismos edita condemnasse, & igni comburenda tradidisse.

24. Nec etiam nostris ipsis, & superioribus tempo-

(*a*) Nam S. Cyrilli scripta ab errore immunia esse etiam Joannes fassus est in epist. ad Nestorium injuriens: *Per ipsam fateor veritatem sæpius* (Ægyptia scripta S. Cyrilli) *revolvens & examinans ab hæretica pravitate libera deprehendi*. Quod Theodoretus ipse tandem fateri debuit.

(*b*) Id etiam postea jussit Valentinianus; quorum decreta refert Jac. Gretserus *De jure, & more prohiben-*

poribus inter Protestantes defuerunt, qui desperatam, & toties dainnatam Nestorii causam defendendam susciperent (a). Sunt demum, qui tam Nestorium, quam Cyrillum andabatarum more pugnasse contendant, quin unus alterum intelligeret.

25. Nos autem hic quæ ad Nestorii causam pertinent, quatuor distinctis articulis complectemur. Primo capitaleas Nestorianorum errorem confutabimus, unam esse in Christo personam, ac propterea Mariam Sanctissimam *Deiparam* dicendam esse, ostendentes. Secundo Nestorium reipsa hæresiarcham fuisse, ac propterea jure, meritoque in Synodo Ephesina damnatum, ac Sacerdotio privatum. Tertio orthodoxam fuisse Sancti Cyrilli in suis anathematismis doctrinam. Quarto de Nestorianismi suscitatione facta a duobus Hispanis Episcopis Felice, & Elipando Sæc. Ecclesiæ VIII. hoc eodem loco disputare opportunum ducimus (b).

ARTICULUS I.

Confutatur Hæresis Nestoriana.

26. Ut Sanctus Thomas Libro IV. *contra Gentes* cap. 34. recte observat, in eo erravit Nestorius post suum Magistrum Theodorum Mopsuestenum, quod vellet Christum fuisse purum hominem, ejusdem omnino speciei, ac ceteri homines sunt; in eo autem habitasse Verbum divinum, sicut in templo sibi proprio, eo fere modo, quo tota Sanctissima Trinitas per gratiam habitat in justis. Quia tamen major fuit in Christo plenitudo gratiæ quam in aliis Sanctis, ideo præ ceteris fuit templum Dei, & arctius per affectum Deo unitus, adeoque divina nomina singulari privilegio participavit. Et adhuc clarius S. Part. quæst. 2. art. 6. ita Nestorii, ejusque magistri Theodori Mopsuesteni hæresim describit: „ Posuerunt, aliam „ esse personam Filii Dei, & filii hominis, quas „ dicebant sibi invicem esse unitas, primo quidem *secundum habitationem*, inquantum scilicet Verbum Dei habitavit in illo homine, sicut in templo: secundo *per unitatem affectus*, in quantum scilicet voluntas illius hominis est „ semper conformis voluntati Verbi Dei: tertio *secundum operationem*, prout scilicet dicebant, „ hominem illum esse Verbi *Dei instrumentum*: „ quarto *secundum dignitatem honoris*, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, coexhibetur Filio hominis, propter conjunctionem ad „ Filium Dei: quinto *secundum æquivocationem*, „ idest communicationem nominum, prout scilicet dicimus, illum hominem esse Deum, & Filium Dei. Manifestum est autem, istos omnes „ modos accidentalem unionem importare ". Doctrina vero orthodoxa vult, in Christo duarum naturarum unionem esse *substantialem*, *physicam*, *& realem*; seu uno *hypostaticam & personalem*, factam nimirum in unica Dei Verbi persona, vel hypostasi.

PROPOSITIO I.

Adversus impiam Nestorii hæresim demonstratur, unam fuisse in Christo Jesu Personam divinam.

27. Primo hoc aperte tradit S. Joannes Evangelista iis verbis cap. I. 14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, quorum sensum ita pulchre explicat S. Leo Magnus Serm. VII. *de Nativit.*: „ Quod *Verbum caro factum est*, non hoc „ significat, quod in carnem sit Dei natura mutata, sed quod a Verbo *in unitatem personæ* „ sit caro suscepta, cujus utique nomine homo „ totus accipitur. " Et ut S. Thomas acute ratiocinatur Lib. IV. *cont. Gent.* cap. 34. n. 3. „ Omne quod factum est aliquid est illud, quod „ fa-

di, expurgandi, & abolendi libros hæreticos &c. Lib. cap. 9.

(a) Lud. Ellies Dupinius, vir liberioris ingenii in Tom. III. *Nove Biblioth. Eccl.* Part. II. pag. 267. ita causæ Nestorii patrocinatus est, ut in suspicionem Nestorianismi venerit, sed omnem postea suspicionem a se removerit, palinodia recantata. Non pauci autem inter Acataticos, præsertim Calvinistas, Nestorium defendendum susceperant, condemnantes Sanctum Cyrillum. Primus creditur fuisse David Derodon Calvinista, famosus Sæc. elapso, & subtilis Dialecticus, cujus liber *De supposito* fuit a Senatu Tolosano flammis damnatus. Sed Sorbiera in epist. ad Vossium hanc miseram præcedentiæ laudem defert Ægidio Gaillardo nobili Gallo, utpote qui in libro, cui titulus est *De supposito*, primus scripserit, Nestorium in Synodo Ephesina *juxta Cyrilli* fuisse hæreseos insimulatum, & damnatum. Eandem contra S. Cyrillum calumniam postea alii Protestantes recoxerunt, ut Elias Saurius Calvinista, qui in *Apologia* contra Jurieum scribere non est veritus, *Nestorium sibi magis orthodoxum videri quam Cyrillum*. Idem omnes sunt cujuscre Alber-

tiones Calvinista in Tract. *De Eucharistia*, Christ. Aug. Salig. in *Eutychianismo ante Eutychen*, Mathurinus Veysserius La-Croze in *Hist. Christianismi Indorum*, Paulus Ernestus Jablonski *in Exercit. historico-theol.*, & Sam. Basnagius in Tom. III. *Annalium politico-Eccles.* ad ann. Christi 430. &. seq.

(b) De Hæresi Nestoriana ortu, progressu, & condemnatione nemo diserтius, meo quidem judicio, & solidius egit amplissimus Cardin. Augustino Orsi. Sed præter hunc, aliosque Historicos, Nat. Alexandrum, Fleurium, Villementium, consuli possunt eruditissimus Pater Jo. Garnerius in Dissert. duabus *De Hæresi, & libris Nestorii, & de Synodis habitis in causa Nestoriana*, ac Pater Lud. Doucin in gallica sua *Historia Nestorianismi*. De Nestorianæ autem hæresis propagatione in Oriente multa dabunt Abr. Biovius ad ann. Christi 1330. Rich. Simonius in *Hist. Critica fidei, & rituum Orient.* Joann. Morinus *De sacris Eccles. Ordinat.* in præfat. *ad ritum Ordinat. Nestorianorum*, Ensebi. Renaudotius in *Collect. Liturgiar. Orientalium*, & copiosissimus Jos. Simonius Assemanus Tom. III. *Bibliothecæ Orientalis* Part. II.

„ factum est: sicut quod factum est homo, est „ homo, & quod factum est album, est album „ Sed Verbum Dei factum est homo: igitur Ver„ bum Dei est homo.... Si igitur Verbum caro „ factum est, idest homo, ut Evangelista testa„ tur, impossibile est, quod Verbi Dei, & illius „ hominis sint duæ personæ, vel duæ hypostases, vel duo suppositа “.

28. Secundo hoc idem probatur istis Sancti Pauli verbis ad Philipp. II. 6. quibus Filii Dei incarnationem ita describit: *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Quo in loco nobis perspicue manifestum fit, illum ipsum factum esse hominem, qui prius in forma Dei erat; atqui iste, qui in forma Dei erat, certe non est alius, quam Filius Dei unigenitus, secunda scilicet Persona divina: ergo ipsa est persona divina, quæ assumpsit formam servi, & facta est in similitudinem hominum: neque alius est in Christo filius Dei, alius filius hominis, ut blasphemat Nestorius.

29. Sed placet hic etiam addere verba S. Thomæ, qui in loco mox laud. n. 19. sic colligit, non posse hunc textum intelligi de Christo, si illum dividamus in duos; scilicet in hominem illum, qui est filius Dei adoptivus, & in filium Dei naturalem. „ Ille enim homo, si purus homo sit, „ non prius fuit in forma Dei, ut postmodum in „ similitudinem hominum fieret; sed magis e con„ verso homo existens divinitatis particeps factus „ est, in quo non fuit exinanitus, sed exaltatus. „ Oportet igitur, quod intelligatur de Verbo Dei, „ quod prius fuerit ab æterno in forma Dei, i„ dest in natura Dei, & postmodum exinanivit se„ metipsum, in similitudinem hominum factus. „ Non potest autem intelligi istà exinanitio per so„ lam inhabitationem Verbi Dei in homine Jesu „ Christo: nam Verbum Dei in omnibus Sanctis „ a principio mundi habitavit per gratiam, nec „ tamen dicitur exinanitum. “ Ex quibus concludit Angelicus, non alia ratione Verbum Dei dici *exinanitum*, idest *parvum factum*, nisi quia *humanam parvitatem* assumpsit: sicut si anima præexisteret corpori, & diceretur fieri substantia corporea, quæ est homo, *non mutatione propriæ naturæ*, sed *assumptione naturæ corporeæ*. Hanc rationem urgebat S. Cyrillus in epist. ad Monachos, & alibi.

30. Innumera præterea sunt alia Scripturarum loca, in quibus significatur aperte, illum ipsum, qui ex Beata Maria Virgine natus est, esse Filium Dei. Ad Galat. IV. 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Ad Ephes. IV. 10. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos.* Et Christus ipse de se dixit Joann. III. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.*

31. Hinc Patres Concilii Nicæni post assertam contra Arianos Jesu Christi consubstantialem divinitatem ita professi sunt: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est .... passus, & sepultus est.* Quæ solemnis professio fidei minus esset accurata, si alius esset Mariæ Virginis filius, qui passus & sepultus est, alius Filius Dei, Patri consubstantialis, ut impie dogmatizabat Nestorius. Hoc argumento usi sunt S. Cyrillus in Lib. *de Symbolo*, & Jo. Cassianus Lib. VI. *de Incarnat.* c. 8.; atque inhærentes huic Niceænæ fidei Nestorium condemnarunt Synodi œcumenicæ Ephesina, Chalcedonensis, atque Constantinopolitana II. Et in Synodo quidem Chalcedonensi Act. VI. illa verba Symboli Constantinopolitani: *Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum* ita explicata sunt: *Non in duas personas partitum, aut divisum, sed unum, & eumdem Filium Unigenitum, Deum Verbum, Dominum nostrum Jesum Christum confitemur.* In Synodo autem V. Collat. VIII. can. 5. sic definitum: *Si quis introducere conatur in Mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas, anathema sit.*

32. Prob. ulterius unitas Personæ in Jesu Christo ex veterum Patrum doctrina. Nam S. Ignatius Martyr in epist. ad Ephesios: *Deus noster Jesus Christus*, inquit, *in utero gestatus est à Maria, secundum dispensationem Dei ex semine David.* Et iterum Fideles ita exhortatur: *Convenite in una fide, & in uno Jesu Christo, secundum carnem ex genere David, Filio hominis, & Filio Dei.* Eadem ergo persona in Christo, non diversa, quæ ab æterno Patre est secundum divinitatem, est a Maria Virgine secundum humanitatem assumptam; & idem Christus filius Dei, & filius hominis.

33. S. Irenæus Lib. III. *adv. Hæres.* c. 18. data opera ex sacris litteris ostendit, *unum, eumdemque esse Filium Dei, & hunc esse incarnatum pro salute nostra Jesum Christum Dominum nostrum.*

34. S. Athanasius in L. I. *de Incarnat. D. N. J. C.* contra Apollinarem n. 4. *Carnis*, inquit, *cum Verbi divinitate conjunctio ex utero facta est*; quod negabat aperte Nestorius nolens agnoscere *Deum bimulum, aut trimulum.* Rursum num. 6. probat, Corpus Christi adorandum esse *quia incarnati Verbi Corpus factum est .... Debita ergo*, subdit, *& divina adoratione colitur; Deus enim est Verbum, cujus corpus est proprium.* Quæ jugulum petunt Nestorianæ hæreseos, divinitatem ab humanitate substantialiter separantis. Num. 10. *Errant, qui dicunt, alium esse, qui passus est Filius, & alium, qui passus non est; Non enim alius est, quam ipsum Verbum, quod passionem, & mortem susceperit.* Et totus est tam in illo, quam in sequenti Libro, ut contra hæreticos evincat, Jesum Christum unum, atque in-

indivisibilem esse, non utique secundum naturam, quæ gemina in ipso est, sed secundum personam, quæ nonnisi una est; ut proinde nullus esset finis, si omnia hujus S. Patris testimonia exscribere vellem.

35. Etiam S. Gregorius Naz. Orat. XXXI. de Verbo æterno loquens, *Id quod non erat*, inquit, *assumpsit, non duo facta, sed unum ex duobus fieri sustinens; Deus enim ambo sunt; id quod assumpsit, & quod assumptum est: naturæ ducæ in unum concurrentes*.

36. Ex latinis autem Patribus duos allegasse sufficiat; sed quorum auctoritas tanta est, ut sola contra omnes Nestorianos sufficiat, Ambrosium nempe, ejusque in Deo filium Augustinum. Primus *de Incarnat.* cap. 5. *Non alter*, inquit, *ex Patre, alter ex Virgine: sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine*. S. autem Augustinus in *Enchiridio* cap. 35. Tom. VI. *Unus*, inquit, *Dei Filius, idemque hominis Filius: unus hominis filius, idemque Dei Filius: non duo Filii Dei, Deus, & homo, sed unus Dei Filius: Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Jesus Christus*. Et Tract. XLIX. in Joannem, *Anima, & caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus*.

37. Supervacaneum autem esset, Patres nominare, qui Nestorio vel coævi, vel posteriores fuere, cum manifestum sit, totius Ecclesiæ consensu impiam illius hæresim fuisse damnatam. Contra Nestorii hæresim classicum quasi insonuit S. Proclus Cyzicenus Episcopus præclara Homilia *in Deiparam* habita anno 429.; tum deinde in celebri epist. ad Armenios *de Incarnatione*, & in nonnullis Orationibus, quas postea Constantinopolitanus Patriarcha factas ad populum suum habuit (*a*). Acacius Militinæ in Armenia minori Episcopus, Marius Mercator, Jo. Cassianus, & qui primo loco nominandus erat, S. Cyrillus Alexandrinus, aliique contra pestilentem hæresim qua voce, qua scriptis pugnarunt; quorum doctrinam alii deinceps orthodoxi Patres secuti sunt; maxime autem S. Joannes Damascenus Sæc. VIII. clarissimus (*b*).

38. Plures etiam ad hoc confirmandum nostræ fidei dogma rationes affert Sanctus Thomas laud. supra Libr. V. *contr. Gent.* cap. 34. Illa autem prima, & præcipua est, hæresi Nestoriana mysterium Incarnationis funditus tolli; inhabitatio enim Divini Verbi in homine per gratiam non sufficit, ut Verbum dicatur incarnatum; habitavit enim Verbum Dei, & Deus ipse Pater in omnibus Sanctis a constitutione mundi, secundum illud Apostoli 2. ad Corinth. VI. 16. *Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus, quoniam inhabitabo in illis*; quæ tamen inhabitatio numquam dicta fuit, vel dici potest incarnatio.

39. Neque etiam ad rationem incarnationis sufficit, si dicatur, Verbum Dei pleniore gratia in Christo Jesu inhabitasse, quia magis, & minus speciem non faciunt diversam. Si igitur substantialis, & hypostatica negetur unio duarum Christi naturarum, totum tollitur Incarnationis mysterium, quod fundamentum est Christianæ Religionis.

40. Accedit & illa ratio omnino efficax, quod pronomina demonstrativa referuntur ad personam, vel hypostasim, vel suppositum: sed Jesus Christus dicit de seipso Jo. VIII. 25. *Antequam Abraham fieret, ego sum*, & cap. X. 30.: *Ego, & Pater unum sumus*; & plura alia, quæ ad divinitatem Verbi pertinent: manifestum est ergo, personam Jesu Christi esse divinam, quæ in duplici natura divina, & humana subsistit.

41. Objiciebat primo Nestorius ea Scripturæ loca, in quibus natura Christi humana vocatur primo divinitatis *templum*, ut Jo. II. 19. Christus de sua humanitate dicit: *Solvite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud.... Ille autem dicebat de templo corporis sui*. Secundo vocatur *tabernaculum*, ad Hebr. VIII. 2., & IX. 11. Tertio *habitus, & vestimentum*, ad Philipp. II. 7. *Habitu inventus, ut homo*: non ergo absurde ponitur in Christo Jesu unio divinitatis cum humanitate solummodo moralis, negata unione substantiali, atque hypostatica.

42. Respond., has, & ceteras hujus generis sacrarum Scripturarum locutiones non esse intelligendas in sensu proprio, & litterali ad excludendam unionem hypostaticam, quam alibi eædem sacræ litteræ tam luculenter exprimunt: sed in alio sensu latiore, ad explicanda ea, quæ in hoc mysterio contigerunt. Sic Christus metaphorice corpus suum appellavit *templum*, ut Judæis futuram sui corporis dissolutionem per mortem, & post triduum resurrectionem prædiceret. Hoc ergo templum Christus inhabitabat per animam sibi hypostatice unitam; illudque dissolvendum erat, anima ab eodem in triduo mortis separata; quin tamen divinitas ipsa a corpore separaretur, ut suo loco explicabitur..

43. Nomine autem *tabernaculi* S. Paulus nihil aliud intelligit, quam sacrificium illud, quod Jesus Christus sui ipsius obtulit æterno Patri, præfiguratum in sacrificiis veteris legis, quæ Sacerdos in *tabernaculo* Mosaico offerebat; unde in primo loco cit. S. Paulus de Christo Jesu Pontifice ait: *Sanctorum minister, & tabernaculi veri* (idest Ecclesiæ a Christo fundatæ) *quod fixit Do-*

(*a*) Prima illa Homilia Procli inserta est *Auctario novo Bibliothecæ græco latinæ* nostri Franc. Combefis Tom. I. pag. 302. & seq.

(*b*) Ejus *Dissertationem advers. exosam Deo Nestoriarum hæresim* primus græce evulgavit, & primo Tomo inseruit noster P. Mich. Le-Quien, addita versione latina Franc. Turriani.

Dominus, & *non homo*. Eodemque sensu cap. IX. 11. *Christus autem*, inquit, *assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum .... introivit semel in sancta*, cum reliquis, quibus S. Paulus fusc explicat novi Testamenti Sacerdotem, & Sacrificium, cujus vetera figura erant, & typus.

44. Postremum facile retorquetur in Nestorianos, si simul cum præcedentibus verbis conjungatur, quibus dicitur: Christus Jesus, *cum in forma Dei esset ... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo*. Vide sup. n. 28. Nec hujusmodi exempla sunt accurate, & per omnia accipienda; alias in absurdum Phantasiastarum errorem prolaberemur, quem confutavimus supra.

45. Obj. secundo. Jesus Christus Joann. VIII. 29. de se ipso dicebat: *Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper*: non ergo alia erat conjunctio Verbi cum humanitate, quam per voluntatis humanæ perfectissimam subjectionem ad divinam.

46. Resp. neg. cons., quia potius hæc perfectissima voluntatis humanæ conjunctio cum divina, erat unionis hypostaticæ effectus, & consectarium; neque particula, illa *quia*, debet hic sumi pro vera causa, sed potius pro signo, quo Judæi intelligerent, se esse, simul Deum, & hominem; quod infra clarius expresit Christus cap. IX. 10. dicens: *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera*. Immo in ipso loco nobis objecto, vers. 42. cum Christus dicit: *Ego ex Deo processi, & veni*, inculcuter declarat, se, qui loquebatur, esse illum personam divinam, quæ a Patre per æternam generationem procedit.

47. Obj. tertio ex Sanctis Patribus. S. Ambrosius Lib. V. *de fide ad Gratianum* c. 5. dicit, *hominem fuisse a Christo assumptum*. Illi consonat S. Augustinus lib. XI. *de Civit. Dei*. cap. 2. inquiens: *Deus Dei Filius homine assumpto &c.*; sed nomine hominis intelligitur, non solum natura, sed etiam, persona humana: ergo &c.

48. Resp. minime dubium esse, Sanctos Patres nomine *hominis assumpti* a Verbo, intellexisse naturam, humanam, sive propria ipsius substantia. Seipsum, & alios explicat S. Augustinus in lib. *De prædest. Sanctorum* c. 15., ubi inquit: „ Respondeatur quæso, *ille homo*, ut a Ver„ bo Patri, consemo *in unitatem personæ assum*„ *ptus*, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc nes„ cuit? “ Ceterum exorta hæresi Nestoriana Patres magis accurate loqui debuerunt, ne illis hæreticis cavillandi ansam præberent. Quamobrem S. Cyrillus Alexandrinus in epist. ad Valerianum illam Nestorianorum propositionem improbat: *Deum, & hominem simul convenientes, unum effecisse Christum*; quia his verbis significabant, *utriusque salvam esse hypostasim*.

49. Inst. primo. S. Augustinus in Enchiridio cap. 35. dicit, Christum *esse aliud propter Verbum, & aliud propter hominem*. Item Sanctus Leo Papa in epist. XXVIII. ad Flavianum duo in Christo distinguit, quorum *unum coruscat mirabilis, aliud succumbit injuriis*: sed *aliud*, & *aliud* non dicitur, nisi de supposito: duo ergo in Christo erant supposita, sive duæ personæ.

50. Respond. cum Sancto Thoma quæst. 2. art. 3. ad 1. dici Christum *aliud*, & *aliud*, non propter diversitatem suppositi, aut hypostasis, sed propter diversitatem naturarum, quæ in eo erant. Unde etiam Sanctus Gregorius Nazianzenus in epist. I. ad Cledonium: *Aliud*, inquit, *& aliud sunt ea, ex quibus Salvator est, non autem alius, & alius. Dico vero aliud, & aliud a contrario, quam in Trinitate habet: ibi enim alius, & alius dicimus, ut non substantias confundamus, non autem aliud, & aliud* (a).

51. Inst. secundo. Basilius laudatus a Theodoreto contra anathematismum quintum S. Cyrilli, in Serm. de Spiritu Sancto contra Amphilochium Christum appellat *hominem Deiferum*; & ab aliis veteribus idem Christus dictus est *homo Deificatus*, vel *homo Dominicus*; atqui hujusmodi nomina Christo convenire non possent, si in ipso non esset simul cum persona divina etiam persona humana, ut Theodorus Mopsuestenus, & Diodorus Tarsensis pro causa Nestorii bene observabant: ergo &c.

52. Resp. nullam esse vim in omnibus hujusmodi locutionibus, quibus aliquando usi sunt veteres Patres ante ortum Nestorianæ impietatis: nomine enim hominis non intelligebant personam, sed naturam humanam, quam recte *Deiferam*, *Dominicam*, & *Deificatam* appellabant, utpote a Persona divina in consortium suæ naturæ assumptam; de quo dogmate adstruendo unice solliciti erant, contra multiplices hæreses, quæ illud negabant. Hæ autem locutiones, quæ in veteribus Patribus innoxiæ erant, atque ad sanum, & orthodoxum sensum facile trahebantur, in Nestorio, ejusque Symmistis, non solum ut suspectæ, sed etiam ut hæreticæ jure reprehendebantur: nostus

(a) Præclara sunt etiam ea Vincentii Lirinensis verba in *Commonitorio* I. *Quomodo in Trinitate alius, atque alius, non aliud, atque aliud? Quia, scilicet aliæ est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti: sed tamen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non alia, & alia, sed una, eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud, atque aliud, non alius, atque alius? Quia, videlicet altera substantia divinitatis, altera humanitatis: sed tamen Deitas, & humanitas non alter, & alter, sed unus, idemque Christus, unus, idemque Filius Dei, & unius, ejusdemque Christi, & Filii Dei una, eademque persona.*

tus enim aliunde erat perversus eorumdem sensus.

53. Sic fuerunt etiam, qui Christi humanitatem appellarunt Divinitatis *templum*, aut ipsius *instrumentum*; sed sensu a Nestorianis omnino diverso; idest non negata, sed confessa unione substantiali, atque hypostatica cum divinitate. Hoc eodem sensu humana Christi natura verissime dici potest *instrumentum* Divinitatis, non tamen separatum, & accidentaliter solum unitum; sed substantialiter conjunctum, quemadmodum & nos supra Dissert. I. n. 13. una cum S. Thoma explicuimus.

54. Inst. tertio. Sanct. Joannes Chrysostomus Homil. III. in cap. I. epist. ad Hebræos T. XII. pag. 25. sequent. de Jesu Christo explicans ea verba Psalmi: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus*, quæ S. Paulus affert in ea epist. c. I. v. hæc habet: „ Hic (Paulus) & Judæos & Pauli Samosateni „ asseclas, & Arianos, Marcellumque, & Sabellium ferit, & Marcionem. Quomodo? Judæis „ quidem ostendens, *unum esse duo* (ita legit „ Montfauconius; alii autem cum Mariano Scholastico *ostendens duas personas.*) *& Deum, & hominem* .... Adversus Marcellum, & alios, „ *quod sint duæ personæ per hypostasim*. Adversus Marcionitas autem, quod divinitas non „ ungatur, sed humanitas. “ Nihil disertius dici potuit pro sententia Nestorii, qui fuit Chrysostomi in Sede Constantinopolitana successor (a).

55. Respond., vere difficilem explicatu esse hunc locum. Interim mirari subit, neque Nestorium hujus celeberrimi sui Prædecessoris patrocinio fuisse unquam gloriatum; neque Theodorum, aut Theodoretum, cum undique pro defensione ipsius causæ veterum testimonia conquisierint, ullum unquam invenisse in Chrysostomo, quod Catholicis objicerent. Crescit admiratio ex eo, quod S. Cyrillus in epist. ad Clerum Constantinopol. de prædecessoribus Nestorii loquens, fideliter dixerit: *Prædicabant illi apud vos non duos Christos, sed unum tantum, eumdem nimirum Deum verum, & hominem rursus secundum carnem ex muliere ortum*. Imo expressius adhuc S. Cælestinus epist. 14. ad Clerum, & populum Constantinopolitanum. *Quid non*, inquit, *animis vestris eruditio sanctæ memoriæ Episcopi Joannis infudit, cujus sermo ædstruens Catholicam fidem toto orbe diffusus est?* Anne id aussi fuissent Cælestinus, & Cyrillus, si Joannis Chrysostomi doctrinam saltem suspectam Nestorianismi esse scivissent? Annon erat hæc opportunissima occasio Nestorio, ejusque patronis oblata, ut se tanti Doctoris auctoritate defenderent? Hæc Sanctorum Cælestini, & Cyrilli fiducia, addito Nestorianorum silentio, argumentum præberet efficacissimum, nihil ex laudata Homilia, imo ex omnibus hujus S. Patris operibus extundi posse ad damnatæ hæresis patrocinium, quicumque sit objectorum verborum sensus, in quo determinando laborant eruditi.

56. Sed nobis valde probabile videtur, S. Doctorem per duas personas hypostasi distinctas intelligere Deum Patrem, ejusque Filium; non duas in Christo personas divinam, & humanam. Id colligitur ex scopo, qui erat confundendi Judæos simul, & Sabellianos. Primos confundit, probans ex Psalmo Jesum Christum, quamvis unicum in persona, duplicem tamen esse in natura; unde inquit Psalmista de Christo: *propterea unxit te Deus, Deus tuus*, ostendens *unum esse duo, & Deum, & hominem* (ita enim legendum est juxta græcum textum δύο τὸν ἕνα δείκνυς, τὸν θεὸν, καὶ ἄνθρωπον *ostendens unum esse duo, & Deum, & hominem*.). Ecce Christum *unum* in persona, *duo* in duabus naturis. Pergit porro: *Adversus Marcellum autem, & alios* (nempe Sabellianos, qui personas divinas non distinguebant) *quod sint duæ personæ divisæ per hypostasim*. Frustra hæc Sabellianis fuissent objecta, si ad unas in Christo personas referantur. In mentro igitur loco duas personas adstruit in Jesu Christo: non in primo contra Judæos: ibi enim dicens, *unum esse duo, Deum, & hominem*, manifeste innuit, *unam* esse in Christo personam, *duo* autem, seu *duas naturas*. In altero comminate contra Marcellum, & Sabellianos, ubi dicit δυὸ δυὸ τοὺς τοῦτο ἀσεβοῦντας διῃρῆσθαι κατὰ ὑπόστασιν, quod *sint duæ personæ divisæ per hypostasim*, de divinarum personarum distinctione loquitur (b).

57.

(a) Qui hanc S. Joann. Chrysostomi homiliam gallice vertit (D. Fontana), Nestorianam hæresim aperte Sancto Doctori tribuere visus est. Proprium tamen errorem agnovit, & palam retractavit, ut videri potest apud auctorem *Hist. des Ouvrages des Savans* Nov. 1693. p. 238.

(b) Posita hac lectione, quæ textui Græco omnino conformis est, omnis tollitur difficultas. Mutianus Scholasticus verus Chrysostomi interpres illi voci δύο de suo addidit ἀξίωσε; unde communis lectio facta est *duas personas*; cum tamen in græco non habeatur nisi δύο *duo*, quæ vox commodissime intelligitur de duabus in Christo naturis, quas contra Judæos Chrysostomus ostendere volebat. Addebat etiam Mutianus *duas personas*, & *unam Deum*, cum tamen textus græcus habeat καὶ θεὸν, καὶ ἄνθρωπον, & *Deum & hominem*.

Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta L. VI. Annot. 329. sic legendum putavit: *Duas personas ostendens Deum, & hominem*, suspicatus lectionem communem ex græco textu esse depravatam. Suis tamen conjecturis non multum fidens locum sic explicabat: *duas personas Deum*, & *hominem*, scilicet per *hominem* intelligendo personam Verbi incarnatam; & per *Deum* personam Patris, aut Spiritus Sancti.

Aliis placuit, *personæ* nomine hic à Chrysostomo imdigitari *naturam*, quod nonnullis Patribus græcis non insolens fuit. Sed cum Chrysostomus in hoc eodem loco *personam* in proprio significatu accipiat, dicens Patrem, & Filium *duas personas esse divisas per hypostasim*, hæc responsio parum solida videtur.

57. Obj. quarto. Natura humana Christi non minoris certe dignitatis est, ac nostra; atqui personalitas pertinet ad nostræ naturæ dignitatem: ergo multo magis in Christo erat persona hominis; alias ejus natura proprio, & ultimo caruisset complemento.

58. Resp. S. Thomas quæst. 2. art. 2. ad 2., ad majorem naturæ humanæ dignitatem pertinere, quod existat in persona divina, quam in propria persona. *Et ideo ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo, quam in nobis; quod in nobis, quasi per se existens, propriam personalitatem habet; in Christo autem existit in persona Verbi.*

59. Inst. Si humanitas Christi per seipsam in propria persona non subsistit, individua substantia non est: definiente enim Boetio in Libro *de duabus naturis, & una persona Christi*, a persona fit substantia *individua*; inquit enim: *persona est rationalis naturæ individua substantia*: atqui nefas est dicere, humanitatem Christi non esse substantiam individuam; tum quia ut Damascenus dicit lib. 3. *de fide orthod.* cap. 11. *natura universalis non subsistit secundum se, sed in nuda contemplatione consideratur*; tum etiam quia si Verbum assumpsisset naturam humanam universalem, sequeretur, quemlibet hominem esse Deum: ergo &c.

60. Resp. S. Thomas ad 2., Verbum divinum certe non assumpsisse naturam humanam *in universali, sed in atomo*, ut loquitur S. Jo. Damascenus loco laud.. Sciendum est tamen, *quod non quodlibet individuum in genere substantiæ etiam in rationali natura, habet rationem personæ, sed solum illud, quod per se existit, non autem quod existit in alio perfectiori. Unde manus Socratis, quamvis sit quoddam individuum, non tamen est persona, quia non per se existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in suo toto... Licet ergo hæc humana natura sit quoddam individuum in genere substantiæ; quia tamen non per se separatim existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in persona Dei Verbi, consequens est, quod non habet personalitatem propriam.*

61. Et adhuc clarius in art. 3. ad 2. *Hypostasis*, inquit, *significat substantiam particularem, non quocumque modo, sed prout est in suo complemento; secundum vero quod venit in unionem alicujus magis completi, non dicitur hypostasis, sicut manus; vel pes. Et similiter humana natura in Christo, quamvis sit substantia particularis, quia tamen venit in unionem cujusdam completi, scilicet totius Christi, prout est Deus, & homo, non potest dici hypostasis, vel suppositum; sed illud complementum, ad quod concurrit, dicitur esse hypostasis, vel suppositum.*

62. Quæres, an quemadmodum in Christo non admittitur nisi una persona, ita nec admitti debeat, nisi una hypostasis, & unum suppositum?

63. Resp., eamdem prorsus esse rationem hypostasis, vel suppositi, ac personæ; & propterea nos promiscue his tribus nominibus usi sumus. Advertit tamen S. Thomas hac qu. 2. art. 3., fuisse quosdam qui licet concederent, in Christo unam *solam* esse personam, ponebant tamen aliam hypostasim Dei, & aliam hominis. Et art. 6. *Quidam* (Magistri) inquit, *concesserunt unam Christi personam, sed posuerunt duas hypostases, sive duo supposita, dicentes, hominem quemdam compositum ex corpore, & anima a principio suæ conceptionis esse assumptum a Deo Verbo.*

64. Hanc autem quorumdam opinionem esse erroneam triplici ex capite ostendit Angelicus art. 3. Primo quia persona non addit super hypostasim, nisi determinatam naturam, scilicet rationalem; & ideo idem est attribuere propriam hypostasim humanæ naturæ in Christo, ac attribuere propriam personam. Propterea Patres Concilii V. Collat. VIII. can. 5. utrumque damnaverunt, dicentes: *Si quis introducere conetur in mysterio Christi duas subsistentias* (ὑποστασεις), *seu duas personas, anathema sit.*

65. Secundo, quia si detur, quod persona aliquid addat supra hypostasim, hoc non erit aliud, quam dignitas quædam: si ergo unio duarum naturarum facta sit in persona, & non in hypostasi, consequens erit, quod non facta sit unio, nisi secundum dignitatem quamdam. Hoc autem damnatum fuit a S. Cyrillo Alexandrino in anathematismo tertio his verbis: *Si quis in uno Christo dividit subsistentias post adunationem, sola copulans eas conjunctione, quæ secundum dignitatem quamdam, vel auctoritatem est, vel secundum potentiam, & non magis concursu, secundum adunationem naturalem, anathema sit.*

66. Tertio, quia tantum hypostasis est, cui ope-

Notandum est etiam, falli eos Theologos, qui ut probent, doctrinam Chrysostomi esse Nestorio contrariam, afferunt ejus verba in celebri epistola ad Cæsarium Monachum. Hanc epistolam latine versam in Bibliotheca Medicea Petrus Martyr invenit, non tamen publici juris fecit. Eamdem primo suis *Variis sacris* inseruit Stephanus Le Moyne, & postea Jac. Basnagius ann. 1687. Rotterodami edidit: cum quo propterea illustrissimus Marchio Maffejus non levem habuit concertationem. Invenitur etiam in *Operibus Selectis* P. Jo. Hardouini Amstelodami 1709. In omnibus tamen hisce editionibus plura menda occurrerunt, quæ sublata fuere in editione Parisiensi ann. 1721. Sed modo Critici fere conveniunt, hanc epistolam esse suppositiliam, ut proinde ex ea contra Nestorium non possit efficax duci argumentum; ut reipsa ea usi non sunt Cyrillus, aliique Patres, qui contra Nestorium pugnarunt. Vid. Remigium Ceillier *Hist. Eccles.* Tom. IX. pag. 45.

perationes, & proprietates naturæ, & ea etiam, quæ ad naturæ rationem pertinent, in concreto attribuuntur: dicimus enim, quod hic homo ratiocinatur, & est visibilis, & est animal rationale. Et hac ratione hic homo dicitur esse suppositum, quia scilicet supponitur his, quæ ad hominem pertinent, ac de ipso prædicantur. Si ergo sit alia hypostasis in Christo præter hypostasim Verbi, sequitur, quod de aliquo alio, quam de Verbo, verificentur ea, quæ sunt hominis, puta esse natum de Virgine, passum, crucifixum, & sepultum; quod iterum inferret blasphemias Nestorii. Ut hi omnes errores excludantur, ponendum est, duarum naturarum conjunctionem non fuisse accidentalem, sed substantialem, & hypostaticam, seq. in persona, hypostasi, vel supposito divini Verbi.

PROPOSITIO II.

S. Maria Virgo vere fuit, & dici debet Mater Dei.

67. Hæc propositio iisdem fere Scripturæ locis probatur, ac prima; præcipue vero ex Apostolo Paulo, qui ad Roman. I. 3. loquens de Filio Dei, inquit, *qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Filius ergo Dei factus est etiam filius David secundum carnem, nascendo ex Maria Virgine: Maria ergo fuit mater Filii Dei, seu Dei. Quod iterum repetit S. Paulus ad Gal. IV. 4. dicens: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Porro cum hæc sint correlativa, Filium Dei esse natum de Maria Virgine, & Mariam Virginem esse matrem Filii Dei, adeoque Θεοτόκον, seu Deiparam, eum primum expresse in sacris litteris tradatur, sequitur & alterum. *Dei genitricem*, inquit S. Joannes Damascenus lib. III. *de fide orthodoxa* c. 12., *proprie, vereque sanctam Virginem prædicamus. Ut enim Deus verus est, qui ex illa genitus est; ita vere est Dei genitrix, quæ verum Deum ex seipsa incarnatum genuit*.

68. Dices. Jesus Christus ab eodem Apostolo c. 1. cit. ad Rom. dicitur *prædestinatus filius Dei*; non ergo qui natus est ex Maria Virg., erat natura filius Dei, sed prædestinatione tantum, & gratia.

69. Resp. ut jam monuimus Tom. III. pag. 127. num. 70. & 71., verba illa S. Pauli aut intelligenda esse non de vera *prædestinatione*, sed potius *de declaratione*; aut si de vera prædestinatione intelligantur, referenda esse ad Christi humanitatem, quæ gratuito Dei decreto ab æterno prædestinata fuit, ut per unionem hypostaticam cum Verbo ad naturalem Dei filiationem veheretur.

70. Sancti Patres Beatissimam Virginem Mariam hoc nomine *Matris Dei* non minus sæpe, quam expresse honorare non dubitarunt; adeo ut S. Cyrillus Alexandrinus vere dicere, & illorum allatis testimoniis in *l. de recta fide ad Reginas* probare potuerit: *Vocem hanc* Deipara *veteribus Patribus, quorum sanctimoniam, & filei integritatem admiramur, necnon omnibus, qui eos dilexerunt, hucusque sunt secuti, per universum (ut ita dicam) terrarum orbem familiarem esse, ostendendum esse existimavit* (a). Jam vero aliquos saltem ex multis afferamus.

71. S. Ignatius Martyr in epist. ad Ephesios inquit: *Deus noster Jesus Christus a Maria in utero gestatus est*. Et rursus: *Unus est medicus carnalis, & spiritualis, factus, & non factus, qui in carne fuit Deus in immortali, veraque vita, & ex Maria, & ex Deo*. Jam vero, ut supra notavimus, idem prorsus est dicere, Deum esse filium Mariæ, & Mariam esse *matrem Dei*.

72. S. Irenæus libro III. adv. Hær. cap. 51. *Verbum*, inquit, *existens ex Maria, quæ adhuc erat Virgo, recte accipiebat generationem Adæ recapitulationis*; & prosequitur S. Pater, explicans similitudinem primæ formationis Adam ex limo terræ, & generationis Verbi, quam vocat *recapitulationem Adæ*, ex utero Virginis Mariæ. Quem S. Irenæi locum laudavit Theodoretus Dial. V.

73. Laudantur quoque a Theodoreto hæc S. Hippolyti Martyris verba: *Dic mihi, o Beata Maria, quid erat, quod a te in utero conceptum est, & quid a te in virginea matrice gestabatur? Verbum enim erat primogenitum a cœlo in te delapsum, & homo primogenitus in utero formatus; ut primogenitum Dei Verbum primogenito homini copulatum ostenderetur*.

74. S. Dionysius Alexandrinus in epist. contra Paulum Samosatenum: *Una*, inquit, *sola Virgo, filia vitæ genuit vivens Verbum, & subsistens*. Postea eumdem Paulum reprehendit, quod diceret *hominem eximium Christum, & non Deum verum existentem, & adoratum ab universa creatura cum Patre, & Spiritu Sancto, incarnatum e Sancta Virgine & Dei genitrice Maria*: & non semel eamdem appellationem *genitricis Dei* repetit.

75.

(a) Falsus omnino est Ephræmius Theopolitanus Patriarcha, qui apud Photium in *Bibl.* Cod. CXXXIII. p. 776. scripsit: *Primus B. Leo perspicue diversis verbis pronunciavit, Dei matrem esse sanctam Deiparam, eam aliorum ante ipsum Patrum nemo id tam clare extulerit*. Et mirum est, id non fuisse a Photio animadversum, qui in epist. I. de Synodi Ephesinæ patribus scripserat: „ Immaculatam, & semper Virginem Domini nostri Jesu Christi matrem proprie, & „ vere nominandam, & prædicandam *Deiparam* tra„ diderunt. “

75. Tertullianus in Lib. *de præscript. Hæret.* cap. 13. in Regula fidei dicit credendum proponi, Verbum *delatum ex Spiritu Dei Patris in virtute in Virginem matrem, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum hominem; & esse Jesum Christum*. Item *de carne Christi* c. 17. *Ante omnia*, inquit, *commendanda erit ratio, quæ præfuit, ut Dei Filius de Virgine nasceretur*.

76. S. Athanasius in Orat. IV. contra Arianos sacræ Scripturæ scopum esse dicit, ut agnoscamus *tum Filium fuisse semper, & esse Deum, qui sit Verbum, & splendor, & sapientia Patris; tum postea propter nos eumdem illum assumpta carne de Virgine Dei genitrice Maria hominem esse factum*.

77. Beatam Mariam Virginem *Dei genitricem* pariter adpellarunt S. Basilius Hom. XXV. *de humana Christi natura*, S. Gregorius Nazianzenus Epist. 1. ad Cledonium; & multi alii laudati a Cyrillo in Lib. *de recta in Deum fide ad Reginas*; quam summam B. Mariæ Virginis dignitatem constantissime Patres sequentes prædicarunt, & Ecclesia etiam devotis suis precibus inseruit, dicens in collecta Adventus: *Præsta quæsumus, ut qui vere eam genitricem Dei credimus* &c. S. Cælestinus Papa in Synodo Rom. habita in causa Nestorii laudavit hymnum S. Ambrosii in Ecclesia decantari solitum in die Natalis Domini: *Veni Redemptor Gentium, ostende partum Virginis: miretur omne sæculum: talis decet partus Deum*.

78. His omnibus tam claris Verbi Dei scripti, & traditi testimoniis suffragatur etiam theologica ratio, quam S. Thomas 3. P. q. 35. art. 4. sic exponit „ Omne nomen significans in concreto „ naturam aliquam potest supponere pro qualibet „ hypostasi illius naturæ. Cum autem unio in„ carnationis sit facta in hypostasi, manifestum „ est, quod hoc nomen *Deus* potest supponere „ pro hypostasi habentem humanam naturam, & „ divinam. Et ideo quidquid convenit divinæ na„ turæ, vel humanæ, potest attribui illi perso„ næ .... Concipi autem, & nasci personæ attri„ buitur & hypostasi, secundum naturam illam, „ in qua concipitur, & nascitur. Cum igitur in „ ipso principio conceptionis fuerit humana na„ tura assumpta a divina persona, consequens est, „ quod vere possit dici, *Deum esse conceptum*, „ *& natum de Virgine*. Ex hoc autem dicitur „ aliqua mulier alicujus mater, quod eum con„ cepit, & genuit, unde consequens est, quod B. „ Virgo vere dicatur *Mater Dei*. "

79. Obj. primo. Non aliter debemus de sacrosanctis nostræ fidei mysteriis loqui, quam Scripturæ sacræ loquuntur; atqui nullibi in sacris literis legitur, B. Virginem esse matrem Dei, sed solum quod sit mater Christi, ut Matth. I. 18. *Christi autem generatio sic erat*; vel mater *pueri*, ut Matth. II. 11. de Magis dicitur: *Invenerunt puerum cum Maria matre ejus*, & ibid. 13. Archangelus Gabriel, cui certe notum erat totum incarnationis mysterium, non dixit Josepho: *Accipe Deum, & matrem ejus*; sed *Accipe puerum, & Mariam matrem ejus*. Neque etiam illa vox in duabus præcedentibus Synodis œcumenicis Nicæna, & Constantinopolitana, vel a sanctis Patribus usurpata legitur: præstabat igitur Majorum exempla sequi, atque ab eadem abstinere.

80. Resp. cum S. Thoma ad 1. *Licet non inveniatur expresse in Scriptura dictum, quod B. Virgo sit* Mater Dei; *invenitur tamen expresse in Scriptura, quod Jesus Christus est verus Deus, & quod B. Virgo est mater Jesu Christi. Unde sequitur ex necessitate ex verbis Scripturæ, quod sit* Mater Dei. *Dicitur etiam Rom. IV.* 5., *quod ex Judæis* est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. *Non autem est ex Judæis, nisi mediante B. Virgine: unde ille*, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, *est vere natus ex B. Virgine, sicut ex sua matre*.

81. Resp. ad alteram difficultatis partem, in duobus Symbolis Nicæno & Constantinopolitano satis luculenter vocem *Deiparam* contineri iis verbis, quibus dicitur Jesus Christus *verus Deus, Patrique consubstantialis: natus ex Maria Virgine, & homo factus*. Idem expresserunt sancti Patres, quorum etiam aliqui „ ut Dionysius Alexandrinus, S. Athanasius, S. Basilius Beatissimam Virginem proprio nomine *Dei genitricem* appellarunt. Vide supra n. 74. & seq.

82. Obj. secundo. Christus dicitur Deus secundum divinam naturam; sed divina natura non fuit genita ex Virgine Maria: ergo &c. Hoc maxime argumento triumphare se posse sperabat Nestorius, illudque propterea frequenter urgebat, Catholicis exprobrans, quod Maria ut Deam colerent, sicuti stolidi hæretici Collyridiani faciebant, quia Mater filio suo debet esse consubstantialis.

83. Resp., Mariam dici matrem Dei, non quia genuerit divinitatem, sed quia genuit humanitatem illius personæ, quæ una cum humana natura habet etiam divinam. Aptissima similitudine id explicabat S. Cyrillus in epist. ad Monachos inquiens: Simile est humano partui „ incarnati „ Verbi mysterium. Etenim terrenorum hominum „ matres, naturæ ad gignendum servientes, car„ nem habent in utero, quæ paulatim compa„ cta, & inexplicabilibus quibusdam efficientiis „ progressa in humanam speciem absolvitur. Deus „ porro spiritum animali, quibus scit modis, in„ fundit ... Verum etsi mulieres istæ nonnisi ter„ renorum sint corporum matres, nihilominus „ cum totum animal pepererint ex anima, & cor„ pore compositum, non solam ejus partem pe„ perisse dicuntur. Nec aliquis dixerit, Elisabe„ tham, matrem Joannis, carnis esse genitricem, „ non animæ, peperit enim animatum Baptistam, „ ac sic tanquam unum aliquid ex ambobus, ho„ minem, anima videlicet, ac corpore. Hujus-

„ mo-

„ modi quidpiam actum esse fatebimur de Em„ manuelis generatione &c. “ (*a*).

84. Neque vero inde sequitur, B. Mariam esse Deam, aut Deo consubstantialem: quia ut dictum jam est, dicendum erit sæpius: Maria non genuit naturam divinam, sed eum, qui una cum natura divina naturam etiam humanam sibi copulatam habebat. Stultam autem Collyridianorum hæresim execramur una cum S. Epiphanio Hæresi LXXIX.; ubi inquit: *Honoretur sane Maria: Pater vero, Filius, & Spiritus sanctus adoretur. Mariam adorare nemo velit*. Et infra: *Maria in honore sit, Dominus adoretur*. Et tamen *genitricis Dei* perhonorificum nomen illi a toto mundo delatum una cum paucis Nestorianis negare, impium, & sacrilegum est. *Hoc unum de Maria dicere, quod mater Dei est, superat omnia, quæ ab Angelo, vel ab homine dici possunt*, inquit alicubi devotus ejus famulus S. Petrus Damiani.

85. Urgebat Nestorius. Si Verbum conceptum, & natum est ex Maria Virgine Spiritus sancti operante virtute, appellandum erit Filius Spiritus sancti; quod absonum est dicere.

86. Resp., Spiritus sancti virtute formatum fuisse ex Mariæ Virginis purissimo sanguine Corpus Christi; non autem ex ipso Spiritu sancto genitum; unde summa esset amentia Jesum Christum appellare Spiritus sancti Filium. Vid. Sanct. Thomas 3. P. q. 32. art. 1. v. & 3.

87. Dices. Annon sufficit eum Nestorio Mariam appellare *χριστοτόκον Christotocon, matrem Christi*; quæ vox, inquiebat Nestorius, *est significativa duarum naturarum, Deitatis, & humanitatis?* Annon hoc nomine omnis tollitur æquivocatio, quæ ex alia voce *θεοτόκος theotocos Dei Mater* oriri potest? Ita Nestorius in sua epist. ad S. Cælestinum (*b*).

88. Resp., potuisse quidem B. V. Mariam etiam appellari *χριστοτόκον matrem Christi*; sed hanc vocem fuisse merito suspectam, postquam Nestorius duas in Christo dixit personas, divinam, & humanam, & Mariam *matrem hominis* tantummodo blasphemo ore prædicandam esse contendebat; immo anathema in eos dicebat, qui eamdem beatissimam Mariam Virginem *θεοτόκον Deiparam* devote appellabant. Hinc necessitas orta est, hoc potius nomine utendi, quam alio; tum quia aliud in perverso sensu usurpabatur, tum etiam quia nomine *Deiparæ* omnium excellentissima Mariæ Virginis prærogativa, & dignitas explicatur.

89. Neque vero timendum est, ne in hæresim Apollinaris labamur, quam perpetuo Nestoriani larvam Catholicis ad inanem terrorem objiciebant. Apollinaristæ enim, ut supra diximus Dissert. II. num. 58. seq., una cum Arianis divinitatem versam fuisse in carnem, vel saltem fuisse ipsam Jesu Christi animam, stolide communiscebantur; sed hac rejecta absurditate, Catholici Beatissimam Virginem *matrem Dei* recte appellant, quia genuit Personam divinam secundum naturam humanam.

90. Obj. tertio. Non possunt ex una substantia duæ generari; sed Deus, & homo duæ sunt substantiæ: ergo non potuit B. Maria esse mater Dei, & hominis.

91. Resp., hoc merum esse sophisma ex eo ductum, quasi nos dicamus, B. Mariam Virginem utramque Christi naturam genuisse, quod falsum est; solum enim volumus, B. Mariam dici Dei genitricem, quia genuit naturam humanam, non in se subsistentem, sed hypostatice Verbo Dei unitam. Ita autem hoc sophisma diluebat Ferrandus Diaconus in doctissima epist. ad Anatolium Rom. Ecclesiæ Diaconum: „ Proprie est nata de „ Patre divinitas *pura*; proprie est nata de ma„ tre eadem incarnata divinitas. Et hoc distat in„ ter unius Filii Dei duas generationes; quod in „ divina generatione nulla fuit humanitas; in hu„ mana generatione adunata fuit humanitati pro„ prie nascenti divinitas. Si enim dixero, vel di„ cere voluero, *Maria semper Virgo proprie ge„ nuit humanitatem, non proprie genuit divini„ tatem*, videbitur sub aliquo modo hominem pu„ rum genuisse, quem nullo modo ita genuit, quia „ Verbum carnem factum proprie genuit. “

92. Ex his Ferrandi verbis etiam apparet, non posse Mariam Virginem absolute dici matrem Verbi divini, quia ad illius æternam generationem nullo modo concurrit; posse tamen, & debere dici matrem *Verbi incarnati*, quia ad generationem istam temporalem omnie id contulit, quod in generatione hominis aliæ conferunt matres. Quod autem Ferrandus dicit, natam esse de Virgine *divinitatem incarnatam*, intelligi debet non de *natura divina*, quæ incarnata non est, sed de Verbo, quod *caro factum est*.

93. Obj. ult. Si B. Maria Virgo dici potest Dei mater, etiam S. Anna vocari potest *Dei avia*; at-

(*a*) Eadem similitudine Nestorius in rem suam ita utebatur Serm. n. 4. inquiens: *ut igitur corpus parit, sed Deus animam inhiant; neque ideo mulier dicetur animæ genitrix, quia peperit animatum, sed potius hominis genitrix; sic quoque B. Virgo etsi peperit hominem, simul cum illo pertranseunte Dei Verbo, non ideo est Dei genitrix*. Hoc vero argumento duntaxat probatur, a B. Virgine non esse genitam Divinitatem, sicuti femina non generat animam; inde autem non sequitur, non esse genitam a Maria personam divinam, secundum humanitatem; quia terminus generationis est persona; sicut mater generat hominem constantem ex anima, & corpore.

(*b*) *Ego quidem*, inquiebat, *& hanc vocem quæ est θεοτόκος, nisi secundum Apollinaris, & Arii furorem ad confusionem naturarum proferatur, volentibus dicere non resisto*. Sed his Nestorii protestationibus nullam fidem habebant, qui dolosas hominis fallendi artes probe noverant.

atqui hoc secundum dici nequit; & Romæ anno 1667. damnatus fuit liber Jo. Thomæ a S. Cyrillo, cui titulus *Mater honorificata S. Anna*, in quo hoc nomine appellabatur: ergo &c.

94. Resp. eum doctissimo P. Laur. Berti, hanc locutionem, licet apud sanctos Patres inusitatam, admitti posse, dummodo in sano rectoque sensu proferatur: quo sensu Jesus Christus verus Deus, dicitur secundum carnem filius David, a quo per Mariam Virginem descendit. Librum autem supra memoratum fuisse prohibitum, *donec corrigatur*, propter aspera quædam verba, quæ heteroclitam devotionem in rudibus, ac simplicibus excitare poterat. Dicebat etiam, S. Annam fuisse socrum Spiritus sancti, ac cum eo cognationem habere divinam. Ceterum nemo negaverit, S. Annam, ac S. Joachim fuisse parentes *Matris Dei*.

95. Concludo verbis Vincentii Lirinensis in *Commonitorio* I., ubi postquam multa contra nefariam Nestorii hæresim dixisset, ita demum colligit: „ Quæ cum ita sint, absit ut quisquam sanctam „ Mariam divinæ gratiæ privilegiis, & speciali „ gloria fraudare conetur: est enim singulari quo„ dam Domini, ac Dei nostri, filii autem sui mu„ nere verissime, ac beatissime Θεοτόκος, Theoto„ cos confitenda. Sed non eo modo *Theotocos*, „ quo impia quædam (Nestoriana) hæresis su„ spicatur, quæ asserit, eam Dei matrem sola „ appellatione dicendam, quodeenim scilicet pepe„ rit hominem, qui postea factus est Deus, sic„ ut dicimus Presbyteri matrem, aut Episcopi ma„ trem, non jam Presbyterum, aut Episcopum „ pariendo, sed eum generando hominem, qui „ postea Presbyter, vel Episcopus factus est. Non „ ita inquam sancta Maria *Theotocos*, sed ideo „ potius, quoniam, ut supra dictum est, jam in „ ejus sacrato utero sacrosanctum illud mysterium „ perpetratum est, quod propter singularem quam„ dam, atque unicam personæ unitatem, sicut „ Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus „ est. “

98. Quæres, an vera, & orthodoxa fuerit propositio illa quorumdam Monachorum ex Scythia: *Unus de Trinitate passus est?*

97. Resp. Quæstio hæc initio sæculi VI. a quibusdam Monachis in angulo Scythiæ excitata diu, multumque erroribus ingenia, non in Oriente solum, sed etiam in Occidente exercuit, non tam rerum, quam verborum diversitate. Et primo quidem S. Proclus, Nestorianorum malleus, post damnatam in Concilio Ephesino Nestorianam impietatem in celebri sua epistola ad Armenios, tum in alia ad Joannem Antiochenum Christum appellaverat *unum de Trinitate incarnatum*, eumdemque *unum de Trinitate Crucifixum*; quin aliquis Catholicorum contradiceret, solis reclamantibus Nestorianis.

98. Hisce propositionibus innocuo, sanoque sensu prolatis postea abusus est Petrus Gnapheus, seu Fullo, ad Eutychianam hæresim confirmandam, quæ duas naturas divinam, & humanam in Christo confusas fuisse volebat, immo Trisagio *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis* hæc verba addere ausus est, *qui passus es pro nobis*. Quam Fullonis temeritatem, & perfidiam merito Felix III. Romanus Pontifex condemnavit; quia Eutychiani hæretici passionem ipsi Divinitati tribuebant. Hinc illa propositio: *Unus de Trinitate incarnatus*, *& passus est*, labis Eutychianæ pluribus, præcipue in Occidente, suspecta fuit, qui dicere malebant contra Nestorianos: *Una de Trinitate persona incarnata est*, *& passa*, scilicet in carne assumpta.

99. Sub Imperatore Anastasio, ac sub Hormisda Rom. Pontifice, quando Acaciano schismate feliciter extincto pax Ecclesiæ restituta fuerat, & Legati Pontificii Constantinopolim advenerant, magna pompa, & celebritate excepti, Monachi quidam Scythæ Victorem apud eosdem Legatos accusarunt, quod eam propositionem *Unus de Trinitate passus est*, admittere recusaret: Victore autem respondente, recidere se synodum Chalcedonensem, & epistolas Synodicas Leonis, ac Cyrilli, Monachi statim inclamarunt: *Addatur & unus de Trinitate*, tunc Legati Pontificii ad sopiendas lites ita locuti sunt: *Quod non est in quatuor Conciliis definitum*, *nec in epistola Beati Papæ Leonis*, *nec nos dicere possumus*, *nec addere*. Hoc fuit magnæ illius controversiæ initium, Monachis contendentibus, hanc propositionem contineri in definitionibus fidei, Legatis autem, aliisque timentibus, ne suo hoc prætextu Eutychiana factio revivisceret.

100. Monachi duce Jo. Maxentio, prolixum Legatis scriptum exhibuerunt, in quo potissimum S. Procli auctoritate suam Thesim propugnabant, & orthodoxam suam doctrinam tam de mysterio Incarnationis contra oppositas Nestorii, & Eutychetis hæreses, quam de Gratia contra Pelagianos, exponebant. Contra eos autem alii Monachi insurrexerunt Acœmetæ, vel *Studitæ*, ita nuncupati a Flavio Studio, qui ipsis Monasterium in regia urbe extruxerat. Hi fuerant Eutychianorum hostes acerrimi, atque Apostolicæ Sedi funestis Acacianis temporibus fidelissime addicti; sed nimio insectandi Eutychianos ardore in suspicionem venerant Nestorianismi, maxime quod negarent, B. Mariam Virginem *vere & proprie* Dei genitricem appellari posse. Legati autem primæ responsioni constanter adhærentes, litem definire recusabant, non condemnantes quidem Scytharum thesim, sed neque illam necessario Conciliis, & epistolæ S. Leoni addendam judicantes. Quamobrem Monachi Scythæ ad Romanum Pontificem Hormisdam, una cum Justiniano Imperatore, qui se totum illis litigiis immerserat, Scythis omnino favens, confugere decreverunt. Porro Hormisdas causam definire recusavit, quousque redeuntibus suis Legatis de tota re certior fieri posset. Monachi Scythæ longioris moræ pertæsi, ac etiam reditum Lega-

gatorum, quos sibi adversos probaverant, timentes, clam ab urbe recesserunt: qua de re valde conquestus est Hormisdas in epistola ad Possessorem, eosdem imprudentiæ, obstinationis, atque etiam furoris, non tamen hæreseos accusans, quam Hormisdæ epistolam non ferenda petulantia impugnavit Jo. Maxentius, *erudítus*, *sed procax Monachus*, ut eum vocat Natalis Alexander. Hormisdas autem, quamvis sæpius ab Imperatore, aliisque sollicitatus, quæstionem illam definire recusavit, semper respondens, nihil adjiciendum iis, quæ in Concíliis, & a S. Papa Leone contra Nestorianos, atque Eutychianos fuerant finita. Et interea utraque pars multis evulgatis scriptis suam sententiam mordiens defendebat.

101. Veruntamen post diutinam, atque acerrimam concertationem feliciter inventum est, Monachos illos, aliosque non paucos, qui alterutri litigantium parti adhærebant, nonnisi de vocibus inter se disputare. Utrique tam ab hæresi Nestoriana, quæ duas personas in Christo distinguebat, quam ab impietate Eutychiana, quæ duas in Christo confundebat naturas, procul aberant; sed æstu disputationis abrepti suos adversarios minime intelligebant, eosque vel Nestorianæ, vel Eutychianæ hæreseos accusabant.

102. Præclare Ferrandus Diaconus Carthaginiensis, vir acerrimi judicii in cap. 5. suæ epistolæ ad Anatolium. „ Omnis ergo Catholicus, inquie„ bat, aut *unum de Trinitate passum* simpliciter audiat, simpliciter dicat, aut loquens can„ te, non tamen *infideliter unam personam de „ tribus passam* fateatur, nec ideo quemquam „ judicet hæreticum, qui *unum de Trinitate pas„ sum* illo sensu dicit, quo etiam ipse *unám per„ sonam de tribus passam* vetaciter dicit ". Facundus etiam Hermianensis Ferrando suppar Lib. I. cap. 3. in eadem sententia fuit, licet magis probaret propositionem Monachorum Scytharum quam aliam, hac unica de causa, quia nomen *personæ* recentius est, ad profligandam hæresim Sabellii invectum, ut nos etiam cum S. Augustino notavimus Tom. III. pag. 82. n. 139.

103. Huic demum tam diutinæ controversiæ finem imposuit Joannes II. Hormisdæ successor. Cum enim Justinianus Imperator solemnem ad eum misisset legationem, has tres illi quæstiones definiendas proponens; primo *utrum unus ex Trinitate Christus*, *& Deus noster dici possit*, *hoc est una de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona?* Secundo, *an Deus Christus carne pertuleríit*, *impassibili Deitate?* Tertio, *an proprie*, *& veraciter mater Domini Dei nostri Maria semper virgo debeat appellari?* Sanctissimus Pontifex Joannes coacta Synodo breviter, ac dilucide respondit, definiendo primo, *Unum ex sancta Trinitate Christum esse:* secundo *Deum carne passum;* denique *B. Virginem proprie*, *& veraciter Dei genitricem ab omnibus catholicis recte confiteri*. Singulas vero hujus suæ supremæ definitionis partes S. Augustini testimoniis confirmat, *cujus doctrinam*, inquit, *secundum Præcessorum meorum statuta*, *Romana sequitur*, *& servat Ecclesia*.

105. Causa ergo fuit Monachis Scythis adjudicata. Acœmetæ vero, qui ad impediendam hujus controversiæ definitionem suos Legatos Cyrum, ac Eulogium Romam miserant, ut Nestorianismo infecti condemnati sunt. *Acœmetas vero*, inquit Pontifex, *qui se Monachos dicunt*, *qui Nestoriani evidenter apparuerunt*, *Romana etiam eos damnat Ecclesia*. Hujus Pontificiæ definitionis se testem oculatum exhibet Liberatus Diaconus Carthaginensis, qui Romæ tunc morabatur, in cap. 20. *Breviarii*. Hæc contigerunt anno 534. Ut vero hujus definitionis memoria perennis fieret, voluit Imperator Justinianus, ut hæc verba rythmo, qui initio Missæ decantatur, insererentur: *Unigenitus Filius*, *& Verbum Dei &c. homo factus*, *& Deus noster cruci affixus*, *mortem conculcans*, *unus sanctæ Trinitatis*, *qui cum Patre*, *& Spiritu sancto glorificatur nunc*, *& semper*, *& in sæcula sæculorum*.

105. Idem Justinianus hac de re epistolam dedit ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum, quam pro lege in perpetuum valitura Codici suo inserit. Eamdem epistolam seu legem approbavit Joannes II., tum postea ejus successor Agapetus; qui tamen hæc verba in sua approbatione addidit: *Non quia laicis auctoritatem præ dicationis admittimus*, *sed quia studium fidei vestræ*, *Patrum nostrorum regulis conveniens confirmamus*, *atque roboramus*. Atque ita propositio Monachorum Scytharum tandiu vexata, atque impugnata, non solum innocens reperta fuit, sed etiam ut fidei dogma a duobus summis Pontificibus approbata, ut qui eam adhuc rejicere auderent, ab Ecclesiæ communione separati censerentur, ut sejuncti ab Ecclesia fuerunt Monachi Acœmetæ in sua opinione nimis pervicaces. Ac denique idem Justinianus Imperator curavit, ut Thesis Monachorum a duobus Pontificibus Joanne II., & Agapeto jam consecrata, etiam ab œcumenica Synodo V. confirmaretur can. 10. his verbis: *Si quis non confitetur*, *Dominum nostrum Jesum Christum*, *qui crucifixus est carne*, *Deum esse verum*, *& Dominum gloriæ*, *& unum de sancta Trinitate*, *talis anathema sit*. Et hæc pro nostro quæsito sufficiant. Abunde satisfaciet plura cupienti amplissimus Cardinalis Henr. Norisius, qui eruditissimam hac de re edidit Dissertationem. Hujus autem Dissertationis apologiam Anonymus quidam suscepit; quam utramque reperies in T. III. *Operum Theologicorum* ejusdem Card. Norisii Venetiis 1769. in fol.

AR-

ARTICULUS II.

Nestorius vere hæreticus fuit; ac propterea in Synodo Ephesina jure, ac legitime damnatus, atque a Patriarchali sede dejectus.

106. Diximus supra n. 24., inter eos ipsos, qui Nestorii hæresin se execrari profitentur, aliquos inveniri, qui Nestorii personam defendere conantur, contendentes, eum imprudentia quidem, atque obstinatione peccasse, haud tamen ab orthodoxa doctrina Ecclesiæ de unitate personæ in Jesu Christo discessisse. Quod si verum esset, aut stupiditatis incredibilis, aut livoris, odii, ac detestandæ calumniæ rei censendi forent tot sancti, & doctissimi viri, & omnes Concilii Ephesini Patres, qui Nestorio ut hæretico anathema dixerunt. Ut itaque horum fides ponatur in tuto, sit

PROPOSITIO.

Nestorius omnino negavit, unicam esse in Jesu Christo personam, & Beatissimam Virginem Mariam vere posse appellari Deiparam; *adeoque jure ac merito ut hæreticus condemnatus fuit.*

107. Duobus modis hæc propositio luculentissime demonstratur; primo ipsius Nestorii verbis, quibus perspicuum fit, ab eo non fuisse admissam nisi unionem *moralem* divinitatis cum humanitate, non autem *physicam*, *realem*, & *hypostaticam*; unde sequebatur, duas fuisse in Christo personas, hominis, & Verbi. Deinde id ostenditur certis testimoniis eorum, qui toti huic magnæ controversiæ interfuerunt, & sunt omni fide dignissimi.

108. Primo negavit Nestorius, Christum, qui natus ex Maria Virgine, qui passus, qui mortuus est, esse Deum. *Ego*, inquit Serm. IV. n. 2., *natum*, & *mortuum Deum adorare non queo.* Quam sententiam variis in locis repetit, Catholicos accusans, quod oppositum docentes, fateri adstringantur, Deitatem ipsam esse natam, passam, & mortuam; quo nihil absurdius, sacrisque litteris magis contrarium fingi potest. Unde etiam Serm. I. num. 6. *Habet*, inquit, *matrem Deus? ergo excusabilis gentilitas, matres Diis subtroducens. Paulus ergo mendax, de Christi deitate dicens: sine patre, sine matre, sine generationis narratione.* Et Serm. VII. n. 57. *Non per se ipsum Deus est, quod in utero figuratum est: non per se Deus est, quod creatum est a Spiritu Sancto.* Et frequentissime eadem repetit, aperte declarans, duos in Christo se distinguere filios; alium purum hominem, qui natus, passus, ac mortuus est; alium Divinum Verbum, quod Filio hominis unitum fuit unione tantum morali, in ipso tamquam in templo inhabitans; quæ similitudo erat Nestorio admodum familiaris: Immo vero non aliter Christum *Deum*, & *Filium Dei* appellatum esse blasphemabat, quam Moyses appellatus est *Deus*, & Israel *Filius Dei*. *Ut rerum omnium opificem*, inquit in Quaternione 27. *Deum appellamus, & Moysem rursum Deum ... Et Israel Filium Dei ... ita quoque Christum Dominum, & Deum, & Filium, & Sanctum, & Christum appellamus.* Non ergo Nestorius immerito fuit hujus erroris accusatus, nec immerito propter suam pertinaciam, qua sæpius admonitus, præcipue a S. Cyrillo Alexandrino, & a beatissimo Papa Cælestino, nunquam resipiscere, atque ad Catholicam Fidem redire voluit, æterno anathemate percussus.

109. Secundo accusatus fuit Nestorius, quod Sanctissimam Virginem Mariam ut *Dei genitricem* agnoscere, & prædicare nollet. Id autem tam certum est, quam quod maxime. Sermone enim V. num. 8. *Non invideo*, inquit, *nomen Virgini χριστοτόκου Christotoco. Fateor enim reverendam esse eam, quæ susceperit Deum; per quam transierit Dominus omnium: per quam justitiæ sol illuxerit. Deus enim erat Verbum, & cum homine conjunctum, & in eo habitans.* Nec unquam adduci potuit, ut fateretur, vere, & proprie ipsam esse *Dei Matrem*; sed hoc semper pugnacissime negavit. Immo Dorotheus, & Anastasius duo primi hæreseos Nestorianæ præcones ita palam blasphemare non dubitarunt: *Si quis Mariam Deiparam esse dixerit, anathema sit.* Et Nestorius ipse in suo primo anathematismo, quem Cyrilli anathematismis opposuit: *Si quis*, inquit, *eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, & non potius Nobiscum Deum; hoc est inhabitasse eam quæ secundum nos est, naturam, per id quod unitus est nostræ, quam de Maria Virgine suscepit: Matrem etiam Verbi, & non potius ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit &c. ... anathema sit;* tum in Serm. XII. n. 9. hanc vocem *Deiparam*, tamquam Apollinaris, Arii, atque Eunomii hæresi infectam condemnat. Quod si usurpanda sit, non aliud eam significare vult, quam *ἀνθρωτόκου hominis genitricem.*

110. Quantum vero pertinet ad testes impietatis Nestorii, abunde sufficere debet S. Cælestini Papæ, & Patrum Ephesinorum judicium. Primus lectis non solum S. Cyrilli accusationibus, sed etiam ipsius Nestorii litteris, quibus se ab omni crimination purgare satagerat, sententiam excommunicationis in eum pronunciavit, nisi intra decimum diem suos damnaret errores (*a*). Patres autem Synodi Ephesinæ Act. I. sententiam damnatio-

(*a*) Ita ad Nestorium respondit S. Cælestinus ex Synodi suæ judicio: *Aperte hanc nostram mitat esse sententiam, ut nisi de Christo Deo nostro ea prædicies, quæ Romana, & Alexandrina, & universalis Ecclesia*

tionis in Nestorium his verbis protulerunt: *Deprehendentes itaque, partim ex litteris, commentariisque ipsius, partim ex sermonibus, quos nuperrime in hac Ephesiorum metropoli habuit, quique testimoniis compertis sunt, illum impie sentire, & prædicare, & coacti per sacros canones, & epistolam Sanctissimi Fratris nostri, & Comministri Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusis, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus.* Quæ sententia postea ab Episcopis 198. subscripta fuit, qui totidem sunt impietatis Nestorii irrefragabiles testes. Hi autem adeo erant de totius rei veritate securi, ut non dubitaverint eos omnes anathemate percellere, qui Nestorium anathematizare recusarent: *Omnes Episcopi simul clamaverunt: Quicumque Nestorium non anathematizat, anathema sit.*

111. Fuerunt quidem non pauci, qui rebus nondum satis elucidatis, Nestorii personæ favebant, ut Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus, Candidianus Comes, qui a Theodosio missus fuerat cum potestate, ut reipublicæ tranquillitatem curaret, Irenæus Comes, nonnulli alii Aulici, atque ipse Imperator Theodosius, ex falsis relationibus deceptus; ac propterea in Cyrillum (*a*), & totam Synodum male animatus; sed paulatim discussis tenebris veritas apparuit, ac Synodi Ephesinæ acta tamquam legitima, & justa ubique resinæ acta tamquam legitima, & justa ubique recepta, ac probata fuere, Nestorius e Patriarchali throno dejectus, in Monasterium Euprapiense, ut ibi pœnitentiam ageret, relegatus; & cum nondum quieseret, instante ipso Joanne Antiocheno, qui olim ipsi patrocinabatur, Oasim in exilium amandatur. Omnia insuper ejus scripta, ut venefica igne combusta, eorumque lectio severissimis legibus interdicta; adeo ut qui modo Nestorium ab errore absolvere audent, totum mundum erroris accusare debeant, ut nulla amplius præteritarum rerum historia certa sit.

112. De ea profecto minime dubitarunt auctores gravissimi, qui postea in Ecclesia doctrinæ orthodoxæ laude floruerunt, atque imprimis S. Leo magnus, qui in epist. ad Leonem Augustum 166. *Anathematizetur ergo*, inquit, *Nestorius, qui B. Virginem Mariam, non Dei, sed hominis tantummodo credidit genitricem; ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis; nec unum Christum in Verbo Dei, & carne sentiret; sed separatim, atque sejunctim alterum filium Dei, alterum hominis prædicaret.*

113. Theodoretus etiam, qui aliquando Nestorio patrocinatus fuerat, & diu ejus condemnationi restiterat, veritate, ut credere par est, tandem comperta, Lib. IV. *Hæret. Fabularum* cap. 12. post indicatas Nestorii blasphemias in Jesum Christum, ejusque sanctissimam Matrem, ita concludit: *Unde quoniam horrenda morte perierunt impii, Pontificatu per Sanctos Ephesi congregatos divino suffragio dejectus est, & ab Imperatore Oasim habitare jussus; futuri impiorum supplicii illic sumpsit exordium.*

114. Vincentius Lirinensis in *Commonitorio* I. *Nestorius*, ait, *contrario Apollinari morbo, dum sese duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, & inaudito scelere duos esse vult Filios Dei, duos Christos; unum Deum, alterum hominem; unum, qui ex Patre, alterum, qui sit generatus ex matre. Atque ideo asserit, Sanctam Mariam, non Theotocon, sed Christotocon esse dicendam, quia scilicet ex ea non ille Christus, qui Deus, sed ille, qui erat homo, natus sit.* Ubi etiam hominis callide improbi fraudes detegit, ut non facile illi credendum sit, quando sensu specie tenus orthodoxo loqui videtur.

115. Idem testantur unanimi consensu Evagrius Lib. I. *Histor. Eccles.* cap. 2. Liberatus in *Breviario causæ Nestorianæ, & Eutychianæ* cap. 4. Facundus Hermianiensis, Lib. I. *de tribus capitulis*; ceteriique omnes illius ætatis, vel posterioris Scriptores.

116. Prob. altera propositionis nostræ pars, scilicet Nestorium jure, ac merito fuisse condemnatum, quæ ex hactenus allatis certissimis documentis spoute sua fluit. Et quidem primo Nestorius Romæ damnatus fuit in Synodo habita anno 430. a S. Cælestino Pontifice, qui non solum a S. Cyrillo, sed etiam ab ipso Nestorio, qui semel, ac iterum suam sententiam per litteras illi exposuerat, totius causæ Nestorianæ plenam habuerat notitiam. Aliam etiam Cælestinus in eadem Nestorii causa Synodum Romæ habuit anno seq. pro mittendis suis Legatis ad Synodum Ephesinam; in qua iterum Nestoriana hæresis proscripta fuit; atque in ipsum Nestorium sententia depositionis confirmata, nisi erroribus ejuratis ad sanam mentem rediret. Damnata etiam fuit eadem hæresis in aliis Synodis, quas numero 15. aut 16. recenset P. Jo. Garnerius in Diss. II. ad Opera Marii Mercatoris. Inter eas autem tres sunt œcumenicæ, nempe Ephesina, Chalcedonensis & Constantinopolitana II., & in quibus Nestorii simul hæresis, & persona damnata fuit (*b*).

117.

tenet, & hanc perfidam novitatem intra decimum diem a primo innotescentis tibi hujus conventionis die numerandum, aperta, & scripta confessione damnaveris, ab universalis te Ecclesiæ communione esse dejectum. Perfidas igitur novitates Nestorii ex ipsis Nestorii epistolis noverat Roman. Pontifex.

(*a*) Jam ante Synodum Theodosius Nestorii, atque Auliconum artibus erat Cyrillo infensus; unde illi ita scripserat, eumdem ad Synodum invitans. *Scito magnam abs te rerum perturbationem esse excitatam ... Neque prius nostram te amicitiam recuperaturam confidas, quam omni turbatione, & animarum ægritudine sedata &c.*

(*b*) Nescio, quid sibi velit Samuel Basnagius, dum

117. Nestorii personam ab hæresi vindicare conantur, contendentes eum solum imprudentia, verborum insolentia, præcipue autem pertinacia peccasse, ac propterea fuisse a Patriarchali sede merito expunctum, non autem reipsa duas in Christo personas proprie dictas posuisse, ac B. Mariam Virginem vere *Deiparam* esse, inficiatum fuisse, duplici id argumentorum genere se conficere posse confidunt. Primo ex Nestorii ipsius verbis, quibus orthodoxam suam mentem aliquando explicavit, & ex quibus quæ ipsi duriora, ac minus accurata exciderunt, explicari volunt: secundo ex testimoniis illustrium & ætate virorum, quibus Nestorii doctrina perspecta esse debebat.

118. Obj. itaque primo. Orthodoxa Incarnationis doctrina hac in parte hæc quatuor continet; primo, Christum non esse purum hominem: secundo, non duos esse filios, sed unum: tertio, duas naturas divinam, & humanam in unam coaluisse personam, seu hypostasim divinam: quarto B. Virginem Christum enixam dicendam esse Deiparam: atqui hæc omnia aperte docuit Nestorius pluribus in locis: ergo &c.

119. Prob. prima minoris pars. Serm. VII. n. 23. calumniam sibi impactam dispungens: *Non nudus homo*, inquit, *Christus, o calumniator, sed homo simul & Deus;* quod aliquibus Scripturæ Sacræ locis probat. Et Serm. XII. num. 2. ea emphatice loquitur: *In stupore remaneat gentium Paulus Samosatenus, qui nobis Dominicam humanitatem nudam a Deitate delirat, qui solam præter divinitatem fabulatur hanc, quæ semper conjuncta est atque connexa, quæ eadem ac pariter potest, quæ Deus.*

120. Prob. secunda pars minoris. In Serm. II. num. 5. ita perspicue orthodoxam mentem exponit: *Divisio non est neque conjunctionis, neque potentiæ, neque filiationis, neque hujus, quod est Christus. In his divisio non est. In Deitate vero, & humanitate divisio non est. Christus, secundum quod est Christus, indivisus est; & Filius, secundum quod est Filius, indivisus est: Non enim habemus duos Christos, vel duos Filios ... Sed idem ipse est duplex, non dignitate, sed natura.* Adhuc clarius Serm. XI. *Hic, qui videtur infans*, ait, *hic qui recens apparet, hic, qui fasciis corporalibus eget, hic, qui secundum visibilem essentiam recenter est editus, Filius est, ut Scriptura docet, æternus ... Novimus humanitatem infantis, ac divinitatem: filiationis unitatem servamus in deitatis, humanitatisque natura.* Ac demum aliis similibus locis omissis, in Serm. XII. *Naturæ duplices*, inquit, *sed Filius singularis. Quid sermonem in calumniam vocas?*

121. Prob. tertia minoris pars de unione hypostatica. In epistola secunda ad Sanctum Cælestinum R. P. aperte fatetur, utramque Christi naturam, *propter conjunctionem summam, & inconfusam in una persona adorari.* In epistola ad Alexandrum Hierapolitanum Episcopum, *Non duas personas*, inquit, *unam personam facimus, sed una appellatione Christi duas naturas simul significamus.* Hinc etiam in Synodo Lateranensi habita anno 649. Sectione V. hæc Nestorii verba recitantur: *Non alius erat Deus Verbum, & alius, in quo factus est homo; erat enim amborum una persona, dignitate, & honore adoranda ab omni creatura.*

122. Quarta pars minoris de voce *Deipara* adhuc evidentius ostenditur: *Dixi jam sæpius*, inquit in Serm. VI. num. 4. *Si quis inter vos simpliciter, sive inter quoscumque alios voce hac Θεοτόκος gaudet, apud me nullâ est de voce invidia, tantum ne Virginem faciat Deum* &c. Epistola III. ad S. Cælestinum: *Ego autem*, ait, *& hanc quidem vocem, quæ est Θεοτόκος, nisi secundum Apollinaris, & Arii furorem ad confusionem naturarum proferatur, volentibus dicere, non resisto.* Serm. XII. n. 7. *Damna eos, qui dicunt, secundum Apollinaris, & Arii sensum Dei genitricem, & ego una tecum clamo Θεοτόκον.* Ac demum ibidem: *Filius Dei natus est, Deus Verbum, & homo: ergo quæ peperit, propter unitatem, dicatur Dei genitrix, videlicet Θεοτόκος.* Quæ est ratio a Catholicis semper adhibita, ad probandum, B. Mariam esse Dei genitricem.

125. Resp. hæc omnia a callidissimo hæretico fuisse prolata specietenus orthodoxe, revera autem in sensu minus proprio, qui posset cum suo errore facile conciliari; artem enim fallendi, & decipiendi incautos a magistro suo Theodoro Mopsuesteno apprime didicerat. Sed fallere non potuit Cælestinum summum Ecclesiæ Hierarcham, non Cyrillum Patriarcham Alexandrinum, non Patres Synodi Ephesinæ, non tot alios doctissimos viros, qui apertam Nestorii hæresim cognoscentes, subdolis quibusdam locutionibus sibi imponi passi non sunt. Sed haud difficile erit singulas objectionis partes excutiendo, fallacias Nestorii detegere.

124. Ad primam ergo object. partem resp. Nestorium mala fide, atque ad fucum imperitis faciendum, calumniam hæresis Pauli Samosateni a se depellere voluisse. Vere autem dicebat contra Samosatenum, Christum non esse purum hominem, quia cum eo conjuncta semper fuit divinitas, sed nexu solum *morali*, non *physice*, & *hypostatice*, ut recta fides docet; unde *natum*, & *mortuum Deum* se adorare non posse dicebat, ac veram proinde Verbi Incarnationem negabat. *Simu-*

in Annalibus politico-Ecclesiasticis ad ann. 430. n. 10. ita ex tripode pronunciat, *veritatem Conciliorum Decretis anteponendam esse;* quasi tot Concilia, tot Patres, tot Testes veritatem aut non cognoverint, aut turpiter prodiderint.

mulant, inquiebat S. Cyrillus de Nestorio, in expositione Anathematismi V. *simulant*, *se incarnationis vocem admittere; verum incarnatum esse revera Dei Verbum non putant .... Asserunt sic, tamquam in uno quopiam homine ex Sanctorum numero, de Maria Virgine nato, habitasse Unigenitum Verbum*. Cæterum a plerisque accusatus fuit Nestorius, quod saltem ex parte cum Paulo Samosateno sentiret. Legenda sunt, quæ Marius Mercator scripsit in epist. *de discrimine inter hæresim Nestorii, & dogmata Pauli Samosateni*. Vid. infr. num. 138.

125. Ad secundum. Crassior erat fraus Nestorii, quæ facile a viris non obtusis, vel studio partium minime præoccupatis detegebatur, dum unum Christum, unumque Filium se agnoscere profitebatur. Neque enim aliam admittebat inter duas naturas conjunctionem, quam moralem, affectus scilicet, qualis inter duos conjuges est; non autem illam veram, realem, & physicam unionem, quæ a S. Cælestino, a S. Cyrillo, aliisque Patribus orthodoxis exigebatur. Has Nestorianorum fallacias Synodus V. anathem. 4. exponit, eos nempe non aliam admittere duarum naturarum unionem, quam eam, quæ est *secundum gratiam*, *vel secundum operationem*, *vel secundum dignitatem*, *vel secundum æqualitatem honoris*, *vel secundum auctoritatem*, *aut relationem*, *aut affectum*, *aut virtutem*, *aut secundum bonam voluntatem*. Ex hac autem Nestorii doctrina manifeste consequebatur, esse unum Christum, unam personam *unitate morali*, *improprie*, *& metaphorice*; non autem unitate *physica*, *& hypostatica*, quam tamquam admisit.

126. Just. Nestorius in anathematismo quinto opposito anathematismi S. Cyrilli hæc habet: „ Si quis „ post assumptionem *hominis naturaliter* Dei Filium „ unum esse audeat dicere, cum sit Emmanuel, „ anathema sit". Quibus verbis aperte ostendit, se nonnisi duas naturas, non autem duas personas in Christo distinguere. Id etiam significabant ea verba, quæ ex quaternione 17. in Act. I. Concilii Ephesini lecta sunt: *Filius post carnem assumptam seorsum per se Filii nomine appellari non debet, ne duos Filios videamur inducere*.

127. Resp. hæc & similia verba potuisse in sensu orthodoxo accipi, si ab homine integræ & sinceræ fidei prolata fuissent, non autem quando prolata fuerunt a Nestorio, homine non suspectæ tantummodo, sed omnino perversæ doctrinæ; cui doctrinæ nullo modo repugnant subdolæ illæ & fallaces loquendi formulæ. Nempe nihil aberat Nestorianæ hæresi fateri in Christo *unum Dei Filium naturaliter*, dummodo hæc unitas non sit *hypostatica*, sed *moralis* tantummodo, qualem nitro Nestorius admittebat. Neque sanioris criticæ regulis consentaneum videtur, ex similibus locutionibus veram expiscari Nestorii mentem, contra tot, & tam gravia aliorum testimonia, immo con-

tra iterata Conciliorum, ac summorum Pontificum decreta, quibus non hæc solum verba, sed omnia Nestorii gesta, & dicta comperta fuerunt.

128. Ad tertium. Eadem insigni versutia abutebatur Nestorius vocabulo *personæ*, quando eam in Christo unam esse fatebatur; sumendo scilicet personam, ut est vox juris; qua ratione etiam duo conjuges unam personam constituere dicuntur; non autem in sensu theologico, prout hypostasim, & suppositum significat. Hanc Nestorianorum fallaciam detegit Synodus V. œcumenica anathemat. 4., eos dicens *per solam nominationem*, *& honorem*, *& dignitatem*, *& adorationem unam personam*, *& unum Filium*, *& unum Christum confingere*.

129. Ad 4. Suam fallendi artem magis exercebat Nestorius, ubi de glorioso *Deiparæ* nomine agebatur. Quia enim fideles Mariæ cultui peculiariter addictos adunodum offendi videbat ex denegato illo tanti honoris titulo, coactus & invitus nomen *Deiparæ* ipsi concedere non recusabat, sed doloso sensu: non quia ipsa concepit, & peperit Deum, sed quia concepit, & peperit hominem Deo unitum. Suam hæresim non dissimulavit in ep. 1. ad S. Cælestinum, inquiens: *Si quis autem hoc nomen Θεοτόκον propter natam humanitatem, conjunctam Deo Verbo, non propter parientem proponat, dicimus quidem, hoc vocabulum in eam, quæ peperit, non esse conveniens: oportet enim veram matrem de eadem esse essentia, qua est ex se natum: ferri tamen posse propter ipsam considerationem, & quod solum nominetur de Virgine hoc verbum propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa: non quia ipsa sit mater Dei Verbi; nemo enim antiquiorem se parit*. Et Serm. IV. *Aliud est dicere*, inquit, *quia nato de Maria conjunctus erat Deus ille, qui est Verbum Patris, quod est liquidissimum, & firmum, atque irreprehensibile Gentilibus, & aliud, quia Divinitas indiguit nativitate in mensibus decurrente*. In Sermone vero XII. n. 22. non refugit appellare Mariam *Θεοτόκον*, modo sui adversarii non refugiant quoque eam dicere *ἀνθρωποτόκον hominis genitricem*: *Confitere utrumque*, ait Cyrillum indigitans, *appellans Sanctam Virginem Θεοτόκον pariter, & ἀνθρωποτόκον*. Et Serm. XIII. num. 31. has tres voces *χριστοτόκον*, *Θεοτόκον*, & *ἀνθρωποτόκον* simul conjungi vult: quæ tamen recte conjungi non possunt, nisi duabus personis introductis. Nasci enim nonnisi personæ convenit.

130. Ob. secundo. Plures, & gravissimi testes Nestorium ab omni hæresi absolvunt, eum tantummodo culpantes, quod de vocibus cum Cyrillo contenderet, quod insuitatis locutionibus suam fidem exponeret, & præcipue quod iis pervicaciter inhæreret, nolens communi de Mysterio Incarnationis loquendi usui se accommodare. Ita Joannes Antiochenus ad Nestorium scribebat: *Si enim mens tua eadem sapit, & sentit, quæ San-*

Sancti Patres, Ecclesiæque Doctores (nam hoc, Domine mi, & ex multis, & ex communibus amicis de te accepimus) quorsum vereris pium sensum congenienti voce publicare? Et infra: Multi, ut intelligo, non infrequentes ex te audierunt, quod ipsam solam vocem, non piam quoque ipsius vocis notionem averseris. Atque idipsum cum suo Metropolita de Nestorio sentiebant alii Episcopi Orientales in peculiari Synodo, quam Ephesi contra Synodum Cyrillianam habuerunt, Nestorium ab omni hæreseos nota absolventes, & Cyrillum a sua Sede deponentes. Joannes, quidem postea Imperatoris minis coactus in damnationem Nestorii consensit, sed hisce verbis generalibus & ambiguis, ut bene Theodoretus notavit: *Anathematizamus quæcumque* (Nestorius) *aliter dixit, aut sensit, quam doctrina Apostolica, continet.*

131. Multo magis Nestorio favebat Theodoretus, vir doctissimus, inter omnes, illius temporis, Episcopos, quem Photius *divinum* nominavit. Ita enim scribebat ad Joannem, epist. 2. „ Jam tuæ „ Sanctitati prædixi, quia si Domini mei, venerabili, & Sanctissimi Episcopi Nestorii, fuerat „ dogma damnatum, nec ego cum his, qui hoc „ faciunt, communicabo.“ Scribeus autem Andreæ Samosateno: „ Exigit, *inquit*, Aristolaus, „ subscriptionem, factæ dudum damnationis, & ut „ anathematizetur Sancti Episcopi, dogma, Nesto„ rii. Scit autem vestra Sanctitas, quod si quis „ indiscrete doctrinam, anathematizet ejusdem Sa„ cissimi, & venerabilis Episcopi; idem est, ac „ si pietatem anathematizare videatur.“

132. Demum, Socrates L. 8. *Hist. Eccl.* c. 32. postquam, aliorum opiniones de Nestorii erroribus indicasset, ita subdit: „ Ego vero, dum ejus „ libros, lustro, hominem, imperitum reperio.... „ nec tamen mihi videtur, imitari Paulum Samo„ satenum, aut Photinum, & Dominum omnino „ simplicem hominem dicere, sed solum Deipa„ ræ vocem, tamquam larvam reformidare ... Sic „ enim sentientem reperio, tum ex ejus libris, „ quos legi, tum ex his, quæ amatores ipsius di„ cunt.“

133. Resp. cum Nestorius de industria perplexe, & obscure loquens, sensus suos occulnerit, & doctissim. suam multis ambagibus involvere semper studuerit, mirum non esse, potuisse eam aliquos invenire patronos; præcipue vero cum S. Cyrilli ejus adversarii fides propter suos anathematismos, de quibus postea, suspecta aliquibus facta esset. His tamen nebulis dissipatis, & rei veritate perspecta, infelix Nestorius ab omnibus derelictus est, ejusque memoria etiam in subsequentibus Synodis damnata fuit. Audiantur, quæ Ephesini Patres ad Imperatorem scripserunt in Relatione Act. VI. „ Ad tegendam imposturam, in„ quit, usque adeo callidus fuit (*Nestorius*), „ ut quidam quoque Sanctissimi Episcopi, occul„ tato errore, ab eo decepti sint, eique sese ad„ junxerint, qui actus illius subscripserint. Quo „ tamen posteaquam dilucide quid sentiret, es„ sent percontati, illumque suas blasphemias re„ tegentem comperiissent, ab eo descivernnt, ac „ Sanctæ Synodo sese adjunxerunt.“ Sed expendamus singulos testes.

134. Joannes Antiochenus amicitia Nestorio junctus, initio illius magni dissidii eidem Nestorio adeo patrocinatus est, ut ipse etiam in suspicionem hæreseos venerit; ac propterea Patres Concilii Ephesini in Relatione missa per Palladium ad Imperatorem dicere non dubitarunt, ipsum *amicitiæ malle gratificari, quam filei utilitatem spectare.* Suspicio aucta est, quando inoram cum suis de industria traheus, Concilii initium impedire conabatur: multoque magis, quando Concliabulo cum suis Orientalibus coacto, Nestorii depositioni subscribere detrectavit; unde etiam a Cyrillo, & a toto Concilio communione privatus fuit. Exitus tamen rerum abunde demonstravit, Joannem ab hæresi Nestorii fuisse alienum.

135. Nam primo certior factus de prima condemnatione Nestorii a Cælestino R. P., nisi intra decimum diem resipisceret, litteras ad eumdem Nestorium dedit, quibus significabat, licet decem dierum, intervallum, esset valde angustum, rem tamen esse ejusmodi, ut non decem diebus, „ sed „ uno, imo vero paucis horis tota confici posse „ videatur. Nam quid facilius, *inquit*, quam no„ minc commodo, multisque Sanctis Patribus un„ sitato, & vere nitidissimus, salutarique ex Vir„ gine ortui percongruo, in Christi omnium no„ strum Regis dispensatione uti? ... Si enim mens „ tua eadem sapit & sentit, quæ Sancti Patres, „ & Ecclesiæ Doctores, quorsum vereris, pium, „ animi tui sensum convenienti voce publicare?“ Rogat deinde, ac majorem in modum ipsum hortatur, ut non solum vocem *Deiparæ*, sed etiam notionem hujc voci subjectam recipiat. *Etenim*, subdit, *si id, quod nominis significatione offertur, non recipimus, restat, ut in gravissimum errorem prolabamur.* Quod Joannes uberius explicat, sensu omnino orthodoxo.

136. Post autem curante piissimo Imperatore Theodosio pax inter Jo. Antiochenum, & Cyrillum feliciter restituta est, sed ea conditione, ut Nestorio, ejusque hæresi anathema diceretur. Hujus concordiæ historia legitur in epistola S. Cyrilli ad Donatum Episcopum veteris Nicopolis: ubi narrat, rejectas fuisse omnes conditiones pacis a Joanne una cum Orientalibus per Paulum Emissenum propositas, neque ipsum ad synaxim receptum, „ priusquam dato libello Nestorii dog„ mata suo scripto anathematizasset, seque illum, „ pro deposito habere confessus, sacr, & ordina„ tioni religiosissimi Episcopi Maximiani consen„ visset. *Et idem Cyrillus in alia epistola ad Acacium Militinæ Episcopum.* Cum religio„ sissimus, *inquit*, Episcopus Paulus paratum se „ diceret, Nestorii blasphemias anathematizare, „ scri-

„ scriptoque in illius depositionem consentire, atque id pro omnibus, tantamquam ex communi „ omnibus Orientalium Episcoporum persona esse „ facere affirmaret, " tunc demum ad pacem, & communionem Ecclesiæ fuisse admissum. Sed neque hoc contentus Cyrillus voluit, ut etiam ipse Jo. Antiochenus sua manu *scriptam his de rebus confessionem ederet*. Ac demum in epistola ad Valerianum Iconii Episcopum ita idem Cyrillus scribit: *Religiosissimi totius Orientis Episcopi, una cum Domino meo Joanne religiosissimo Ecclesiæ Antiochenæ Episcopo scripta, dilucidaque confessione palam fecerunt, se profanas Nestorianarum vocum novitates æque, ac nos condemnasse; seque nullo unquam loco eas habuisse*. En igitur quales fuerint innocentiæ, & orthodoxiæ Nestorii testes. Atque hæc omnia documenta, una cum aliis ad causam Nestorianam spectantibus in III. Parte Concilii Ephesini continentur Tom. III. Collect. Labbeanæ.

137. Theodoretus majore Nestorianismi suspicione laboravit, & nonnisi ægre, ac serius quam alii, Nestorii damnationi consensit; consensit tamen, & cum a Dioscoro in prædatoria Ephesina Synodo fuisset a sua Cyrensi Sede dejectus, ad S. Leonem Pontificem Maximum confugit, a quo cognita ipsius resipiscentia fuit etiam pristino honori restitutus. In Concilio tamen Chalcedonensi debuit adhuc plenius suæ fidei, & obedientiæ documentum exhibere, anathematizando scilicet Nestorium, atque impiam ejusdem hæresim.

138. Socratis demum testimonium ea parte, qua Nestorium ab erroribus Pauli Samosateni, & Photini absolvit, judicio erudit^ssimi P. Jo. Garnerii recipi potest, reipsa enim ab hujusmodi hæresibus, quas sæpius in suis Sermonibus execratus fuit, Nestorius videtur fuisse alienus; quamvis fortasse ex suo capitali errore duplicis in Christo personæ, per legitimas consequentias convinci potest eum damnatis istis hæreticis convenire; quod ipsi a Catholicis non semel exprobratum fuit. Ita inter alios Marius Mercator in epist. *de discrimine inter hæresim Nestorii, & dogmata Pauli Samosateni, Ebionis, Photini, & Marcelli* n. 17. de Nestorio scribit: *In eo igitur Paulo Samosateno conjungitur, in quo habitatorem, & habitaculum pro meritis separat, dividens, quod unicuique eorum sit proprium, ex diversitate naturæ; quod quidem illis amborbus cum Ebione, & Photino, & Galata Marcello commune est*. Judicium autem Marii Mercatoris, aliorumque, qui similia de Nestorio scripserunt, multo gravius est judicio Socratis, hominis in forensibus magis, quam in theologicis rebus exercitati.

139. Intolerabile autem est, quod idem Socrates addit, Nestorium *solam Delparæ vocem, tamquam larvam reformidasse*. Neque enim de voce sola erat gravissima illa causa; sed de recta hujus vocis notione; quæ recta hujus vocis notio ab ipsa fundamentali Incarnationis doctrina pendebat. Si enim Verbum caro factum est, unione physica, & reali, & hypostatica sibi carnem copulando, rectissime consequebatur, ipsum esse de Maria Virgine natum. Id probe notavit præter alios multos vir imprimis eruditus, atque acutus Leontius Byzantinus in L. I. adversus Nestorium, monens, „ non fuisse de vocibus controversiam, „ sed *de modo totius mysterii Christi*, quod non „ simpliciter ex hac, aut illa voce, aut ex quibusdam verbis approbandum est, vel improbandum, sed ex primis principiis: Principia vero „ esse *modum unionis secundum hypostasim, & secundum σχέσιν habitationem*: primum Patres „ tradidisse; alterum hæreticos, qui hac ratione „ ἀνθρωπολατρίαν *hominis adorationem* induxerint". Quæ & alia hujus generis si Bælius legisset, haud ita facile pronunciasset (in art. *Nestorius*), totam hanc disputationem non fuisse, nisi de vocibus.

140. Dices. Liberatus in *Breviario Hæresis Nestorianæ* c. 5. *Cyrillus*, inquit, *deflorationes quasdam librorum Nestorii faciebat, eum perturbare volens; erat enim, ut dicitur, ejus inimicus*.

141. Resp. Liberatum, Diaconum Ecclesiæ Carthaginensis facilius, quam par erat, quibusdam rumoribus aurem præbuisse; nec ejus testimonium, soli incertæ famæ innixum, *ut dicitur*, præponderare, aut æquiparari posse tot gravissimis, atque indubiis testibus, qui de nefaria Nestorii hæresi nos omnino certos reddunt. Quamvis Liberatus nomine *deflorationum* fortasse intellexit *excerpta* ex libris Nestorii, quæ Cyrillus Patribus Ephesinis examinanda proposuit.

142. Ob. tertio. Nestorius in Synodo tumultuosa, non servatis, immo aperte violatis omnibus juris regulis, condemnatus fuit. Nam primo Cyrillus, quamvis rogatus, expectare nolnit adventum Jo. Antiocheni, qui una cum suis Comprovincialibus Episcopis jam erat in jamis, citius autem propter longinquitatem, & molestias itineris adesse non potuit. Immo Candidianum Comes semel iterumque jussit, ne initium Synodi fieret ante Orientalium adventum; sed ipsius mandata Cyrillus insuper habuit. Secundo neque expectare Cyrillus voluit Legatos Pontificios, qui propterea nonnisi post Actionem primam, in qua Nestorius condemnatus jam fuerat, Concilio interfuerunt. Tertio omnia una die summa festinatione peracta fuere, quibus nec plures suffessissent, si debita discussio, ut par erat, facta fuisset primo 12. Anathematismorum Cyrilli contra Nestorium, secundo Nestorii Sermonum, tertio doctrinæ Ss. Patrum, præsertim vero si Nestorio causam suam defendendi facultas fuisset facta, qui Synodo se adfuturum promiserat, *cum omnes convenissent Episcopi*; ac saltem quatriduo Synodum differri postulabat. Etiam in sententia ipsa Nestorio significata livor & odium apparet, in ea enim *Novus Judas* appellatus est: quasi nimis exigua fuisset damnationis, & depositionis pœna, quin injuria etiam, & in-

infamia tam probrosæ appellationis adderetur.

143. Ad hæc addunt aliqui cum Svida T. II. p. 578. Pulcheriæ animum fuisse a Nestorio aversum propter justam objurgationem eidem a Nestorio factam; tum Eunuchum Scholasticum magna pecuniæ vi corruptum, mutasse Imperatoris animum contra Orientales, in cujus rei testimonium afferunt Acacii Beræensis epistolam, quam P. Lupus in sua collectione refert c. 14. aliaque hujus generis, quibus Basnagius S. Cyrillum una cum sua Synodo infamare frustra conatur.

144. Resp. hæc omnia, quæ post Dupinium, Bællius, Basnagius, aliique Romanæ Ecclesiæ hostes, non solum narrant, sed verbis etiam ornant, atque exaggerant, etiamsi vera essent, vim definitionis dogmaticæ contra Nestorium nullatenus posse infringere, postquam damnatio illius facta in Act. I. Conc. Ephesini confirmata fuit Act. sequenti, præsentibus, & approbantibus Apostolicæ Sedis Legatis, confirmata iterum a summo Pontifice Rom., & deinde a duabus proxime consecutis œcumenicis Synodis, Chalcedonensi & Constantinopolitana; ac demum ab ipsis Nestorii patronis, Jo. Antiocheno, Theodoreto, & uno verbo ab universo orbe catholico acceptata. Universalis enim hic Ecclesiæ consensus totum illud, quod in ordine rerum gestarum peccatum fuisset, abunde sanaret. Sed præstat singulas objectionis partes breviter saltem discutere.

145. Accusatur Cyrillus minimæ festinationis, quia Nestorio quatridui dilationem concedere noluit, neque adventum Orientalium expectare. At vero jam 16. dies expectaverat. Synodus enim indicta fuerat ipsa sacra Pentecostes die inchoanda 7. Junii. Maxima pars Episcoporum aderat: tantæ procrastinationis tædio multi conquerebantur, aliqui infirmati, alii etiam mortui fuerant: æquum igitur erat, ut tandem aliquando rumperentur moræ, & initium celebrandæ Synodi fieret. At Nestorius quatriduum petebat, iniqua petitio, cum ille jam Ephesi una cum decem Episcopis suarum partium adesset. Ulterius & die præcedenti moritus fuerat, tum ipsa die semel, atque iterum ad Synodum invitatus; atque a duobus Episcopis ipsius amicis Theodoto Ancyrano, & Acacio Melitinensi majorem in modum rogatus, ut deposita pertinacia ad communem Ecclesiæ sententiam accederet, sed frustra; ille enim magis insaniebat, palam dicens, *se Deum bimestrem, aut trimestrem non colere*. Tempus ergo erat, ut putridum hoc Ecclesiæ membrum excommunicationis falce resecaretur.

146. Sed expectandus erat, inquiunt, adventus Joannis Antiocheni, qui cum suis Episcopis Comprovincialibus non procul aberat. Verumtamen suspicio erat, valde fundata, eum de industria moras trahere, aliquod ex cunctatione beneficium pro suo ipsiorantem. Duo etiam Episcopi ab eo permissi, dixerunt *non semel, sed sæpius* posse eo etiam absente Synodum inchoari. „ Cum hæc „ illi renuntiassent, certoque constaret, tam ex „ mora quam ex iis, quæ nuntiata fuerant ipsius „ nomine, eum detrectare consensum; vel quod „ amicitiæ, quæ ipsi cum Nestorio intercedebat, „ indulgeret, vel quod is Ecclesiæ suæ fuerit Clericus, vel etiam quod quorumdam pro ipso deprecationibus morem gereret, S. Synodus in „ magna Ephesi Ecclesia, quæ appellatur *Maria*, sessionem celebravit." Ita causam non expectati adventus Orientalium exponunt Patres Ephesini in relatione ad S. Cælestinum. Nulla hic festinatio apparet, sed potius longa mora, quamquam non tanta, quanta a Nestorianis injuste postulabatur.

147. Quod vero mandatorum Candidiani Comitis, qui Synodi initium adhuc differri jubebat, nullam rationem Patres habuerint, non inde sequitur, eos sacra Imperatoris mandata violasse; lectæ etiam fuerant in ipsa prima Sessione litteræ Theodosii, in quibus nulla prorsus Candidiano potestas hac in parte fiebat; sed tantummodo jubebatur, ut diligenter prospiceret, *ne dissensio ex mutuo repugnandi studio coorta increbresceret*. Ceterum reliqua arbitrio Episcoporum relicta erant (Vid. sup. in not. ad n. 11.). Quamobrem Augustus, quamvis ei de re tota nondum probe conscio ideo displicuerit, postea tamen omnia approbavit, atque pro auctoritate sibi a Deo concessa decretorum Ecclesiæ plenam executionem imperavit, & Nestorium una cum paucis ipsi pertinaciter adhærentibus Episcopis exilio relegavit.

148. Sit etiam nec Legati Pontificii, nec ipse summus Pontifex ullo modo de festinatione Patrum, aut de ulla alia vel minima sacrorum Canonum violatione conqueri sunt; sed postquam iis omnia exposita fuere, quæ Act. I. gesta erant, calculum suum incunctanter adjecerunt. Nec illis difficile, aut impossibile visum est, tot, tantasque res potuisse una die debita diligentia discuti, & determinari. Nam integra die a summo mane usque ad noctem Patres in Concilio sederunt; & duo præcipua controversiæ puncta jam constabant; scilicet qualis esset de mysterio Incarnationis universalis Ecclesiæ doctrina, & quales errores Nestorii; de utroque enim puncto jam summus Pontifex Cælestinus in Synodo Romana sua ediderat oracula. In Ægypto etiam, & Constantinopoli diu, multumque fuerat disputatum de nova Nestorii doctrina. Quamobrem mirandum non est, potuisse una integra die omnia rite peragi, quæ ad hanc litem finiendam pertinebant. Hinc recte Synodus Chalcedonensis can. 14. etiam hac de causa epistolam Ibæ ad Marin Persam condemnavit, quod inculparet Ephesinam S. Synodum, *tamquam sine examinatione, & quæstione* Nestorium condemnasse.

149. Tempore autem, & patientia Lectorum abutuntur hostes S. Cyrilli, dum eum aut odio Pulcheriæ Augustæ in Nestorium, aut corruptis immensa auri copia Aulæ Ministris abusum fuisse di-

dicunt, ad Nestorium æmulum, & adversarium suum opprimendum. Nugæ hæ sunt, & ineptiæ otiosis hominibus vendendæ, non autem inter eruditos proponendæ. Et Augustæ Puloheriæ pietas, & Cyrilli sanctitas sunt omnibus eruditis adeo perspectæ, & probatæ, ut nulla possint calumnia in suspicionem vocari. Deinde anne pecuniis suis potuit Cyrillus corrumpere Sanct. Cælestinum Papam cum tota sua Synodo, quando Nestorium ut hæreticum condemnavit? Anne tot Sanctos Episcopos, non solum eos, qui Ephesi fuerant in Spiritu S. congregati, sed etiam qui erant ubique terrarum dispersi? Anne Synodos œcumenicas subsequentes quartam, & quintam, quæ Ephesinam confirmarunt? Sed piget de hujusmodi rebus cum modernis quibusdam hypercriticis disputare, qui ex paucis, quæ supersunt, hujus magnæ controversiæ monumentis, totam retro antiquitatem, eos etiam, qui illius pars magna fuerunt, falsi audent postulare.

150. Dices. S. Isidorus Pelusiota Cyrilli minime inimicus, ad eum scripsit lib. 1. ep. 311. „ Multi ex iis, qui Ephesi coacti sunt, te tradu„ cunt, ut tuas inimicitias persequentem, & ul„ ciscentem, ac non ea, quæ Jesu Christi sunt, „ orthodoxe quærentem. Theophili, inquiunt, ex „ sorore nepos est, illiusque mentem, ac senten„ tiam imitatur. Ut enim ille perspicuum adver„ sus divinitus afflatum, ac Deo carum virum „ Joannem furorem effudit: sic etiam iste gloria„ ri, ac se jactare expetit, etiam sialioqui latum „ sit inter eos, qui accusantur, discrimen". Epist. 370. *Simultates*, inquit, ac dissidia comprime. Ne privatæ, ac domesticæ contumeliæ ultioem, qua tamquam ære quodam alieno a „ mortalibus obstrictus es, in viventem Ecclesiam „ deriva, atque æternam ipsi dissensionem pietatis specie, atque obtentu compara."

151. Resp., hæc scripsisse Isidorum falsis Orientalium rumoribus, atque clamoribus deceptum; & cum Cyrillum ut Filium suum diligeret, liberrime eum admonuit de iis, quæ contra ipsum spargebantur ab ejus implacabilibus hostibus. Ceterum quantum ad causam ipsam Ecclesiæ, Nestorii condemnationem & ipse urgebat, pro qua etiam epistolam Imperatori scripsit, ut Aulicorum, qui Nestorio patrocinabantur, potentiam reprimeret; additque, universum orbem terrarum ℣. Virginem Mariam ut Deiparam colere lib. 1. ep. 54. Sed hæc majore in luce ponentur sequenti

ARTIC. III.

De anathematismis, & orthodoxa S. Cyrilli fide.

152. Ut supra diximus, in brevi Nestorianæ hæreseos synopsi n. 8., Nestorii blasphemias nonnullis epistolis primum refutavit S. Cyrillus, ac postea iisdem duodecim opposuit anathematismos, quibus sana, & orthodoxa de Mysterio Incarnationis doctrina exponebatur, quos Nestorius recipere noluit, sed totidem anathematismis impugnavit. Nestoriani, ut controversiæ definitionem evitarent, recriminatione utentes, Cyrillum Apollinarismi, atque Ariafismi accusare cœperunt; eaque accusatio reipsa tantum valuit, ut apud Orientales Cyrilli fides suspecta redderetur: immerito tamen, ut sequens declarabit.

PROPOSITIO.

S. Cyrilli epistolæ, atque anathematismi injuria Apollinaris, atque Arii hæresis accusantur.

153. Ad omnem hujus falsæ accusationis labem abstergendam sufficere debuisset judicium S. Sedis Apostolicæ; quandoquidem a S. Cælestino ita Nestorio scriptum fuisse invenimus (in Litt. ad Nestorium I. P. Conc. Ephes. c. 38.): *Alexandrinæ Ecclesiæ Sacerdotis* (Cyrilli) *fidem & probavimus, & probamus. Et tu admonitus per eum eadem sentias nobiscum, si vis esse nobiscum*, o *Frater*. Idem etiam sanctissimus Pontifex in ep. ad Joannem Antiochenum vocat S. Cyrillum *strenuum catholicæ Ecclesiæ*, *& fidei defensorem*.

154. Sed quoniam Nestorius, aliique Cyrilli hostes Romani Pontificis judicio minime acquieverunt, alia ipsius orthodoxiæ documenta afferenda sunt. Primo tota Ephesina Synodus quæ ab universali Ecclesia debita veneratione ut œcumenica, atque infallibilis auctoritatis excepta fuit, Act. I. Cyrilli non minus, quam Nestorii doctrinam accurato examine perpendit. Post autem ita declaravit in Relatione ad Imperatorem Theodosium: „ Ac principio quidem Cyrilli, religiosissimi, sanctissimique Archiepiscopi epistolas de fide con„ scriptas, cum hac expositione (fidei Concilii „ Nicæni) contulimus, collatasque dogmatibus, „ ac sententiis *consentaneas* reperimus, *nec ulla in re doctrinam ejus ab illa expositione* „ *disoperantem*. Scribentes item iidem Patres ad „ S. Cælestinum R. P. ita de Cyrillo loquuntur „ Act. V. Lectæ deinde sunt litteræ, quas Sanctissimus, Deoque dilectissimus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus Cyrillus ad eum (Nestorium) „ scripserat, *quas S. Synodus approbavit, ut re„ cte, inculpateque exaratas, atque in nullo* „ *dissentaneas divinis scripturis*, traditæ videlicet fidei, & expositæ in magna illa Synodo a „ S. Patribus, qui Nicææ Bithyniæ olim convenerunt, sicut tua quoque Sanctitas id probans „ testificata est. Hoc testimonium Concilii Ephesini est testimonium doctrinale universæ Ecclesiæ, cui sine magno piaculo nemo refragari „ potest."

155. Atque hæc Apostolicæ Sedis, atque Ephesinæ Synodi judicia, tamquam ineluctabile suæ or-

orthodoxiæ documentum allegavit ipse Cyrillus in sua ad Theodosium Imp. apologia, inquiens: „ Fidei namque meæ *rectitudini* testimonium perhibuit & Romana Ecclesia, & sancta quoque Synodus, ex universo, ut dicam, orbe, qui sub cœlo est, congregata. Quod enim nulla ex parte ab evangelica, & apostolica traditione aberrarim; immo vero quod rectam, minimeque obliquam sacrorum dogmatum semitam teneam, id posteaquam epistolas, quas ad Nestorium perscripserain, legissent, *communi sententia confessi sunt omnes*, & quidem scripto in ipsa „ Fide monumentorum, rerumque gestarum.“

156. Idem postea, constansque fuit Ecclesiæ de ep. S. Cyrilli judicium. Nam in Synodo œcumenica Chalcedonensi in causa Eutychetis habita Act. II. cum lectæ essent duæ S. Cyrilli epistolæ, altera ad Nestorium, altera vero ad Joannem Antiochenum, Reverendissimi Episcopi exclamaverunt: *Omnes sic credimus, Papa Leo sic credit, Leo, & Anatolius sic credunt, omnes sic credimus, sicut Cyrillus, ita credimus; æterna memoria Cyrilli.* Et Act. V. in Definitione Fidei sacra Synodus, se *epistolas synodicas beatissimi Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulis ad Nestorium, & Orientales suscepisse* testatur. Et hæc quidem de S. Cyrilli epist. Nunc de ejusdem 12. anathematismis (a).

157. S. Cyrilli duodecim anathematismos fuisse in Synodo Ephesina probatos, aperte testatur Liberatus Diaconus in *Breviario* inquiens: „ Joannes Antiochenus cognoscens, quæ gesta fuerant „ Ephesi in damnatione Nestorii, *& illa duodecim capitula Cyrilli* in ipso Concilio *suscepta*, „ *& confirmata*, indignabatur valde contra Synodum.“ Id etiam testatus est Joannes Sebastenus Episcopus in epist. Synodica ad Leonem Augustum.

158. Sed longe majus, atque ineluctabile accedit testimonium Synodi V. œcumenicæ, quæ nonnulla Theodoreti scripta anathemate feriit, non alia de causa, nisi quia duodecim S. Cyrilli capitula impugnabant. Eademque censura feriit celebrem epistolam Ibæ ad Marin Persam, in qua laudati duodecim S. Cyrilli anathematismi hæreseos insimulabantur. Canone enim 13. ita sacrosancta Synodus definivit: „ Si quis defendit impia „ Theodoreti conscripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Ephesinam S. Synodum, & S. Cyrillum, *& duodecim ejus capitula* exposuit.... & non anathematizat ea, & „ eos, qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt: „ insuper autem & omnes qui scripserunt contra „ rectam fidem, & S. Cyrillum, *& ejus duodecim Capitula*, & usque ad mortem in tali impietate permanserunt, anathema sit.“ Et can. 14. anathema pronunciat in eos, qui defendunt epistolam Ibæ ad Marin Persam, hanc inter cæteras afferens rationem, quod *S. Cyrillum, qui rectam fidem Christianorum prædicavit, tamquam hæreticum, & similiter Apollinario impio scripsisse criminetur, & inculpet primam Ephesinam Sanctam Synodum, tamquam sine examinatione, & quæstione Nestorium condemnantem, & duodecim capitula S. Cyrilli impia, & contrarià rectæ fidei vocet.*

159. Accedit insuper testimonium Vigilii summi Pontificis, qui in Decreto, quo Rusticum, & Sebastianum Romanæ Ecclesiæ Diaconos deposuit, *Synodicam*, inquit, *beatæ recordationis Cyrilli epistolam ad Nestorium, cum duodecim capitulis S. Synodus Ephesina prima suscepit, & beata Chalcedonensis Synodus, ad convincendas Nestorii vesanias in definitione fidei legitur posuisse.* Simile testimonium reddidit Gregorius II. Pontifex Maximus in Professione fidei missa ad S. Germanum Episcopum Constantinopolitanum, ut proinde orthodoxa S. Cyrilli fides aliis testibus minime indigeat.

160. Ob. primo. Præter apertos Cyrilli hostes, Nestorium, Joannem Antiochenum cum suis Orientalibus, Theodorum Mopsuestenum, Theodoretum, Ibam, Andream Samosatenem, aliosque similes, Cyrilli doctrinam, & peculiariter XII. Capitula, hæreseos Arianæ, & Apollinaristarum accusarunt viri omnino orthodoxi, & a partium studio prorsus alieni. Talis fuit S. Gennadius Episcopus Constantinopolitanus, qui Cyrillo jam defuncto, Librum edidit contra ejusdem anathematismos, cujus nonnisi duo fragmenta supersunt apud Facundum Hermianensem lib. 3. c. 4., in quibus ita loquitur: „ Væ mihi a malis; heu.... „ Quales Cyrilli Ægyptii, & quantas blasphemias „ incurri, & quantas blasphemias audivi!... Omnem „ supereminentiam blasphemiæ jaculatus est adversus S. Patres, adversus eorum priores Apostoles, adversus ipsum Salvatorem in resurrectionem meditatus est. Assumptam quidem humanam

(a) Longe major fuit de orthodoxia Anathematismorum, quam epist. S. Cyrilli concertatio. Non solus enim Nestorius eos confutavit oppositis aliis 12. anathematismis, sed etiam Andreas Samosatenus, & Theodoretus Cyrensis eos damnarunt: quorum tamen accusationibus S. Cyrillus singulatim respondit. Eos acerrime impugnavit etiam Jo. Antiochenus cum suis Episcopis Orientalibus in Conciliabulo Ephesino, & non pauci alii. Sui ipsius defensionem non præterinisit S. Cyrillus tribus singularibus libris. Suffragatorem, & suæ causæ patronum habuit Marium Mercatorem, qui Nestoriana Capitula antirrethice solide refutavit. Eadem demum dissipatis primis illis officiis, quas controversiæ ansus induxerat, ab omnibus ut orthodoxa excepta sunt; quanquam P. Jo. Garnerius definiri non posse dicat, quandoquidem illi tam vexati anathematismi vim Canonum habere coperint. Eosdem in latinam linguam primo transtulit Marinus Mercator, postea autem Dion. Exiguus.

„ manitatem, ex nobis, & pro nobis injuriat: di-
„ vinam ejus naturam, & impassibilem passioni-
„ bus subjacere contendit ... Anathematizatmus est
te Deus, paries dealbate. Nec tamen, ut ibidem
pro re sua observat Facundus, fuit sancto illi Epi-
scopo aliquod negotium facessitum (a).

161. Resp., iis omnibus, qui vel studio partium male contra S. Cyrillum animati, vel propter disputationis æstum ejus mente non bene intellecta, orthodoxam ipsius doctrinam criminati sunt, longe præferendos esse eos testes, quos supra allegavimus, qui & numero, & auctoritate istis longe præcellunt; & quorum aliqui eo etiam majore fide digni sunt, quia controversia jam finita, rebusque pacatis facilius rei veritatem cognoscere potuerunt. Sic inter alios Jo. Antiochenus, omni simultate deposita pacem & concordiam cum Cyrillo iniit; & ipse Theodoretus acerrimus, si quis alius, capitulorum Cyrilli condemnator, in ep. 83. ad Dioscorum multa in laudem ipsius S. Cyrilli habet, ejusque verbis, & auctoritate in suis dialogis usus est contra Apollinaristas, ipsum enumerans inter eos, quos *orbis lumina, & fidei duces, ac magistros* appellat.

162. Non parum certe inolestiæ ingerunt terribiles illæ invectivæ, quibus sanctissimus, & laudatissimus Episcopus Gennadius Cyrilli jam defuncti memoriæ insultavit; cujus scripta fuerant jam in duabus Synodis Ephesina, & Chalcedonensi probata; adeo ut nonnulli de fide Hermianensis, apud quem solum hæc reperiuntur, dubitare malluerint. Sed si S. Gennadius ita in Cyrillum, orthodoxæ fidei athletam, debacchatus fuit, nævus certe hic est in sancto illo viro, virtutum aliarum, quibus refulsit, tegumento operiendus. Ex aliqua parte, licet non omnino, excusari etiam potest Gennadius, quia, ut ipse Facundus observat, *talia de Cyrillo non scriberet, nisi dicentis intentionem minus intelligisset ... Potuit enim & ipse de Christiana religione, quæ recta sunt, credens, non intellectum Beatum Cyrillum bona intentione culpare.*

163. Dices, S. Cyrillus ad pacem ineundam cum Orientalibus coactus est sua Capitula supprimere, & tacite saltem retractare, contraria scribens iis, quæ in suis anathematismis scripserat.

164. Resp. hoc esse manifeste falsum; siquidem narrat ipse S. Cyrillus in ep. ad Acacium Melitinensem, id quidem sibi fuisse propositum, sed tamen iniquam conditionem constanter repudiasse, „ Volebant, inquit, omnia aboleri, quæ vel „ epistolis (in ep. ad Nestorium illi anathema„ tismi continebantur.), vel tomis, vel libris vul„ gaveram, & soli filei, quæ a Ss. Patribus nos„ tris Nicææ edita fuerat, consentire. Ego vero „ ad ista ita rescripsi: *Expositioni fidei, quam „ Nicæni Patres edulerunt, adhæremus omnes, „ nihil eorum, quæ in ipsa continentur, labe„ factantes ... Quæ vero recte contra Nestorii „ blasphemias scripsimus, ea hujusmodi esse, „ ut nulla nobis ratione persuaderi possit, tub „ recte scripta esse negemus.*"

165. Ideo autem aliqui suspicati sunt S. Cyrillum sua capitula retractasse, quia magis Ecclesiæ pacis, quam sui honoris studiosus, tandem consensit, ut Orientales suis capitulis subscribere non cogerentur, contentus ea Fidei confessione, quam ad ipsum miserant, & quam ut orthodoxam & ipse subscripsit. Ita rem totam exponit etiam Facundus Hermianensis Lib. VI. cap. 4. inquiens: „ Quoniam beatus Cyrillus Orientalium „ legatione suscepta, magis quod a Consacerdoti„ bus suis expetebatur, festinavit implere, quam „ dictorum suorum, in quibus offensi fuerant, „ sufficientem purgationem facere, *ideo putatus „ est, veluti pristino errore damnato, Orienta„ lium admonitione conversus; cum ille recupe„ randæ unitatis cupidus, in defensione dicto„ rum suorum noluerit immorari*". Quæ, & alia ab Hermianensi allata manifeste ostendunt, S. Cyrillum pacis studio non exegisse ab Orientalibus suorum capitulorum subscriptionem, non autem eadem retractasse.

166. Dices secundo. Synodus Chalcedonensis Theodoretum tantummodo adegit ad dicendum anathema Nestorio, non autem ad ea retractanda, quæ contra XII. S. Cyrilli anathematismos scripserat, quod procul dubio exegisset, si vera fuisset, & orthodoxa anathematismorum doctrina.

167. Resp., eadem œconomia etiam Synodum fuisse usam, ne pax turbaretur, contentam, quod Theodoretus anathema Nestorio, ejusque hæresi diceret. Ita Leontius Byzantinus Acephalis eamdem difficultatem opponentibus „ *Respondemus*, inquit „ Act. VI., ob id non tam accusandam Synodum, „ quam Cyrillum hominem sanctum. Nam is com„ munione cum Orientalibus, & cum ipso Theo„ doreto constituta, non postulavit ab eo, ut ana„ themate scripta sua, quæ contra XII. capitula „ facta fuissent, execraretur. Quod igitur ipse „ Cyrillus, vir sanctus, non fecit, ob ejus inter„ missionem, an Synodus culpari meretur? " Nimirum longa experientia docuit, inter S. Cyrilli scripta, & scripta aliorum, qui hæresin Nestorianam ex animo damnabant, nonnisi verborum discrimen, & pugnam esse; & utrumque partem non

(a) Facundus Hermianensis in Africa Episcopus, dum pro trium Capitulorum scilicet Theodori Mopsuesteni, Theodoreti, Ibæ Edesseni, defensione scribebat, hoc loco mentionem fecit duorum sanctissimorum Episcoporum, scilicet Gennadii Constantinopolitani, & Isidori Pelusiotæ, a quibus (potissimum vero a primo) Cyrillus acriter reprehensus inveniter, quin tamen ipsi fuerint in Concilio V. damnati; unde inferebat Facundus, inique actum fuisse cum aliis tribus, qui non magis fuerant Cyrillum insectati.

non solum a Nestorii, sed etiam ab Apollinistarum, Arianorumque hæresi procul abesse. Quamquam de Theodoro Mopsuesteno, Iba Edesseno, & Theodoreto peculiaris quædam ratio dubitandi esset, ut postea videbimus.

168. Obj. secundo. Reipsa examinatis XII. Cyrilli anathematismis hæresis Ariana, & Apollinaria facile detegitur. Primus enim anathematismus sic habet: „ Si quis non confitetur, Deum esse „ Emmanuel, & propterea Dei genitricem S. Virginem, *peperit enim secundum carnem factum „ Dei Verbum*, anathema sit. “ Reprehendebantur illa verba, *secundum carnem*, quasi B. Virgo *carnaliter genuisse dicatur*, nempe ex virili commercio: secundo quod Verbum Dei fuerit in carnem conversum sensu Apollinaris.

169. Secundus anathematismus hic erat: „ Si „ quis non confitetur, carni *secundum subsistentiam* unitum Dei Patris Verbum, unumque esse „ Christum cum propria carne, eumdem scilicet „ Deum simul, & hominem, anathema sit. “ Hunc loquendi modum *secundum subsistentiam*, vel *hypostasim* Theodoretus reprehendebat tamquam insuitatum, & faventem hæresi Apollinaristarum, quasi Verbum sit in carnem conversum.

170. Tertius hic erat. „ Si quis in uno Christo dividit substantias post unitatem, sola ea conjunctione conjungens, quæ secundum dignitatem „ est, vel etiam auctoritatem, aut potestatem, & „ non potius conventu, qui per unitatem factus est „ *naturalem*, anathema sit. “ In hoc anathematismo primum redarguebatur Cyrillus, quod duas distinguere *substantias*, seu ὑποστάσεις, cum antea nonnisi unam dixisset: deinde quod unitatem diceret *naturalem*, quæ vox hæresim redolebat Arianam.

171. Quartus anathematismus hic erat: „ Si quis „ dividit personis duabus, vel subsistentiis eas voces, quæ in apostolicis scriptis continentur, & evangelicis, quæ de Christo a Sanctis dicuntur, „ vel ab ipso etiam de seipso, & has quidem veluti homini, qui præter Dei Verbum specialiter intelligatur, aptaverit, illas autem tamquam „ dignas Deo, soli Dei Patris Verbo deputaverit, „ anathema sit. “ Hoc anathematismo renovari dicebant hæresim Arii, & Eunomii, qui unicam in Christo agnoscebant naturam humanam, eique soli omnia, quæ de Christo in sacris litteris prædicantur, adaptabant.

172. Quintus anathematismus hisce verbis conceptus erat: „ Si quis audet dicere, Christum hominem θεόφορον idest *Deum ferentem*, ac non potius Deum esse veraciter dixerit, tamquam unum Filium per naturam, quod *Verbum caro „ factum est, & communicavit similiter carni, „ & sanguini*, anathema sit: “ Arguebatur hic Cyrillus perperam damnare vocem *Deiferum*, quæ a Sanctis Patribus usurpata fuit.

173. Sextus. „ Si quis dicit, Deum, vel Dominum Christi esse Dei Patris Verbum, & non „ magis eumdem ipsum confitetur, Deum simul „ & hominem, propterea quod *Verbum caro factum est* secundum Scripturas, anathema sit. “ Huic nihil aliud objiciebat Theodoretus nisi a Verbo assumptam esse *formam servi*, & propterea ab Isaia *servum* nominari.

174. Septimus. „ Si quis Jesum hominem operatione Dei Verbi dicit adjutum, seu συεργούμενον, & ei Unigeniti gloriam, tamquam alteri præter ipsum existenti tribui, anathema sit. „ Hæc Cyrilli verba contendebant Orientales cum illis Apostoli pugnare Ephes. 19. dicentis: *secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis*, & cum aliis S. Petri Act. II. 33. *Dexteræ Dei exaltatus*.

175. Octavus. „ Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, & conglorificandum, & connuncupandum Deum, tamquam alterum cum altero (nam *cum* syllaba semper adjecta hoc cogit intelligi), ac non potius una supplicatione veneratur Emmanuel, „ unamque ei glorificationem dependit, juxta quod „ *Verbum caro factum est*, anathema sit. “ In hoc Orientales Cyrillum sibi minime constare dicebant, utpote qui alibi Verbum Patri assidere *cum carne*, & sic adorari doceuisset.

176. Nonus. „ Si quis unum Dominum nostrum „ Jesum Christum glorificatum dicit a Spiritu sancto, tamquam qui aliena virtute per eum usus fuerit, & ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus, & posse in hominibus divina „ signa facere, ac non potius proprium ejus Spiritum dicit, per quem divina signa complevit, „ anathema sit. “ Hic rursum contradictionem inveniebant cum iis, quæ alibi Cyrillus docuit, nempe Christum non solum fecisse signa in spiritu, sed etiam post ipsum vivificatum a Spiritu. Et quidem ipse Christus testatus est, *se in spiritu Dei dæmonia ejicere*.

177. Decimus: „ Pontificem, & Apostolum Confessionis nostræ factum esse Christum divina Scriptura commemorat: *obtulit* autem *semetipsum „ pro nobis in odorem suavitatis Deo, & Patri*. „ Si quis ergo Pontificem, & Apostolum nostrum dicit factum, non ipsum Dei Verbum, quando „ *caro factum est*, & juxta nos homo, sed velut alterum præter ipsum specialiter hominem ex „ muliere: aut si quis dicit, & pro se obtulisse „ semetipsum oblationem, & non potius pro nobis solis; non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit, anathema sit. “ Objiciebant Orientales, id repugnare Apostolo dicenti Hebr. IV. 15.: *Non enim habemus Pontificem, „ qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia, pro similitudine absque peccato*; quod de humana Christi natura intelligi volebant.

178. Undecimus: „ Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse, & proptiam „ i-

„ ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius præ-
„ ter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, aut
„ quasi divinam habentis habitationem, ac non
„ potius, ut diximus, vivificatricem esse, quia
„ facta est propria Verbi, cuncta vivificare præ-
„ valentis, anathema sit. " Hunc anathematismum suspectum reddebant, quasi caro Christi non vere, & proprie humana caro fuerit, & nostræ similis. Theodoretus vero hunc anathematismum accusabat Apollinarismi, quod nec anima, nec animatæ carnis in eo fiat mentio; quasi anima Christi fuerit ipsum Verbum.

179. Duodecimus. „ Si quis non confitetur,
„ Dei Verbum passum carne, & crucifixum car-
„ ne, & mortem carne gustasse, factumque primo-
„ genitum ex mortuis, secundum quod vita est,
„ & vivificator ut Deus, anathema sit. " Hic autem conquerebantur, Divinitatem dici *passibilem*, sensu Apolliuaris.

180. Operæ pretium duxi, ipsa S. Cyrilli verba in medium afferre, ut ita facilius recta ejus doctrina & intelligi, & contra obtrectatores defendi possit. Neque enim alius fuit hujus Sancti Patris scopus, quam omnes Nestorii blasphemias, quæ ex capitali ejus errore duplicis in Jesu Christo personæ fluebant, sigillatim confutare. Qui etiam ad omnem a se amovendam suspicionem non semel, sed crebro professus est, se Arii, Photini, atque Apollinaris impia dogmata rejicere, ac detestari, atque in tribus libellis, quibus anathematismorum doctrinam exposuit, ac vindicavit, ita dilucide suam meutem declaravit, ut nullus fuisset contradicendi locus, nisi adversarii aut disputationis æstu, aut nimia in Nestorium propensione fuissent in transversum acti. Sed breviter singula explicemus.

181. Primo. Vitio vertebatur Cyrillo, quod dixerit, B. Mariam *carnaliter*, vel *secundum carnem* genuisse Dei Verbum. Respondebat vero Cyrillus in Apologetico: *Carnaliter dicere non est tollentis admirabilem Divinitatem, neque evertentis Spiritus sancti operationem, qua in utero formavit partum: sed docentis potius, quod sicut Deus gignitur divine, digne Deo, secundum suam naturam, ita homo humane, hoc est carnaliter*. Nempe non poterat melius exponi, quod S. Joannes dicit, *Verbum esse factum carnem;* & Patres Nicæni in Symbolo, Deum esse *incarnatum, & hominem factum*. Sed hæc doctrina displicebat Nestorianis, qui negabant, Verbum assumpsisse humanam carnem in unitate personæ, volentes personam Verbi fuisse unitam personæ hominis nexu morali, non hypostatico. Neque etiam metuenda hic erat Apollinaristarum insania, scilicet Verbum fuisse in carnem conversum; cum enim dicatur, Verbum esse factum carnem, & subdatur, habitasse in nobis, manifeste significatur, Verbum id mansisse, quod prius erat: alias non potuisset habitare in nobis.

182. De secundo anathematismo fatetur S. Cyrillus, illam vocem secundum hypostasim κατ' ὑποστάσιν novam esse, necessario tamen a se adhibitam ad excludendam illam unionem moralem secundum affectum, & inhabitationem, quam Nestorius introducebat; sicut in Concilio Nicæno nova vox ὁμοούσιος adhiberi debuit ad præcludenda Arianorum effugia; hac tamen voce non tolli duarum distinctionem naturarum; eam denique fuisse probatam in ipso Concilio Ephesino, quando probata fuit epistola ipsius S. Cyrilli ad Nestorium, in qua expresse dicebatur, *Deum Verbum univisse sibi secundum hypostasim carnem animatam rationali animæ*.

183. Tertium suum anathematismum ita orthodoxe exposuit S. Cyrillus, ut per duas substantias ὑποστάσεις hoc loco duas naturas intellexerit, quæ post unionem manent quidem distinctæ, sed non divisæ, ut volebat Nestorius, easdem non conjungens, nisi secundum *dignitatem, auctoritatem*, aut *potestatem*, non autem vera, ac *substantiali* unitate. Atque hoc sensu appellasse se hanc unionem *naturalem*, seu realem; non autem ut falso interpretabatur Theodoretus, quasi esset imo *coacta, & necessitate extorta;* quæ interpretatio est omnino falsa; nam etiam homo est *naturaliter* rationalis non tamen *coacte*, & contra suam voluntatem.

184. Quartum adhuc facilius explicabat Cyrillus, docens, omnes quidem voces, quæ in sacris litteris dicuntur de Christo, convenire divino Verbo; sed non omnes secundum eamdem naturam; alia enim de ipso prædicantur secundum naturam divinam, & alia secundum humanam; ut semper tamen unica sit persona, quæ secundum naturam divinam dicatur ab æterno genita ex Patre, secundum humanam autem in tempore nata ex Virgine Maria; quæ catholica est Mysterii incarnationis intelligentia, ut postea contra oppositos Eutychetis errores uberius declaratum fuit.

185. In quinto anathematismo testatur Cyrillus, se condemnasse vocem *Deiferum* in sensu Nestorii, qui non alia ratione Jesum Christum *Deiferum* appellabat, quam Moysem, ceteroscque viros sanctos, qui Deum in se habitantem per gratiam gestabant: non autem hanc vocem proscribere in eo sensu, quo a quibusdam Patribus ante Nestorium fuerat usurpata, *ut non particularem quamdam divinam gratiam suscepisse credatur, sed ut totam sibi unitam habeat Filii deitatem*.

186. Sexti anathematismi verba ita recte exponebat Cyrillus, ut Christus Dominus, qua homo est, servus dicatur æterni sui Patris, utpote persona ab ipso Patre distincta, sui tamen ipsius Deus, ac Dominus dici nequeat, *quia ipse idem simul est Deus, & homo;* sine personarum distinctione.

187. Septimum sic explicabat: non inficiari se operationes Verbi in natura humana, tanquam in instrumento sibi hypostatice unito; sed solum quod Verbum operatum sit in eadem natura humana, tamquam in altero a se disjuncto, seu in natura

humana, ut per se subsistente. „ Quod autem Pater ex mortuis resuscitasse Dominum Jesum dicatur, opere scilicet circa carnem ejus effecto, „ nemo est, qui ambigat. Ipse autem cum sit „ vita, & vivificator, & operatoria virtus Patris, „ suum vivificabat templum, juxta illud: *solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Itaque quod vivificabatur, non erat alienum, neque alicujus ex hominibus nobis similibus, sed proprium ipsius Verbi corpus. " Qua doctrina sic explicata nihil verius.

188. Octavi anathematismi explicatio a Cyrillo facta subtilis quidem est, attamen vera. Observabat enim, illam particulam conjunctivam *cum σὺν*, & *μετὰ* diversum sensum efficere posse, prout diversis rebus adaptatur. Si enim dixeris, animam honorari *cum* suo corpore, vel animam *cum* suo corpore unum animal esse, non propterea intelligitur, animam, & corpus duos esse homines, cum sint duæ ejusdem hominis partes. Sed si dixeris, Joannem *cum* Petro in templum ascendere, vel Petrum, & Joannem homines coappellari, non jam unum, sed duos homines significas. Recte ergo potuit dici, Verbum Patri assidere *cum carne*, quia hoc loquendi modo unus Filius significatur in duabus naturis subsistens. Haud recte tamen dici posse, *hominem coadorandum Deo Verbo & conglorificandum, & connuncupandum Deum tamquam alterum cum altero;* quia tunc idem est, ac dicere, duos esse adorandos, glorificandos, & nuncupandos Deos.

189. In noni articuli defensione Cyrillus calumniæ postulabat suos adversarios, nusquam enim se negasse ait, Jesum Christum per Spiritum sanctum signa edidisse, sed solum per Spiritum sanctum, tamquam per alienam virtutem; cum ipse Spiritus, per quem divina signa edidit, *ipsius proprius* fuerit; unde discrimen apparet inter ipsum, & Apostolos, qui signa ediderunt, sed *non in propria virtute:* Christus autem in virtute *Spiritus sibi proprii.*

190. Objectiones contra decimum anathematismum his verbis refellebat Cyrillus: „ Quando „ Deus factus est homo, vocatus est etiam Pontifex, non quod tamquam majori Deo offerret „ sacrificium; sed quod sibi ipsi & Patri fidei „ nostræ confessionem procuraret. Audiens, quod „ dictus est Sacerdos, erubescis? Deinde quomodo non admiratus es, quod non secundum Sacerdotum morem alteri delulerit sacrificii modum, sed sibi ipsi potius, & Patri? Quando „ dicis, indignum esse Deo, ut sacrificet, assentior & ego. Sed si solum esset, & absque carne Verbum, recte diceretur. At vero, qui factum est caro, vide & sacrificantem propter humanitatem, & in dignitatibus ultra creaturam, „ sicut Deum. Confidet enim cum Deo,. & Patre. " Nimirum totum discrimen inter Cyrillum, & Nestorium in hoc erat, quod Cyrillus nonnisi unam in Christo personam admitebat divinam, quæ officio Sacerdotis, & victimæ fungeretur secundum humanitatem; ipsi vero eidem offeretur sacrificium secundum divinitatem. Nestorius vero duas adstruebat, quarum altera offerret sacrificium, altera offerretur.

191. Undecimus anathematismus adeo perspicuis verbis conceptus erat, ut luculentius exprimi non posset, nimirum ea tantum ratione carnem Christi esse propriam Verbi, ut non sit alterius, in quo Verbum inhabitaret, excludendo videlicet aliam personam, cujus propria esset caro, nullatenus autem veritatem carnis nostræ negando. Pura autem ac putida erat cavillatio Theodoreti, quod nullam hic Cyrillus fecerit mentionem animæ, vel carnis animatæ; cum alibi non minus clare, quam crebro idipsum expresserit.

192. Postremi anathematismi verba omnem prorsus amovebant Apollinarismi suspicionem dum aperte explicabant, Dei Verbum esse quidem passum, crucifixum, & mortuum pro nobis, non tamen in divina sua natura, sed in *carne* assumpta. Solum igitur Nestorium adigebat Cyrillus, ut persona humana a Christo remota, unam confiteretur personam divinam in duplici natura subsistentem, quod Catholica, & orthodoxa Ecclesiæ fides docet.

193. Ex iis, quæ breviter pro explicatione XII. capitulorum S. Cyrilli attulimus, integra ejus fides, & injusta Orientalium accusatio luculenter apparet, ut vere S. Antistes de Joanne Antiocheno ita conqueri potuerit in suo *Apologetico: Mentiens dicit, quod cum impio Apollinari sentiamus, & execranda, impiaque Arii, & Eunomii dogmata approbemus. Fecit autem hoc, ut dixi, implacabilis iræ impulsibus omnem lapidem movens, totasque impio furore, & arrogantia habenas permittens.*

194. Dices. S. Cyrillus non immerito suis adversariis suspicionem Apollinarismi præhebat, quia in sua epistola ad Acacium Melitinensem, & in alia ad Valerianum Iconiensem scripserat, *unam esse naturam Verbi incarnatam;* perinde ac Apollinaristæ dogmatizabant, negantes in Christo naturam divinam.

194. Resp., S. Cyrillum omnem a se Apollinarismi suspicionem amovisse, dum clarissime docuit, nomine naturæ incarnatæ intellexisse Personam ipsam divinam in duabus naturis subsistentem; quo sensu etiam ab aliis hanc vocem aliquando usurpatam fuisse novimus. Sui interpretem egit Cyrillus, ita scribens epist. secunda ad Successum: „ Si *unam naturam* dicentes Dei Verbi, tacuissemus, non inferentes *incarnatam*, sed veluti „ abjicientes dispensationem, erat illis forsitan non „ improbabilis sermo, simulautibus interrogare, „ *ubi est in humanitate perfectio, aut quomodo substantia nostra subsistit?* Quoniam vero & „ perfectio, quæ in humanitate est, & essentiæ „ nostræ manifestatio illata est per id, quod dictum est *Incarnati*, jam desinant, arundineam

„ vir-

„ virgam sibi supponentes &c. “ Ita hanc S. Cyrilli propositionem explicarunt etiam S. Gelasius in Lib. contra Eutychem, S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus apud Photium in *Biblioth.* cod. 230., S. Ephræmius Patriarcha Antiochenus, apud eundem Photium Cod. 229., S. Maximus in *Expositione vocum quarumdam, quibus utitur Ecclesia Catholica, cum de Christo agitur*, aliique; ut futilis sit vitilitigatio, incontaminatam hujus S. Patris fidem propter hanc vocem in dubium vocare.

196. Eadem voce postea usus est S. Flavianus Constantinopolitanus in sua Fidei professione, inquiens: *Unam quidem Verbi Dei naturam, incarnatam tamen & inhumanatam dicere non negamus, eo quod ex ambabus unus, atque idem sit Dominus noster Jesus Christus*. Imo Synodus Lateranensis sub Martino I. ita definivit: *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie, & secundum veritatem unam naturam Dei Verbi incarnatam .... sit condemnatus*.

197. Dices secundo. Idem S. Cyrillus in epist. II. ad Successum asserit, duas in Christo naturas *sola mentis cogitatione* distingui.

198. Resp. id falsum esse; solum enim negat, duas Christi naturas post unionem posse a se mutuo segregari. Qua in re utebatur exemplo hominis, in quo certe anima & corpus reipsa distinguuntur, ita tamen in una hominis persona uniuntur, ut illæ duæ naturæ aninæ & corporis, *non jam sint duo, sed utrumque animal unum absolvatur*. Et hæc de S. Cyrilli recta, & orthodoxa fide. Quæ autem ad hanc controversiam pertinent, una simul collecta fuere in III. P. Concilii Ephes. Collect. Labbeanæ T. III.

199. Quæres primo, quid de Joanne Antiocheno sentiendum sit? An fuerit hæresi Nestoriana implicitus?

200. Resp. Quid in Concilio Ephesino Joannes Antiochenus egerit, ut Nestorio gratificaretur, supra breviter exposuimus n. 15.; eo enim progressus est in suo Orientalium conciliabulo, ut S. Cyrillum, & Memnonem Episcopum Ephesiuum e Sacerdotio deponeret, sententiam depositionis in Nestorium latam ultimis. Ipsum tamen nunquam Nestorii erroribus adhæsisse, multa sunt, quæ manifeste demonstrant.

201. Primo se aversum a Nestorianis blasphemiis satis ostendit Joannes in ea epistola, quam, acceptis Sancti Cælestini litteris, ad Nestorium scripsit, ubi postquam multa de pace in Ecclesia conservanda egregie exposuisset, ita pergit: “ Enim„ vero licet Dominus meus Cælestinus Deo devo„ tissimus Episcopus decem tantum dierum inter„ vallum, terminum usque responsioni præfinitum „ valde angustum, litteris suis interposuerit: ta„ men res hæc hujusmodi est, ut non dico decem „ diebus, sed uno, imo vero paucis horis, tota „ confici posse videatur. Nam quid facilius est, „ *quam nomine commodo, multisque sanctis Pa*„ *tribus usitato, & vero nihilominus, salutari*„ *que ex Virgine ortui percongruo, in Christi* „ *omnium nostrum Regis dispensatione uti?* Cum „ hoc ergo neque grave, neque periculosum sit, „ æquum non est, ut Sanctitas tua illud refutet. „ Neque id nunc apud se cogitet, turpe esse sibi „ pugnantia docere. Si enim mens tua eadem sa„ pit & sentit, quæ sancti Patres, atque Docto„ res, quorsum vereris pium animi tui sensum „ convenienti voce publicare? “ Neque vero Joannes contentus erat, si vocem *Deiparam* tantummodo admitteret, sed exigebat insuper, ut rectam ipsius notionem atque intelligentiam profiteretur. „ Etenim, subdit, si id quod nominis significa„ tione offertur, non recipimus, restat, *ut in gra*„ *vissimum errorem prolabamur*: immo vero ut „ circa inexplicabilem illam unigeniti Filii Dei „ œconomiam *periculosissime* versemur: quando„ quidem nomine hoc sublato, vel potius hujus „ nominis notione repudiata, *sequitur mox, il*„ *lum non esse Deum*, qui admirabilem illam „ disputationem, nostræ salutis causa suscepit; „ tum Dei Verbum neque se exininavisse, neque „ in servi formam se dimittens ineffabilem quam„ dam benignitatis magnitudinem humano generi „ exhibuisse “. Pluraque ejusdem generis addit Joannes, quæ rectam illius fidem in ipso hujus controversiæ exordio testatam faciunt.

202. Post autem discordiæ incendio crescente visus est Joannes Nestorii causæ ita patrocinari, ut non iumerito ejus fides suspecta fuerit. Verumtamen se nunquam ab orthodoxa, sanaque doctrina recessisse monstravit, cum æstu disputationis jam remisso, Paulum Emisenum Episcopum Alexandriam ad S. Cyrillum misit, pacis nuncium, & arbitrum. Hic enim, & suo, Cyrilli, & omnium Orientalium nomine in publica Concione, ipso Cyrillo præsente: *Peperit*, inquit, *Dei genitrix Maria Emmanuelem. Qui ita non dicit, anathema sit ab Ecclesia*. Et rursus, „ Duarum „ naturarum perfectus concursus humanæ scili„ cet, ac divinæ, *unum nobis constituit Filium*, „ *unum Christum, unum Dominum*. Qui vero „ dicunt, duos esse Filios, eos anathematizamus, „ & e sacris Ecclesiæ septis explodimus. “ Multaque alia ejusdem generis adjecit, quibus non solum hæresis, sed etiam persona Nestorii condemnabatur. Quibus auditis, populus semel, iterumque Paulo acclamavit: *Bene venisti, orthodoxæ Episcope* &c. Paulus vero eamdem orthodoxam fidem iterum palam prædicavit in Homilia Kal. Januarii, quæ duæ Homiliæ concordis utique doctrinæ testes in III. P. Concilii Ephesini continentur.

203. Ulterius Orientales Episcopi ad omnem suspicionis umbram removendam Apologiam ediderunt, quam non solum approbavit, sed etiam vindicavit S. Cyrillus, ita ad Acacium Melitinensem scribens: „ Quia Sanctissimi Orientales Episcopi; „ cum Ephesi essent, a nobis dissentiebant, ea-

„ que

„ que de causa blasphemiarum Nestorii laqueis „ irretiti tenerentur, suspecti erant, ut eo crimine se liberarent, incultatæque fidei amatoribus „ per omnia satisfacerent, ac Nestorianæ impietatis se expertes esse ostenderent, Apologiam „ composuerunt, & id quidem admodum prudenter; tantum abest ut hoc ipsorum factum aliqua omnino nota aut reprehensione dignum videatur. Et in alia Epistola ad Valerianum Iconii Episcopum: Religiosissimi, inquit, totius „ Orientis Episcopi, una cum Domino meo Joanne religiosissimo Ecclesiæ Antiochenæ Episcopo, scripta dilucidaque confessione palam fecerunt, se profanas Nestorianarum vocum novitates, æque ac nos, condemnasse, & anathematizasse, seque nullo unquam loco eas habuisse, verum Evangelica, & Apostolica dogmata sectatos esse, sanctorumque Patrum confessioni nullatenus adversari. Professi adhuc sunt, perinde ac nos, *sanctam Virginem Dei genitricem esse*, nec adjecerunt, quod *Christi genitrix sit*, aut *hominis genitrix*, quemadmodum dicunt „ qui infelices, execrandasque Nestorii opiniones „ tuentur. " Hæc clarissime evincunt, nunquam Orientales impiis Nestorii blasphemiis consensisse, nec verum esse, quod quidam initæ concordiæ inimici in vulgus spargebant, Joannem a pluribus amicis sollicitatum, & metu Imperatoris sententiam mutasse (*a*).

204. Quod falsissimum esse, etiam comprobatur auctoritate Sixti III. Pontificis Maximi, qui in epistola ad S. Cyrillum ita de Joanne scribebat: „ Non se exuli vestro (Nestorio) sanctus „ frater noster Joannes addiderat; non ejus est „ blasphema præcidatione deceptus. Nam, quantum rerum exitus docet, suspendit suam sententiam, non negavit ".

205. Accedunt etiam quædam testimonia posteriora, ut Leontii Byzantini, qui in Libro *de sectis* Act. IV. ita de Joanne Antiocheno scribit: *Cyrillum quidem oppugnabat, invicemque se anathemati subjiciebant, non tamen Nestorium admittebat*.

206. Obj. Joannes Antiochenus una cum Episcopis Orientalibus fuit a tota Synodo Ephesina hæresis Nestorianæ accusatus. Nam primo in Relatione ad Imperatorem dicitur, eos noluisse damnationi Nestorii subscribere, *quia aperte cum illo sentiebant*. Idem dicunt in epistola Synodica ad Clerum Constantinopol. Cyrillus etiam ejusdem impietatis eos accusat; immo in epist. ad Clerum Constantinopolitanum refert, quosdam eorum fuisse testatos, *paratiores se esse, ut manus suas amputandas præbeant*, quam ut voci *Deiparæ* subscribant; eosque propterea vocat *hæreticos declaratos*.

207. Resp., has, similesque accusationes fuisse ortas non ex certa rei notitia, sed ex vehementi suspicione, prout ipsi Patres Ephesini in Relatione missa ad Imperatorem postea declararunt, dicentes: „ Erat autem hæc nostra de Joanne religiosissimo *suspicio* non inanis, nec vana. Nam „ cum primum appulisset Nestorii sententiæ sese „ adhærere aperte S. Synodo declaravit: sive hoc „ inde evenerit, *quod amicitiæ gratificaretur*, „ sive inde quod in dogmatis errore cum eo com„ municaret ". Qua disjunctiva locutione se omnino certos non esse, declararunt.

208. S. etiam Cyrillus profitetur, se non de omnibus loqui, sed de quibusdam tantummodo, quosdam autem fuisse vere Nestoriana lue infectos certum est, ut quatuor Episcopos Helladium, Eutherium, Himetium, & Dorotheum, qui una cum Nestorio damnati, & depositi fuerunt. De aliis vero vel id tantummodo suspicatus est, vel si id sensit, veritate postea comperta sententiam mutavit. Atque hac in parte ea potius credenda sunt, quæ S. Cyrillus testatus est rebus ex utraque parte magis discussis, & declaratis, quam ea, quæ fervente disputatione, immo nato jam schismate de suis adversariis protulit. Nimis facile enim erat credere, Orientales non esse a doctrina Nestorii alienos, qui ejus personæ adeo pugnaciter adhærebant.

209. Dices. Orientales acriter XII. Sancti Cyrilli anathematismos impugnarunt, nec etiam in pace inenda adduci unquam potuerunt, ut eos susciperent: contrariam ergo his doctrinam profitebatur, quæ alia esse non poterat, quam Nestoriana. Quid plura? Ipsam Synodum Ephesinam repudiarunt, quæ tamen & legitima, & œcumenica fuerat: hæretici ergo erant.

210. Res., Orientales, non jure, sed facto tantummodo errasse, nec contumaces in errore perseverasse. Anathematismos rejiciebant, non pro defensione Nestorianæ hæreseos, sed timore hæreseos

(*a*) Aliqui Orientalium ne viderentur injuste se a Cyrillo separasse, ipsum dicebant a pristinis erroribus resipuisse, ac propterea se cum eo communionem renovasse; quod eo facilius sibi, & aliis persuadere potuerunt, quia Cyrillus tacite consensit supressioni suorum anathematismorum, contra quos maxime debachati fuerant Orientales. Ita Theodoretum sparsisse inquit Cyrillus ipse in epist. ad Acacium Melitinensem, & ita etiam Theodoretus in epist. ad Himerium, dicens, doctrinas Cyrilli posremas esse contrarias 12. Capitulis, & Liberatus in *Breviario* cap. 8. *Dubitantibus*, inquit, *ex Episcoporum numero adhuc aliquibus Cyrillo communicare, putantibus eum errasse, & postea veritatem agnovisse, & culpantibus Joannem, cur ab eo non exegerit capitulorum ejus damnationem*. Vicissim alii contendebant, Joannem a Domno, suo ex sorore nepote rogatum (ut Cotelerius habet T. I. *Monum.* p. 47.), item a Juvenali Jerosolymitano, præcipue vero a Rom. Pontifice Sixto III. sollicitatum, ac minis Theodosii Imperatoris territum sententiam mutasse, & deserta Nestorii doctrina, ad Cyrillianam transisse.

seos Arianæ, & Apollinariæ, & quamquam hic timor inanis fuerit, & vanus, illi nihilominus suis præjudiciis præoccupati id vere metuere protestabantur. Doctrinam tamen S. Cyrilli in epistolis expositam non repudiarunt, ex quo satis superque constabat, ab iisdem non rejici anathematismos propter orthodoxam doctrinam, sed propter suspicionem errorum, quos in illis videre sibi videbantur. Synodum vero Ephesinam eo tempore rejecerunt, quo nondum universalis Ecclesiæ consensu recepta fuerat; & non solum tota eorum factio illi resistebat, sed multi etiam Anlici, una cum ipso Imperatore. Nonnulli autem alii Episcopi suspensi, & ancipites hærebant propter ea, quæ de Cyrilli violentia, & iniquis artibus a Nestorianis ubique divulgabantur. Ceterum nebulis dissipatis ejusdem Synodi decretis se humiliter submiserunt, & docilem animum, qualis Catholicos decet, ostenderunt.

211. Quæres secundo, quid sentiendum sit peculiariter de Theodoro Mopsuesteno, de Iba Edesseno, & Theodoreto Cyrensi Episcopis, seu de *famosis* tribus Capitulis?

212. Resp. Inter Nestorianæ factionis homines tres supra recensimus maxime notatos, scilicet Theodorum Mopsuestenum qui, communiter pro Nestorii magistro habitus fuit: Idam Edessenum, cujus famosa est epistola ad Marin Persam, Nestorianis blasphemiis infecta, & Theodoretum Cyrensem, qui diu, multumque concordiæ inter Cyrillum, & Joannem Antiochenum initæ restitit, nec nisi obtorto collo in Nestorii damnationem, & depositionem consensit: immo Cyrilli jam defuncti piis manibus non desiit oblatrare, ut constat ex fragmento Sermonis quod fuit in Synodo V. recitatum Collat. V., & legitur inter excerpta Theodoreti a Mario Mercatore latine reddita; & multo magis ex ejus epistola (si tamen genuina est) ad Dominum Joannis Antiocheni successorem. Hinc quamvis possit fortasse Theodoretus ab hæresi Nestoriana excusari, quod multi censent, excusari tamen non poterat a dicacitate, & petulantia, qua S. Cyrillum, sanctamque Synodum Ephesinam insectatus est.

213. In Concilio Chalcedonensi celebrato anno 451. quamquam fuit doctrina S. Cyrilli, & Synodus Ephesina approbata, Nestoriusque iterum anathemate percussus, nulla tamen mentio facta fuerat Theodori Mopsuesteni, utpote qui in pace Ecclesiæ jam obierat: Theodoretus autem, & Ibas postquam in Nestorium dixissent anathema, sedi Episcopali restituti fuerunt. Hinc Eutychiani Chalcedonensis Synodi, a qua damnati fuerant, hostes implacabiles, hanc etiam causam, eamdem Synodum non recipiendi prætexebant, quod hæc tria Capitula, Theodorum scilicet, Theodoretum, & Ibam non condemnasset, unde totam Synodum Nestorianismi suspicione infamare conabantur.

214. Anni pene centum jam effluxerant post Synodum Chalcedonensem, & Eutychiani, maxime autem qui Acephali dicebantur, turbas ubique ciere non cessabant, cum Justinianus Imperator pacis restituendæ cupidus, hortante Theodoro Cæsariensi, de condemnatione trium Capitulorum cogitare cœpit, sperans, posse hac damnatione Acephalos ad pacem, ac concordiam adduci. Obstabat tamen, vel potius obstare videbatur auctoritas Concilii Chalcedonensis, in quo, ut mox dictum est, hæc capitula condemnata non fuerant (*a*).

215. Obstabat quoque, quod illi triumviri mortui jam essent, & quidem in pace Ecclesiæ. „ Quod „ si adhuc viveret (inquiebat Pontianus Epi„ scopus Africanus in epist. ad Imperator.) & er„ rorem suum non emendarent, justissime damna„ rentur. Nunc autem quibus recitabitur senten„ tia condemnationis nostræ? Quod in eis recor„ rigatur non est ..... Et quid nobis cum mortuis „ inire bellum, ubi nulla invenitur in congres„ sione victoria? Apud Judicem verum jam te„ nentur, a quo nullus appellat. „ Et multa alia addebat, suadens, ne causa jam mortuorum retractaretur.

216. Sed omnia frustra. Imperator Justinianus propositi sui tenax damnationem trium Capitulorum omni vi urgebat, eamque demum obtinuit a Pontifice summo Vigilio in litteris privatis propria manu exaratis, quibus non contentus, Pontificem sollicitare non destitit, quousque is in *Judicato* ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum anno 548. palam tria capitula condemnaret, addita tamen clausula, *salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis* (*b*). Neque etiam id fecit Vigilius, nisi postquam omnes Orientales E-

(*a*) Opinio multorum fuit, Theodoretum, subdolum hominem, atque Imperatoris gratia admodum potentem, hac arte fuisse usum, ut Chalcedonensis Synodi auctoritatem labefactaret. Atque hæc causa erat potissima, cur plerique trium Capitulorum condemnationi pertinaciter resisterent. Inter hos autem eminebat Facundus Hermianensis in Africa Episcopus, qui editis XII. Libris, omni eruditione refertis, pro defensione trium Capitulorum strenue pugnavit. Sed vitio illi dandum, quod etiam postquam ea Capitula, tam Pontificis, quam Concilii V. auctoritate damnata fuerant, pertinaciter in sua sententia permanserit, & Schisma potius facere maluerit, & sui Sacerdotii jacturam, atque exilii pœnam perpeti, quam Capitula illa damnare.

(*b*) Hoc Vigilii *Judicatum* valde displicuit Occidentalibus, præcipue autem Africanis, qui anno 550. facta conspiratione se a Romani Pontificis communione seperarunt. Illud autem acriori „ & petulanti stylo Facundus in *Libro contra Mocianum*, Vigilium *prævaricationis* accusans. Vigilius autem datis ad quosdam nobiliores Episcopos litteris, aperte ostendit, se nihil contra Chalcedonensis Concilii auctoritatem, & reverentiam admisisse, declarans, se *œconomia* quadam, *disputatione*, ac *condescendentia* usum, ad *refrænandæ*

Episcopi voluntati Imperatoris cesserant, atque sententias omnium illorum Episcoporum, qui tunc in regia urbe morabantur, sibi scripto traditas diligenter examinavit.

217. Brevi tamen Pontificem suæ *Condescendentiæ* pœnituit; postquam scilicet audivit, maximam Episcoporum Occidentalium partem esse adeò offensam, ut totius Occidentis schisma metuendum esset. Quamobrem Imperatorem enixe rogavit, ut Synodus œcumenica haberetur, in qua Episcopi Occidentales, *quorum fuerat scandalizata fraternitas*, pari numero cum Orientalibus causam hanc discuterent. Annuit Imperator, & Synodus œcumenica indicta fuit, anno 551. celebranda. Sed cum paucissimi Occidentales Episcopi adfuissent, ut eorum numerus cum Orientalibus exæquari non posset, Vigilius Synodo interesse noluit, quamvis perhonorifica legatione ad ipsum invitatus. Promisit tamen, se separatim a Synodo sententiam suam in hac trium Capitulorum causa laturum (*a*).

218. Interim Orientales Synodo principium dederunt IV. nonas Maii, apertissime protestantes, se quatuor œcumenicas Synodos jam celebratas recipere, omniaque ea credere, quæ in iis definita fuerunt, eos autem, quos laudatæ quatuor Synodi condemnarunt, se quoque damnare, atque in omnibus sequi se orthodoxorum Patrum doctrinam. Post autem in Collatione IV. lectæ fuerunt 60. & amplius sententiæ excerptæ ex dogmaticis operibus Theodori Mopsuesteni, ac denique examinatum illius Symbolum, quod fuerat a Charisio Patribus Synodi Ephesinæ oblatum, ab ipsis autem, ut Nestoriana lue infectum cum execratione reprobatum, cujus examine absoluto Patres conclamarunt: *Hoc Symbolum Satanas composuit. Hoc Symbolum Ephesina prima Synodus, una cum auctore ejus anathematizavit. Anathema Theodoro Mopsuesteno ... anathema illis, qui non anathematizant eum.*

219. Collatione autem V. lectis iterum omnibus monumentis, quæ ad causam Theodori pertinebant, ejusque impietatem probabant, sententia anathematis jam lata demo confirmata fuit. Prius tamen ad omne dubium tollendum, variis rationibus, & exemplis demonstratum fuit, etiam post mortem hæreticos condemnari posse, quamvis in vita condemnati non fuerint. Atque insuper repertum, nomen Theodori jamdiu e sacris dypticis Ecclesiæ Mopsuestenæ fuisse erasum, illusque loco fuisse positum nomen S. Cyrilli: unde consequebatur, aut Theodorum fuisse mortuum extra Ecclesiæ communionem, aut ab Ecclesia ejectum post mortem.

220. Post autem in eadem V. Collatione lecta sunt ea, quæ Theodoretus multis in locis suorum Operum scripsit contra S. Cyrillum, & sanctam Ephesinam Synodum, quibus perlectis sic Patres concluserunt: *Ex his, quæ Theodoretus impie conscripsit, miranda est subtilitas S. Chalcedonensis Synodi. Sciens enim ejus blasphemias, prius quidem multis sæpius usa est contra eum exclamationibus: postea vero non aliter eum suscipisset, nisi prius anathematizasset Nestorium, & ejus blasphemias, pro quibus antea scripsit, defendens eas.*

221. Collatione VI. examini subjecta fuit epistola Ibæ ad Marin Persam, Nestorianis erroribus respersa, atque observatum, Ibam in Concilio Tyri fuisse adactum ad hanc suam epistolam ejurandam, ut ab accusatione Nestorianismi se purgaret: immo ad ipsum Nestorium palam anathematizandum, atque ad Ephesinam Synodum recipiendam. In Concilio autem Chalcedonensi, fuisse quidem fidem Ibæ receptam, non autem epistolam ipsius, neque enim esse toti Synodo tribuendum, quod pauci Episcopi de epistolæ orthodoxia dixerunt. Denique in eadem Synodo debuisse Ibam Nestorio anathema dicere. Quamobrem Patres Synodi V. decreverunt, damnandam esse epistolam Ibæ, utpote ab ipso Concilio Tyri jam multo antea damnatam, unde omnes exclamaverunt: *Epistola hæretica est. Epistolam, quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus. Istam omnes anathematizamus. Epistola aliena a Synodo est. Epistola contraria definitioni est. Tota epistola blasphema est. Qui hanc non anathematizat, hæreticus est. Qui eam suscipit, non confitetur, Deum Verbum hominem factum esse. Qui eam suscipit, Cyrillum non suscipit. Anathema Theodoro, & Nestorio, & epistolæ, quæ dicitur Ibæ. Qui epistolam recipit, rejicit Sanctos Patres Chalcedonenses; qui non anathematizat epistolam, injuriam facit Patribus Chalcedonensibus.* Atque hunc exitum celebris causa trium Capitulorum in Synodo V. habuit.

222. Solemni huic trium Capitulorum condemnationi deerat Vigilii Rom. Pontificis confirmatio, qui Synodo neque præesse, neque interesse voluit, immo antea jam celebre suum *Constitutum* ediderat, in quo variis rationibus probabat, omnia eo in statu relinquenda esse, quo in Concilio Chalcedonensi posita fuerant, ac per centum, & amplius annos remanserunt (*b*). Huic *Consti-*

scandala. Afri tamen, Illyriciani, & Dalmatæ omnem cum Vigilio communionem suspenderunt.

(*a*) Vigilius Synodo interesse noluit, quod eam *canonicam* non judicaret, absentibus Occidentis Episcopis, ad quorum animos placandos Synodum cogi volebat. *Sine consensu omnium*, inquiebat Vigilius, *ista, quæ & Synodum Chalcedonensem in dubium venire faciunt, & scandalum fratribus meis generant, solus facere nullatenus acquiescam* in epist. Cleri Romani ad Legatos Gallicanos. De restitutione enim pacis, & concordia cum Episcopis Occidentalibus erat Vigilius anxie sollicitus.

(*b*) In eo *Constituto* Vigilius Theodori Mopsuesteni blasphemias proscribit, sed ejus nomini parcit, quem-

tuto Episcopi sex supra centum subscripserant, quorum decem ex Italia erant, duo Orientales, tres ex Illyrico, & unus ex Africa.

223. Illud tamen *Constitutum*, sibi a Vigilio transmissum, Justinianus minime Patribus communicandum censuit, ne trium Capitulorum condemnatio, ab ipso vehementer exoptata retardaretur, ipsis solum communicavit *Judicatum* Vigilii, & duas ejusdem litteras, quibus tria Capitula & ipse damnabat; unde inferebatur, sententiam Concilii esse menti Pontificis omnino consonam. Quamobrem Collat. ultima omnibus compendio recensitis, quæ in superioribus Collationibus gesta fuerant, iterum trium Capitulorum condemnatio repetita, & confirmata fuit, subjectis etiam 12. anathematismis, quorum tres postremi trium Capitulorum causam suscipiunt. Hoc tamen notandum est discrimen, quod in XII. non solum scripta, sed etiam persona ipsa Theodori anathemati subjicitur; in duobus vero aliis condemnantur quidem scripta Theodoreti contra Sanctum Cyrillum, & Synodum Ephesinam, & epistola Ibæ, ipsæ tamen personæ Theodoreti, & Ibæ, utpote quæ ad pacem Ecclesiæ Concilio Chalcedonensi receptæ fuerant, minime proscribuntur.

224. Reliqui autem hujus Concilii canones directi erant contra duas oppositas hæreses Nestorianorum, & Eutychianorum, quæ fuerant quidem in duobus præcedentibus condemnatæ, non tamen distinctis canonibus; quod ad præcludenda hæreticorum effugia necessarium videbatur. Horum canonum auctor fuit Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, vir & morum sanctimonia, & doctrinæ puritate admodum clarus. Imprimis vero sarta, tectaque summa religione conservata sunt quæcunque in Concilio Chalcedonensi fuerant definita; quod Concilium una cum aliis tribus præcedentibus Patres Synodi V. se venerari, ac recipere sæpius testati sunt, ut ansa calumniandi iis præriperetur, qui Synodi IV. auctoritatem fuisse in Synodo V. labefactatam suspicabantur.

225. Incertum est, an Vigilius Synodum V. approbaverit; certum est tamen, eumdem summum Pontificem tria capitula condemnasse, postquam examinatis Synodalibus actis omnino cognovit, id sine injuria Concilii Chalcedonensis fieri posse; in quo sin minus expresse, tacite saltem, & implicite fuerant ipsa Capitula condemnata, quando acta Concilii Ephesini, una cum S. Cyrilli epistolis approbata fuere. Id præstitit Vigilius suo peremptorio decreto die 23. Februarii anno 554. Accedente igitur consensu Romani Pontificis Synodus V. merito ut œcumenica habita fuit: atque ut œcumenica a Vigilii successoribus Pelagio I., Joanne III., Benedicto I., Pelagio II., & Sancto Gregorio Magno laudata. Fuerunt quidem in Occidente multi Refractarii, ac potissimum Episcopi Venetiarum, qui schismate facto se ab Ecclesia separarunt: verumtamen rebus magis explicatis, ac defervescente disputationis æstu schisma sublatum est, & trium Capitulorum condemnatio una cum Synodo V. universim in Ecclesia Catholica recepta (*a*).

226. Ceterum tota hæc controversia, quæ magna animorum contentione diu agitata fuit; & ex qua schisma inter totum Occidentem, & Orientem facile enatum fuisset, nisi Vigilii, ejusque successorum prudentia illud prævertisset, hæc inquam controversia non de fidei dogmatibus fuit, in quibus una erat omnium Ecclesiarum sententia, sed tantum de tribus Episcopis, eorumque scriptis. Quamobrem nihil ex ea proficiunt, qui inde eliccre conantur, Romanum Pontificem ex cathedra definientem falli posse, aut esse Synodis universalibus subjectum. Id testatus est Pelagius uterque I. & II.; ille quidem in epist. ad Childebertum Regem Francorum, iste autem in epist. ad Episcopos Istriæ cap. 5.; tum postea etiam S. Gregorius Magnus; quorum testimonia videri possunt apud Natalem Alexandr. Dissert. IV. in Sæcul. VI., ubi hanc quæstionem solita suæ eruditionis copia pertractat (*b*).

227.

admodum pepercerat Synodus Ephesina: superfluum dicit Theodoreti scripta damnare, cum S. Cyrillus, & Synodus Chalcedonensis nihil aliud ab eo exegerint, nisi ut Nestorio anathema diceret. De Iba autem nihil retractandum esse vult, post Concilium Chalcedonense. Hoc autem *Constitutum* maxima fuisse arte elaboratum, jure asserit Joan. Garnerius in sua erudita Dissert. *De Synodo V.* c. 5. §. 7.

(*a*) Vigilium summum Pontificem confirmasse Synodum V. scribit Eminentissimus Card. Annalium parens, post Eustachium in vita S. Eutychii cap. 5. & Evagrium Lib. IV. *Hist.* cap. 37. aliosque græcos Scriptores: cui suffragantur Natalis Alexander, aliique recentiores. Res tamen certa non est, contradicente Anastasio Bibliothecario. Illustrissimus Petrus de Marca in Dissert. *De decreto Vigilii pro confirmatione Quinta Synodi* epistolam primus edidit Vigilii ad Eutychium Patriarcham Constantinop. a se repertam in Bibliotheca Regia, quam eam ipsam esse putat, cujus meminit Evagrius inquiens: *Vigilius autem per litteras consensit Concilio, non tamen interesse voluit.* Evagrio consonat Photius in Libro *De Synodis* ita de Vigilio scribens: *Aderat quidem præsens in Urbe, sed non intererat Synodo. Etsi vero non adeo prono animo esset erga Sacri Concilii cœtum, nihilominus tamen communem Patrum fidem libello confirmavit.* Sunt tamen, qui epistolam Vigilii a Petro de Marca inventam, genuinam esse dubitant. De hac autem celebri trium Capitulorum causa præter laud. supra Nat. Alexandrum, Card. Ang. Orsi, Jo. Garnerium, & Petrum de Marca, videri etiam potest Card. Norisius *De Synodo V.* cum ejusdem defensione a doctissimis Fratribus Petro, & Hieronymo Ballerinis adornata; tum Christianus Lupus in Diss. *De V. Synodo.*

(*b*) Mirabatur Facundus Hermian. Lib. IV. c. 2. in Synodo V. nullam fuisse factam mentionem Diodori Tarsensis, quem S. Cyrillus in epist. 1. ad Successum primum fuisse insuit Nestorianæ hæreseos inventorem;

ARTICULUS VI.

De Hæresis Nestorianæ suscitatione per Felicem & Elipandum in Hispania Sæc. VIII.

227. Nestorius, ut supra jam vidimus, duas in Christo Jesu distinguens personas, nempe Verbi, & hominis, primam Filium Dei naturalem confitebatur contra hæreses Arii, personam non appellabat Filium Dei, nisi adoptione, & gratia, quemadmodum Filii Dei adoptivi sunt omnes justi, & sancti, quos Deus gratia sua sanctificante in filios adoptat. Fides autem catholica in Concilio Ephesino, aliisque duobus pene consequentibus definita, nonnisi unum in Christo agnoscit Filium Dei, eumque naturalem, quia nonnisi unica est in eo persona, eaque divina.

228. Nestorii hæresis, quamvis in tribus œcumenicis Conciliis æterno anathematæ damnata, quorumdam hominum perfidia in Oriente penitus extingui non potuit, immo adhuc non paucis in regionibus, Deo sic permittente, grassari pergit. Sed in Occidentali Ecclesia vel numquam recepta fuit, vel statim extincta. Sæculo tamen VIII. cum Mauris magnam Hispaniæ partem occupantibus, & omnia susdeque vertentibus Religio Christiana, quæ ibi florentissima erat, magna cepisset detrimenta (*a*), hæresis Nestoriana suscitata fuit sub alio nomine, nempe *Adoptianorum*, vel *Adoptivorum*, qui perinde ac Nestorius Christum dici debere contendebant, attenta quidem natura divina *Filium Dei naturalem*, attenta vero natura humana, *Filium Dei adoptivum*. Hujus novæ hæreseos, seu potius Nestorianæ breviter ortum, & condemnationem exponemus, ut iis, quæ in ea confutanda dicturi sumus, lux major affulgeat.

229. Eruditi minime ignorant, haud facile esse prima hæreseon exordia determinare; quæ nonnumquam ex minus accuratis quibusdam locutionibus ortæ, ac sensim auctæ postea in aperta schismata eruperunt. Sic quidam existimant evenisse hæresi Adoptianorum, cujus quædam vestigia sæculo octavo vetustiora inveniuntur. Certe a Luca Tudensi apud Baronium ad annum 636. n. 9. memoratur Theodicus natione græcus, & Isidori in Episcopatu Hispalensi successor, qui „ in„ fidelis inventus, & erroneus in articulis fidei „ comprobatus, per Synodum ab Archiepiscopali „ dignitate degradatus est. Asserebat enim, Do„ minum nostrum Jesum Christum cum Patre, „ & Spiritu Sancto *non esse unum Deum, sed „ potius adoptivum*.“

230. Sed hæc, & alia apertam Adoptianorum hæresis eruptionem quasi præludia quædam præcesserunt; quamobrem vera ipsius initia versus finem Sæculi VIII. communiter figuntur; quando scilicet Felix Urgelitanus „ ab Elipando Toleti „ Episcopo per litteras consultus, quid de humani„ tate Servatoris Dei sentire deberet, utrum se„ cundum id, quod homo est, *proprius, an a„ doptivus Dei filius* credendus esset, ac dicen„ dus, valde incaute, & inconsiderate & contra „ antiquam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, *adop„ tivum* non solum pronuntiavit, sed etiam scri„ ptis ad memoratum Episcopum libris pertina„ cissime pravitatem opinionis suæ defendere cu„ ravit.“ Ita Annalista Eginhardus ad ann. 792., una cum Poeta Saxone ad eumdem annum, & Joanna Aurelianensi Lib. I. *de cultu imaginum*. Quamvis severiores Critici id contigisse ante hunc annum 792. solidis argumentis ostendunt.

231. Eginhardi testimonium in eo etiam falsi convincitur, quod Felicem primum faciat erroris magistrum, cum jam antea Elipandum eumdem errorem tota Asturia spargere, & dilatare nisus fuerit, litteris scriptis cuidam Fideli Abbati, quas Etherius Episcopus Uxamensis, & Beatus Abbas confutarunt. Idque contigisse putatur anno 785., cum-

ita enim de eo scribit: „ Hic deposita, ut putavit, „ Macedonianæ hæresis labe, in alterius morbi vim „ decidit. Sensit enim, ac scripsit, *alterum verum „ esse Filium eum*, qui ex semine David, ex S. Vir„ gine, Deique matre natus est, *alterum rursus pri„ vatim Filium* illud ex Deo Patre Verbum.“ Et in alia epistola ad Acacium Melitinensem conjungit Diodorum Theodoro Mopsuesteno, dicens utrinsque libros *non de Incarnatione Unigeniti, sed magis contra Incarnationem* fuisse scriptos. Hos libros speciali Tractata confutaverat Cyrillus, quem periisse dolemus; sicut pereierunt duo libri, quos Theodoretus pro defensione Diodori, & Theodori conscripserat. Hinc Facundus *Cur obsecro*, inquiebat, *si auctoritatem secuti Beati Cyrilli, magis, & prius Diodorus Magister ejus* (Theodori) *nominatus non est, ut ita saltem decerneretur, si quis non anathematizat Diodorum, & ejus dogmata, anathema sit, velut quibus male Theodorum dicitur imbuisse?* Veramtamen Diodorus magna semper in existimatione in Ecclesia fuit; & si etiam quædam ei excidissent minus accurata ante hæresim Nestorianam, ea ipsi venia danda esset, quæ aliis Patribus dari solet ante hæresim. Neque ex quo fuerit magister Theodori, inferri potest, illi erroneam traditisse doctrinam. Fuit etiam magister S. Jo. Chrysostomi, qui inter orthodoxos Patres prima occupat subsellia; ut proinde non facile admitti debeat illa Garnerii locutio, *Diodorum fuisse Theodori parentem, & Nestorii avum*.

(*a*) Mauri anno Christi 711. fretum Gaditanum transgressi, Duce Tarik primo montem *Gabal* occuparunt, ubi modo est arx munitissima dicta *Gibilterra*, fortasse a duabus Arabicis vocibus *Gabal Tarik*, successu temporis paullo aliter inflexis. Postea vero prosperis armorum successibus eo usque pervenerunt, ut Rodericо postremo Visigothorum Rege interempto, magna Hispaniarum parte potirentur; unde omnino expelli non potuerunt, nisi Sæc. XV. jam labente, sub felicissimo Ferdinandi, & Isabellæ regno. Quamquam Arabes isti Mahumetanæ superstitioni addicti, Religionem Christianam tolerarent, magna tamen ipsi damna intulerunt, maxime invectis fere ubique crassæ ignorantiæ tenebris.

contra ac scripserint Eginhardus, aliique Annalistæ.

232. Quidquid autem sit de primo hæresis magistro, illud extra dubium est, utrumque Episcopum, Elipandum scilicet Toletanum, & Felicem Urgelitanum eidem dilatandæ operam male sedulam dedisse, illum quidem per Asturias, & Galliciam, Felicem vero per Septimaniam, seu Gothiam. Adrianus autem I., & Carolus magnus, ut gliscentem errorem in ipsis incunabulis suffocarent, debitum studium impenderunt, & primus quidem per epistolam ad omnes Hispaniarum Episcopos, eos magnopere exhortans, ut veterem Ecclesiæ fidem incontaminatam servarent (a). Carolus autem Synodum Narbonensem anno 788. celebrari curavit, *pro multis, & variis ecclesiasticis negotiis, & præsertim pro Felicis Urgelitanæ Sedis Episcopi pestifero dogmate*, ut ipsi Episcopi congregati loquuntur in vetustissima Membrana edita a Steph. Baluzio in Addit. ad cap. 25. Lib. VI. de *Concordia Sacerdotii, & Imperii* Petri de Marca (b).

233. Cum vero pestifera hæresis, quamvis damnata, latius serperet, Adrianus I., qui totius Ecclesiæ gubernaculum tenebat, & Carolus vere magnus Galliarum Rex, (qui postea Occidentis Imperator a Leone III. fuit inauguratus) de illa comprimenda solliciti, Synodum Ratisbonæ anno 792. celebrarunt, in qua ipso Felice Hæresiarcha præsente Adoptianorum causa diligenter discussa, atque examinata fuit, & tandem *Synodali auctoritate Sacerdotum Christi, qui ex diversis Christi imperii partibus convenerant, æterno anathemate damnata*, ut loquitur Alcuinus Lib. I. adversus Elipandum num. 16. Felix autem Urgelitanus, coram Patribus, ac Carolo Magno suam hæresim ejuravit, teste S. Paulino Patriarcha Aquilejensi, qui unus ex illo Episcoporum cœtu fuerat (Lib. I. contra Felicem cap. 5.) *tactis sacrosanctis Evangeliis jurejurando protestatus est*, se in regula Fidei, cui consenserat, *perpetua immutabilitate mansurum*.

234. Hanc solemnem promissionem Felix Romæ renovavit, coram Adriano Pontifice, ad quem missus fuit, ut judicio Episcoporum accederet summa, & irrefragabilis Apostolicæ Sedis auctoritas. Ibi igitur denuo super sacrosancta Mysteria, & super corpus S. Petri Felix suos errores retractavit, ut spes esset, hanc causam esse finitam, & pacem Ecclesiis Hispaniarum redditam (c).

235. Sed omnis spes cito evanuit. Felix enim in patriam reversus, & tam solemnis, atque iterati juramenti oblitus, pristinos errores evomere, & spargere cœpit, nec sine deplorabili zizaniorum fructu; ad quæ extirpanda Carolus ex omnibus Ecclesiis suæ ditioni subjectis ad Synodum frequentiorem Francofurti ad Mœnum celebrandam Episcopos convocavit anno 794. Trecenti & amplius adfuerunt, una cum duobus summi Pontificis Legatis Theophilacto, & Stephano. Ante omnia Imperator Patribus legendam, & examinandam dedit epistolam Elipandi, in qua quæcumque ad sua, suisque in errore sociis Felicis impia dogmata tuenda dici poterant, studiose collegit. Patres necessariam temporis moram ad omnia rite excutienda petierunt, & facile impetrarunt; post autem celebrem suam epistolam Synodicam composuerunt, in qua refutatis omnibus Elipandi momentis antiquam Ecclesiæ fidem, & jam late contra pervicaces hæreticos anathemata confirmarunt.

236. Cum tamen impius Felix nondum conquiesceret, & librum pro defensione sui erroris toties damnati evulgasset, Carolus illius confutandi provinciam Alcuino demandavit; & postea cum magna comitia in Urbe Aquisgrani an. 799. in suo palatio celebraret, Felicem ex Hispania illuc accersivit, & coram se eum cum Alcuino disputare jussit; quæ disputatio, si auctori vitæ Alcuini credimus, integra fere hebdomada perduravit, sed exitu felicissimo. Hæresiarcha enim sæpius convictus, atque ad incitas redactus, tandem se victum confessus est; de cujus proinde conversione Alcuinus non semel in Domino gloriabatur, ita scribens ad Arnonem Archiepiscopum Salisburgensem, quem *Aquilam suam* nominabat, epist. 176. *Divina clementia visitante cor illius, novissime falsa opinione se seductum confessus est, & fidem catholicam se firmiter tenere fatebatur*. Et i-

(a) Hæc epistola Adriani est XCVII. in Codice Carolino. Vid. etiam Gajetanus Cenni in Tom. I. *Monumentorum Dominationis Pontificiæ* pag. 443. not. (2) Libri autem Etherii, & Beati contra errorem Elipandi continentur in *Antiq. Lect.* Canisii edit. Basnagii Tom. II. His libris insertum est quoque Symbolum Elipandi anno 785., & ejusdem ep. ad Fidelem Abbatem.

(b) Non me latet, hanc membranam, quæ Baluzio rerum istarum peritissimo, *aut stati Caroli M. suppar, aut certe non multum remota visa est*, nonnullis scatere vitiis, præsertim in notis temporariis. Sed hæc viderint alii; parum enim ad nostrum institutum pertinet definire, an primo hæresis Feliciana in Concilio Narbonensi damnata fuerit, an vero in Concilio Ratisbonensi anno 792. ut aliis placet.

(c) Ita Leo III. in Concilio Romano celebrato an. 799. Act. II. testatur: „ Sub sanctæ recordat. prædecessore nostro Adriano P. directus est a D. Carolo, „ præfulgido magno Rege, ipse miserrimus hæreticus, „ infelix Episcopus, qui doctus ab eodem alino Præsule, fecit illum orthodoxum in vinculis libellum, „ anathematizans, & confirmans inter cetera, *nequaquam Filium Dei adoptivum esse*, sicut dixerat; *sed proprium & verum Dominum nostrum Jesum Christum „ Filium Dei confiteor*. Unde & ipsum orthodoxum „ libellum super sacrosancta Dei mysteria in nostro „ Patriarchio ponens, juravit sic tenere, & confiteri. „ Et iterum in Confessione super corpus Beati Petri „ Apostoli ipsum ponens simm orthodoxum libellum, „ similiter & illic juravit, nequaquam se dicere an„ dere *adoptivum; sed proprium, & dilectum Filium „ Dei* teneo, & confiteor. "

iterum in Lib. adversus Elipandum num. 7. *Ego*, inquit, *Felicem olim vestri erroris complicem, Deo miserante catholicum effeci*.

257. Rex tamen Carolus huic secundæ Felicis conversioni non omnino fidens, eumdem Episcopo Lugdunensi custodiendum tradidit. Suspicio certe fuit, fucatam fuisse etiam secundam hanc hæresis Adoptianæ ejurationem, & Felicem obstinatum perseverasse usque ad mortem, quam anno circiter 818. infeliciter obiit. De ejus pertinacia in errore vid. Agobardus, Leidradi in Sede Lugdunensi successor in Lib. adversus Felicem cap. 5.

258. Elipandum vero Archiepiscopum Toletanum suorum errorum vere, & sincere pœnituisse, refert Scriptor vitæ Beati Abbatis (apud Mabillonium in Sæc. IV. *Actor. Ord. S. Benedicti* Num. VII.), inquiens, „ eum epistolis Adriani „ P., & Caroli M. ad mentem, & verum sen„ sum Ecclesiæ redisse; immo Episcoporum Con„ gregationem apud Toletum indixisse, ubi pœ„ nitens Confessionis libellum, in quo Filium U„ nigenitum, Patrique Consubstantialem, *non a„ doptivum, sed naturalem*, humili professione „ confessus obtulit, & a Patribus lacrymarum „ profusione susceptus reconciliationis beneficium „ accepit“.

259. Hæc tamen relatio aliquibus suspecta videtur; præcipue cum Alcuinus in epist. XCII. ad Aquilam scripta anno DCCC. referens fructus uberrimos a Leidrado una cum aliquibus sociis in Hispaniam profecto reportatos, ubi usque ad 20. millia hominum, Episcoporum, Sacerdotum, Monachorum, ac fœminarum ad aquitionem catholicæ veritatis Deo donante perducta numerantur, nullam tam memorandæ Elipandi conversionis memoriam faciat; quam præternissurus non fuisse videtur, utpote qui contra Elipandum IV. Libros conscripserat, ac proinde de ejus conversione non minus, quam de conversione Felicis in Domino lætatus fuisset.

260. Et hæc sufficiant de orta, & condemnatione hæreseos Adoptianæ; cui omnium primi restitere in Hispaniam Etherius Uxamensis Episcopus, ejusque Magister, Beatus Presbyter, quem Alcuinus *Abbatem* nominat Monachum eum fuisse nonnullis documentis constat (Vid. Bolland. *Acta Sanct.* Tom. III. mense Februario, Mabillonius Tom. I. Sæc. IV., Benedicti in Append., ac Jo. Mariana Lib. VII. *Rerum Hispan.* cap. 8.).

Horum resistentiam impatientissime tulit Elipandus, ac contra ipsos litteras veneno, & felle plenas ad Abbatem Felicem dedit, suam addens professionem fidei, inter cujus articulos etiam hæresim *Adoptianam* reponebat. Has Elipandi litteras Beatus suo, & Etherii nomine duobus libris solide, & erudite confutavit, qui prostant in Tomo XIII. Biblioth. PP. Lugdun. Horum opera etiam Adosinda Asturiarum Regina, quam Elipandus seducere conabatur, constans in orthodoxa fide permansit.

261. In hoc diuturno certamine contra Adoptianos clarissimus fuit Sanctus Paulinus Patriarcha Aquilejensis, qui in sua Synodo habita Forojulii anno 796. contra eosdem definivit, ut quemadmodum una est in Jesu Christo persona, ita unica filiatio confitenda sit, nec ullo modo Christus filius Dei adoptivus appellari possit. Parcendum tamen existimavit Sanctus Paulinus nominibus Felicis, & Elipandi, ut ita eos minus irritatos ad veritatem agnoscendam facilius pertraheret (*a*). Adfuit etiam Synodo Ratisbonensi, in qua Felix Urgelitanus damnatus palinodiam ficto animo recantavit. Deinde in Synodo Francofordiensi obtulit *Libellum sacrosyllabum*, non solum suo, sed etiam Petri Mediolanensis Sedis Archiepiscopi, & cunctorum Collegarum, Fratrum, & Consacerdotum Liguriæ, Austriæ, Hesperiæ, ac Æmiliæ nomine, a Patribus approbatum, in quo Elipandum, & Felicem, novos hostes Ecclesiæ, nisi a sua stultitia resipiscant, a consortio catholicorum perpetua animadversione eliminandos esse decernit, *reservato per omnia juris privilegio summi Pontificis, Domini, & Patris nostri Adriani, primæ Sedis, beatissimi Papæ*. Vid. Opera Sancti Paulini a Joann. Francisco Madrisio Utinensi Congregat. Orat. edita Venetiis 1737. in fol.

262. Magnam etiam in hac gravissima controversia sibi laudem comparavit B. Flaccus Albinus, seu Alcuinus Caroli M. Magister eique carissimus (*b*). Primo enim *charitatis calamo, non contentionis stimulo, fraternæ salutis desiderio, non mordaci reprehensionis stilo* scripsit ad Felicem Urgelitanum, ut eum ab erroris semita ad viam veritatis reduceret; post autem aliis epistolis solida, & orthodoxa eruditione plenis, errantes corrigere, & fideles confirmare curavit. Deinde libellum contra hæresim Felicis edinebravit, quem Petrus Fogginius in Bibliotheca Vaticano-Pala-

(*a*) Erudituus Jo. Franc. Madrisius in Diss. II. *De Concilio Forojuliensi*, repudiata opinione Baronii, qui illius epochain figit anno 791. tum Concii, qui illud differt ad ann. 795. Pagio assentitur, qui vult Concilium fuisse celebratum anno 796.; cui sententiæ suffragatur etiam P. Bern. De Rubeis in *Monumentis Ecclesiæ Aquilejensis* c. 43. Aliqui tamen hanc Synodum fuisse celebratam ante Ratisbonensem ex eo conjectantur, quod post hanc Synodum fuisset inutile parcere nominibus Felicis, & Elipandi, ut Paulinus reipsa pepercit.

(*b*) Cujus opera omnia post editionem ab Andrea Quercetano curatam de novo collecta, multis locis emendata, plurimum aucta, atque illustrata Ratisbonæ prodierunt tribus vol. in f. an. 1777., cura ac studio reverendissimi, ac celsissimi S. R. I. Principis, & Abbatis ad S. Emmeramum Ratisbonæ, Ord. S. Benedicti. In vol. 3. duæ sunt eruditæ Dissertationes, altera Historica *De Hæresi Elipandi Archiep. Toletani, & Felicis Episcopi Orgelitani*; altera Dogmatico historica, auctore D. Jo. Bapt. Enhueber Priore ad S. Emmeramum adv. Christianum Walchium.

latina cod. CCXC. feliciter repertum novæ Operum Alcuini editioni inferendum communicavit. Demum Felicem septem libris, Elipandum vero quatuor copiose oppugnavit. Quæ omnia Alcuini scripta in II. volumine ejusdem Operum simul collecta inveniuntur. Atque hæc sunt, quæ ad ortum, condemnationem, & oppugnationem hujus pestiferæ sectæ ejusdem refutationi præmittenda videbantur.

243. Sed quoniam nonnulli fuerunt, qui non obstantibus tam luculentis, ac certissimis monumentis, dubium excitarunt, an reipsa Felix, & Elipandus fuerint illorum errorum rei, quos semel, iterum, ac tertio condemnatos vidimus, & asserere audent, totam illam controversiam tanto studio a viris summis discussam, puram putamque fuisse logomachiam, ideo necessarium putamus in antecessum istorum sententiam refellere, ut ansa aliquibus sciolis subtrahatur, ecclesiasticas definitiones, veluti de rebus nihili factas contemnendi (a). Sit igitur

PROPOSITIO I.

Felix, & Elipandus in sensu Nestoriano docuerunt, Jesum Christum secundum humanam naturam appellandum esse Filium Dei adoptivum.

244. Omnis certe æquitas, & sanioris Critices regulæ postulant, ut ex illorum testimonio hæc controversia dijudicetur, qui non solum illi hæresi coævi fuerunt, sed etiam contra eam fortiter dimicarunt, Hispanorum episcopi, ac libellos legerunt, & qui Felicem ipsum suam causam defendentem audierunt, ac cum eo disputarunt; præsertim cum viri fuerint litteris exculti, orthodoxa doctrina præstantes, & vitæ sanctimonia insignes; & ex alia parte nonnisi conjecturæ, vel argumenta parum firma afferantur (b); atqui multa, & disertissima hujusmodi testimonia suppetunt: ergo &c.

245. Prob. itaque minor propositio primo testimonio S. Paulini, qui in *Sacrosyllabo* recepto, & probato in Concilio Francofordiensi, perpetuo urget Felicem & Elipandum, ostendendo Christum non posse dici adoptivum, quia *in una persona coeunte utraque natura, non duo filii, alius Dei, & alius hominis, ut (sicut illi errando existimant) adoptivus sit hominis filius, & sine adoptione Dei Filius.* Non poterant ergo illi Hæretici Christum appellare Filium Dei *adoptivum*, nisi renovando hæresim Nestorianam de duabus personis, & duobus filiis.

246. Prob. secundo ex testimonio Alcuini, qui & scriptis, & ore in hac controversia gloriose dimicavit, quem propterea statum quæstionis perpetuo ignorasse quis credat? Is autem in Lib. I. contra Felicem sæpius eum arguit impietatis Nestorianæ, quia sicut Nestorius in duas Christum dividebat personas propter duas naturas, *ita*, inquit num. 11., *& vestra indocta temeritas in duos eum dividit filios, unum proprium, alterum adoptivum. Si vero Christus est proprius filius Dei Patris, & adoptivus: ergo est alter, & alter. Similiter si in divinitate Deus verus est, & in humanitate Deus nuncupativus, alter (& alter) est, & nullatenus sic sentientes potestis vobis evitare impietatem Nestorianæ doctrinæ.* Libro autem VII. comparat Felicem cum Nestorio, *qui licet duas palam non dixisset personas, tamen omnia, quæ duabus necesse est inesse personis, in sua professione fatetur. Similiter & tu*, subdit, *licet fugias verba duarum personarum, tamen omnia, quæ necesse est duabus inesse personis, te in tuis litteris invenimus profiteri.* Et Lib. I. contra Elipandum, Christum, inquit, *vos sine dubio cum Nestorio in duos dividitis filios, & in duas personas per proprietatem, & adoptionem.*

247. Tertium testimonium suppeditat Agobardus, qui de Felice ita scribit: „ Nullatenus acquiescebat sentire, nec suadere sibimet ita valebat, „ ut crederet, in uno Domino nostro Jesu Christo duarum naturarum unitionem *substantialiter* factam, & Deum Verbum *secundum subsimilitudinem* ut natura humana, quamvis in persona divina subsistens posset appellari Filius Dei *adoptivus*. Ita de ipsis sentit Gabr. Vasquez in 3. P. S. Thomæ disp. 89., Gaspar Juenin Diss. VI. *De Incarnat.* qu. 6., aliique non multi.

(b) Quis unquam cordatus admittat absonam illam regulam, quam sibi Walchius proponit his verbis: *Quæ viri docti, qui publice contra illos* (Felicem, & Elipandum) *pugnarunt, nobis reliquere, prorsus*, puto, *negligenda esse; siquidem abunde patet, hos non quid senserint Elipandus, & Felix, sed quid hos sensisse crediderint, litteris mandare voluisse?* Aut ergo non *docti viri* illi fuerunt, qui non valuerint ex hæresi, & disputationibus vera adversariorum sensa intelligere, aut ita fraudulenti, & nefarii, ut omnes simul impie conspiraverint, ad orthodoxos Episcopos infami calumnia condemnandos. Nentrum autem iis, qui nullo partium studio corrupti sunt, Walchius, ut puto, persuadere poterit.

(a) Christ. Guill. Franc. Walchius in sua *Adoptianorum Historia* Gottingæ an. 1755. vulgata S. Paulinum Aquilejensem, Alcuinum, Patres Francofordienses, & ipsum Adrianum R. P. accusat, quod Felicis, & Elipandi mentem minime assecuti Nestorianos errores ipsis affinxerint. Jac. autem Barnage in T. II. *Thesauri monument. Eccles.* num. V. ita ex suo tripode de tota hac controversia pronunciat: *Nos ingenue fatemur, meram fuisse logomachiam, quæ sæpius occurrit apud Theologos.* Quam sententiam plures ex Protestantium cœtu adoptarunt, ut Dorschens, Georg. Calixtus, Spanhemius, Mosheimius, Paul. Ern. Jablonski, Weismanns, alii, eo fine, ut Conciliorum, ac Summorum P. auctoritatem quasi cuniculos labefactent.

Cum istis autem confundendi non sunt aliqui Theologi Catholici, quamtumvis pauci, qui dumtaxat negant, a Felice, & Elipando fuisse Christum appellatum Filium Dei *adoptivum* in sensu Nestorii, qui duas in Christo personas esse blasphemavit; sed alio sensu,

„ *sistentiam* carnis unitum .... Timens enim per-
„ mixtionem Eutychetis incurrere, corruit in *di-*
„ *visionem* Nestorii. "

248. Majus adhuc testimonium exhibet frequentissima Synodus Francofordiensis, quæ refellens epistolam Episcoporum Hispaniæ ad Carolum Magnum in epistola Synodica ita Felicem, & Elipandum alloquitur: „ Nonne olim *eadem hæresis*
„ *vestra in Nestorio* ab universali Sancta Eccle-
„ sia refutata est, & damnata? Quapropter *forte*
„ illam anathematizare noluistis, dum alios, Be-
„ nosum scilicet, Arium, & Sabellium, Mani-
„ chæumque, qui prava de Dei filio senserunt,
„ in epistola vestra anathematizastis. " Et ulterius pergunt ostendentes, novam hanc hæresim eamdem prorsus esse cum hæresi jam damnata Nestorii, ut quod ille significavit, dicendo Filium hominis esse unitum Filio Dei per *copulationem*, nova hæresis dicit *per adoptionem*.

249. Denique supremus testis sit Adrianus Papa, qui Felicem coram se habuit, ad pœnitentiam coegit, & pœnitentem existimatum absolutum dimisit, qui propterea intimos ejus sensus cognoscere potuit, & debuit. Ita autem scribit in sua epistola ad Episcopos errantes Hispaniæ: *Adoptivum eum Filium, quasi purum hominem, calamitati humanæ subjectum non pertimescitis venenosa fauce susurrare*.

250. Accedat postremo sui ipsius testis, & accusator Elipandus, qui in sua epist. nomine Episcoporum Hispaniæ ad Episcopos Galliæ &c. (in Vol. II. Opp. Alcuini pag. 568.) de Christo ita loquitur: „ Secundum traditionem Patrum confi-
„ temur, & credimus, eum factum ex muliere,
„ factum sub lege, *non genere esse Filium Dei*,
„ *sed adoptione*, *neque natura*, *sed gratia*, quod
„ sæpius repetit. At vero, ut recte colligebant
„ Patres Francofordienses in sua Epistola Synodica num. 28. Quid est adoptio, nisi charitatis
„ copulatio, qua Pater adoptione sibi copulat fi-
„ lium, quem proprium non habet? ... Nonne tunc
„ duo filii erunt Deo Patri, unus proprius, &
„ alter adoptivus: quod nullus Catholicus audet
„ dicere? Quid est aliud dicere, eamdem Virgi-
„ nem adoptivum, vel servum genuisse, nisi ne-
„ gare, Deum illam genuisse? "

251. Dices. Hæc omnia facile explicari possunt, non quod Hispani illi Episcopi Nestorio consentirent, duas personas admittendi, sed quod per legitimam consecutionem convincerentur in ipsius hæresim labi, a qua alienos se profitebantur.

252. Resp., etiamsi res ita se haberet, non tamen posse laudatos Præsules ab hæresi Nestoriana purgari, in quam reipsa incidebant, quidquid contra protestaretur. Præterea inter alia Nestorianæ hydræ capita, hoc etiam erat, quod Jesum Christum secundum humanitatem filium Dei appellari posse negabat, & propterea nomen Deiparæ Nestoriani tantopere aversabantur, ne cogerentur, eum, qui in natura humana fuit genitus a Maria, fateri filium Dei. „ Existimant (Nesto-
„ riani) inquiebat Sanctus Cyrillus in epist. ad
„ Reginas, homini ad nostram similitudinem ex
„ Sancta Virgine prognato, cum filiationis, tum
„ dominationis quoque gloriam *per modum cu-*
„ *jusdam gratiæ*, ac per progressus obvenisse. "

253. Hinc Alcuinus Lib. IV. contra Felicem n. 11. „ Cesset itaque Felix, inquiebat, Christum
„ in duos Filios, vel in duos Deos dividere, *ne*
„ *Nestorianæ fiat infidelitatis particeps:* quia
„ quod Nestorius in numero personarum, hoc Felix in numero filiorum facere videtur, unum
„ adoptivum, & alium proprium faciens. " Et postea, adductis iis S. Scripturæ testimoniis, quibus probatur Filium Dei esse natum ex Maria Virgine, *quid hic dicis*, *Nestoriane*, ait, *qui B. Mariam negans esse Dei genitricem*, *apertam niteris impugnare veritatem?* Et Lib. V. num. 5. *Hinc*, inquit, *omnis est tua hæresis*, *quia negas Christum Filium Dei*; *ideo etiam Mariam Christotocon esse*, *non theotocon dicis*, *quia Christi genitrix sit*, *non Dei*. Recte igitur statuimus, Felicem & Elipandum Nestorianam hæresim suscitasse, atque in sensu Nestoriano docuisse, Jesum Christum secundum humanitatem esse filium Dei adoptivum; quæcumque postea fuerit utriusque interior sententia, quam in hæreticis, qui sensus suos occulere solent, non facile est indagare. Ipse tamen Felix in sua *Confessione Fidei*, quam post Concilium Aquisgranense edidit, se ab impietate Nestoriana resipiscere fassus est, dicens, *se adoptionem carnis*, *seu nuncupationem in humanitate Filii Dei anathematizare*,... *ne cum Nestorii impietate concordantes &c.* (a).

254. Obj. primo cum Vasquesio. Felix, & Elipandus non semel aperte confessi sunt unam in Christo esse personam. Ita enim suam mentem exponunt in epist. ad Episcopos Galliæ n. 10.
„ Est plenissima, & fidelissima ratio, ut in uno,
„ eodemque Christo, in quo *ad unitatem perso-*
„ *næ* in Matris utero virginali divinitas, huma-
„ nitasque compactatur, sicut hominem Deus, ita
„ etiam hominem Deum genuisse credatur, *ita ut*
„ *qui suscepit*, *& quod suscepit*, *una sit in Tri-*
„ *nitate persona*. " Id asserit etiam Elipandus
„ in epist. ad Alcuinum.

255. Resp. etiam Nestorium utam personam in Christo nonnunquam prædicasse, sed non in sen-

(a) Ab hac tam diserta Felicis confessione Walchius se facile liberare posse putavit, dicendo, *Felicem ignorasse*, *quid Nestorius crediderit*. Itane post tam diutinas concertationes, post tot scripta Catholicorum, quibus ejus sententia *Nestorianismi* accusabatur, Felix adeo obtusi erat ingenii, ut ignoraret *quid Nestorius crediderit* (Apage nugas.

ro Catholico, admissa scilicet substantiali, & physica duarum naturarum unione, quemadmodum supra probavimus n. 129. Id observavit Alcuinus Lib. VII. contra Felicem num. 31. inquiens de Nestorio: „ Qui licet *duas palam non dixisset* „ *personas*, tamen omnia, quæ duabus inesse ne„ cesse est personis, in sua professione fatetur. „ Simili modo & tu, *licet fugias verba duarum* „ *personarum*, tamen omnia, quæ necesse est „ duabus inesse personis, te in tuis litteris inve„ nimus profiteri. " Id pariter observarunt Patres Francofordienses, recte colligentes, quod *unitas personæ, quæ est in Dei Filio, & Filio Virginis, adoptionis tollit injuriam*, neque enim persona divina appellari potest *Dei Filius adoptivus*. Unde iterum Alcuinus laud. Lib. VII. n. 9. *Unitas personæ*, inquiebat, *dualitatem filiationis respuit in Christo; nec adoptio locum invenit, ubi proprietas præcessit*.

256. Obj. 2. Si Felix, & Elipandus in errore Nestorii jam damnato versati fuissent, numquam ab Imperatore Carolo suam causam in Synodo Episcoporum discuti, & judicari postulassent, certi se non aliam posse reportare sententiam, quam eam, qua Nestorius damnatus fuit.

257. Resp. Id commune fuisse etiam aliis hæreticis, qui ab Episcopis, vel etiam a Conciliis jure damnati, nova tamen Concilia postulabant, quod præcipue exemplo Pelagianorum liquido confirmari potest, qui non semel in Conciliis Africanis, & a summis Pontificibus proscripti, adhuc tamen Concilium generale exposcebant, quo eorum causa plenius examinaretur. Præterea Adoptiani verba Nestorianorum aliquatenus immutaverant, quamvis in eamdem pravitatem relaberentur; unde forte sperabant, se posse sub ambiguo verborum cortice interius venenum obtegere. Demum plusquam certum est, eos in famosa sua epistola plura Sanctorum Patrum testimonia aut mutilasse, aut omnino depravasse, & de quala eorum fide tam detegeretur, *tacuisse nomina librorum, & numerum capitulorum*, et jure conquerebantur Francofordienses Patres num. 3. Quidni ergo pari audacia Synodum ab Imperatore non postulassent, quamvis non omnino ignorarent, suos errores jampridem in Nestorio damnatos?

258. Inst. Tam S. Paulinus, quam Alcuinus, & ipsa Synodus Francofordiensis sæpe errorem Adoptianorum nominant *novum*, & *inauditum in Ecclesia*: non ergo erat vetus Nestorianorum hæresis, jam ab Ecclesia proscripta.

259. Resp., hæresim Felicianam fuisse appellatam *novam*, vel potius renovatam, quantum ad aliquas loquendi formulas, non autem quantum ad rem ipsam. Hinc Sanctus Paulinus in *Sacrosyllabo* Felicem, & Elipandum vocat *novos hostes Ecclesiæ, sed veternosa fœce perfidiæ pollutos*; & sæpissime Patres ostenderunt, eam a Nestoriana minime differre. Vid. sup. num. 246. & seq. Eamdem etiam ipsis fere sæc. litterarum testimoniis confuterunt, quibus usi fuerant veteres Patres ad expugnandam Nestorii hæresim, ut patet ex operibus polemicis S. Paulini, & Alcuini, tum etiam ex epistola Synodica Synodi Francofordiensis. Veteres igitur Nestorii blasphemias in novis illis Ecclesiæ hostibus se confutare credebant.

260. Obj. ult. cum Walchio. Annalistæ, & Historici, quibus major in his rebus fides debetur, quam Theologis, qui plerumque partium studio laborant, Felicianam quidem hæresim sæc. VIII. ad occasum vergente natam, ac statim condemnatam, atque extinctam memorant, de Nestorianismi autem suscitatione nihil prorsus habent. Ita Eginhardus, seu quisquis sit Annalium Auctor T. V. *Scriptor. Rerum Gallic. & Franc.* ita Poeta Saxo, & Annales Moissiacenses. Ita demum Jonas Aurelianensis auctor coævus.

261. Resp. male ex solis Annalium scriptoribus, qui res gestas vix summis labiis attingunt, judicium peti de erroribus hæresis Felicianæ: hos enim determinare, confutare, ac condemnare ad Theologos pertinet, & Episcopos. Sic Eginhardus narrat quidem hæresim Felicianam condemnatam fuisse a Concilio Ratisbonensi, ubi Felix *auditus est, & erravisse convictus ad præsentiam Adriani Pontificis Romam missus, ubi etiam coram ipso in Basilica B. Petri Apostoli hæresim confessus est, atque abdicavit*. Qualis autem hæc hæresis fuerit, ipse nos minime docet, sed de Episcopis, qui Felicem ad eam ejurandam adegerunt, nobis dicendum relinquit.

262. Sed mirum est, Walchium nos provocasse ad auctoritatem Jonæ Aurelianensis Episcopi; hic enim postquam ortam hæresis Felicis, atque Elipandi memoravit sub Carolo Magno, ita subdit: „ Ejusdem Principis jussu (Episcopi) in u„ num coacti, adhibita etiam Sanctæ Romanæ „ Ecclesiæ auctoritate, eumdem Felicem damna„ verunt; *immo cum auctore sui erroris Nesto„ rio*, quem imitatus est, perpetuo anathemati „ mancipaverunt. " Lib. I. *de cultu Imaginum* T. XIV. *Biblioth. SS. PP.* Lugdun. fol. 168.

PROPOSITIO III.

Refellitur Hæresis Adoptianorum, atque ostenditur, Jesum Christum nulla ratione dici posse Filium Dei adoptivum.

263. Patres Sæc. VIII. qui hæresim Felicis, & Elipandi refutarunt, & condemnarunt, iisdem plane Sacr. Scripturarum locis usi sunt, quibus Patres V. Sæculi Nestorianam hæresim feliciter debellarunt. Nam primo ea verba afferebant, quibus Christus dicitur *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*, Joann. I. 18. Allegabant etiam vocem æterni Patris, qua Jesum Christum appellavit *Filium suum dilectum*, Matth. III. 17. Ac pluribus aliis locis oniissis, Adrianus Papa maxime notanda dicebat verba S. Pauli ad Roman. VIII. 32. de

de æterno Patre dicentis: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum:* ubi certe sermo est de Jesu Christo secundum humanam naturam, qui tamen *proprius* idest naturalis Filius Dei nuncupatur. Ut enim observat Angelicus in hunc locum Lect. 6. „ Cum (Apostolus) supra de multis filiis mentionem fecisset, „ dicens: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum*, „ ab omnibus illis hunc filium separat, dicens: „ *proprio filio suo*, idest non adoptivo, ut Hæretici mentiuntur, sed naturali, & cœterno: „ 1. Jo. V. vers. ult. *Ut simus in vero Filio e-* „ *jus Jesu Christo*. " Et ante S. Thomam S. Hilarius Lib. VI. *de Trinit.* eadem Paulina verba allegans, *Numquid*, ait, *etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen?* Quæ quidem licet Pictaviensis Episcopus protulerit contra Arianos, una tamen simul Adoptianorum jugulum petunt.

264. Idem Adrianus Papa urgebat contra Felicem, aliosque Episcopos Hispanos errantes circa ea Christi verba, Jo. XX. 17. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum;* quæ Jesu Christi distinctio inter Patrem suum, & Patrem nostrum vana, & otiosa dici non potest, sed manifeste innuit, non eodem modo Deum esse Patrem suum, & Patrem nostrum; quia Christi Pater est per naturam, noster autem Pater per adoptionem. Ita etiam ante Adrianum hæc verba explicabat S. Augustinus Tract. CXXI. in Joann. inquiens: *Non ait, Patrem nostrum: aliter ergo meum, aliter vestrum: natura meum, gratia vestrum.*

265. Idem S. Pater Augustinus in Lib. contra Secundinum Manichæum cap. 5. T. VIII. postquam osteudisset, *nos* quidem adoptione esse Filios Dei, non autem Jesum Christum, ita fidenter suum adversarium provocabat: *Lege itaque Scripturas, nusquam invenies de Christo dictum, quod adoptione sit Filius Dei.* Quem secuti Patres Francofordienses in Epistola Synodica ita securi pronunciabant num. 21. „ Tu vero, quis- „ quis es qui Christum prædicas *adoptivum*, un- „ de tibi iste sensus venisset, voluissemus scire; „ ubi hoc nomen didicisset, ostende. Patriarchæ „ nescierunt, Prophetæ non dixerunt, Apostoli non „ prædicaverunt, sancti Tractatores hoc nomen „ tacuerunt, Doctores fidei nostræ non docuerunt. „ Et iterum n. 20. Dico tibi, quia nec Apostoli „ eum sic nominaverunt, nec Sancta Dei, & Catholica Ecclesia consuetudinem habuit sic eum „ appellare; imino nec credere eum *adoptivum* „ esse, *sed proprium* Filium. "

266. His omnibus accedit etiam ratio, quam affert S. Thomas 3. P. q. quæst. 23. art. 4. his verbis: „ Filiatio proprie convenit hypostasi, vel „ personæ, non autem naturæ ... In Christo autem non est alia persona, vel hypostasis, quam „ increata, cui convenit esse filium per naturam. „ Dictum est autem (art. præced.) quod filiatio „ adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis. Non autem recipitur, aliquid dici *participative*, quod *per se* dicitur. Et ideo Christus, qui est Filius Dei *naturalis*, nullo modo potest dici filius *adoptivus*. Secundum autem „ illos (Nestorianos), qui ponunt in Christo duas „ personas, vel duas hypostases, seu duo suppo- „ sita, nihil rationabiliter prohiberet, Christum „ hominem dici *filium adoptivum* ". Qua fortissima & invicta ratione S. Paulinus in *Sacrosyllabo* pugnabat contra Felicem ita concludens. „ Unde in Dei Filium non cadit nomen *adoptionis;* „ quia semper verus Filius, semper Dominus; „ ac per hoc & post assumptum hominem veri „ Filii vocabulum non amisit, qui numquam verus desiit esse Filius. "

267. Confirmatur hæc ratio ex definitione adoptionis, non solum a Theologis, sed etiam a Jurisperitis communiter recepta, quod sit *personæ extraneæ in filium, & hæredem gratuita assumptio:* oportet ergo, eum, qui adoptatur, esse personæ adoptanti extraneum, & nullum habere jus ad ejus hæreditatem, quomodo nos in filios Dei per gratiam habitualem adoptamur, & jus ad æternam hæreditatem acquirimus: atqui persona divina Jesu Christi non est extranea Deo Patri, cujus est Filius, & in possessione suæ hæreditatis est ab æterno: nullatenus ergo potuit adoptari in filium adscititium.

268. Nec dici potest, eum fuisse adoptatum secundum humanitatem, quæ erat extranea: non inquam, primo quia adoptio non convenit naturæ, sed personæ: secundo quia humanitas ipsa, utpote personæ divinæ substantialiter unita, plenissimum jus ad æternam hæreditatem habebat; neque hoc modo considerata dici potest extranea: nulla ergo ratione Jesus Christus Filius Dei adoptivus dici potest.

269. Objiciebant primo Adoptiani plura testimonia Sacr. Scripturarum, quibus etiam male intellectis abutebantur Nestoriani, ut evincerent duas fuisse in Christo distinctas personas, duosque Filios, quæ in vero, ac germano sensu superius art. 1. explicuimus. Præter ea vero in rem suam allegabant illa Sancti Pauli verba ad Roman. VIII. 17. de hominibus justis, qui sunt *filii Dei*, ita dicentis: *Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Et rursus vers. 29. de Christo, *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Porro inquiebant Hispani, non possumus nos esse *cohæredes, & fratres Christi*, nisi ille sit, sicut & nos, secundum humanam naturam filius Dei adoptivus; neque enim alia ratione nos sumus filii Dei, nisi quia, ut inquit Apostolus ad Gal. IV. sequ., *misit Deus Filium suum, ... ut adoptionem filiorum reciperemus.*

270. Resp., verba objecta ex S. Paulo nihil aliud significare quam nos per gratiam assumptos ad adoptionem filiorum Dei, factos esse *cohæredes Christi*, seu participes illius hæreditatis, quæ Christo

Christo non per adoptionem, sed per naturalem filiationem convenit. Quemadmodum Pater filium habens naturalem assumat personam extraneam, eamque adoptet in filium, hic adoptivus filius erit filio naturali cohæres. Dicitur autem Jesus Christus *primogenitus in multis fratribus*, non quasi sit & ipse filius adoptivus; est enim filius naturalis, & unigenitus, sed quia nostram naturam assumens, nobisque gratiam adoptionis promeritus, noster frater fieri dignatus est, *per gratiam unionis* sibi copulans nostram naturam, *non per gratiam adoptionis*, cujus capax non erat; qui enim est filius naturalis non potest adoptari in filium, cum adoptio sit personæ extraneæ; in Christo autem nonnisi una est persona, eaque divina, a Patre æterno genita (*a*).

271. Dices. S. Paulus eadem in epistola cap. I. de Jesu Christo dicit: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis*: cum autem hæc prædestinatio, quæ non est nisi adoptio in filium, non possit de natura divina intelligi, intelligenda erit de natura humana, ut secundum hanc Christus sit filius Dei adoptivus.

272. Resp. cum S. Thoma 3. P. qu. 24. art. 1., hæc Apostoli verba, seu æternam prædestinationem Jesu Christi in filium Dei, respicere gratiam unionis duarum naturarum quæ fieri debebat in tempore, & per quam Deus factus est homo, & homo Deus. Unio itaque duarum naturarum in persona Christi cadit sub æterna prædestinatione, & ratione hujus Christus dicitur prædestinatus filius Dei. Atque eodem sensu hunc locum Apostoli exponit S. Augustinus *de prædest. Sanct.* cap. 15.

273. Hanc doctrinam adhuc magis declarat Angelicus ibidem ad 2., ubi rejecta opinione eorum, qui volebant, hanc prædestinationem esse intelligendam de natura humana Christi, cui facta est hæc gratia, ut uniretur Filio Dei in unitate personæ, ita prosequitur: „ Relinquitur ergo, quod „ prædestinatio attribuitur personæ Christi, non „ quidem secundum se, vel secundum quod sub„ sistit in divina natura, sed secundum quod sub„ sistit in humana natura. Unde cum dixisset Apostolus, *Qui factus est ei ex semine David „ secundum carnem*, subjunxit: *Qui prædesti-* „ *natus est Filius Dei in virtute*; ut daret intelligere, quod secundum hoc, quod est factus ex „ semine David secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei in virtute. Quamvis enim sit „ naturale illi personæ, secundum se consideratæ, quod sit Filius Dei in virtute; non tamen „ est ei naturale secundum humanam naturam, „ secundum quam hoc sibi convenit *per gratiam „ unionis*. "

274. In art. autem secundo probat S. Doctor, verum esse hanc propositionem: *Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei*; quia humana natura non semper fuit Deo unita; & ei per gratiam hoc collatum est, ut Filio Dei in persona uniretur: & ideo solum ratione humanæ naturæ prædestinatio competit Christo. Unde S. Augustinus *de prædestin. Sanct.* cap. 15. inquit: *Prædestinata est istæ humanæ naturæ tanta, & tam excelsa subvectio, ut quo attolleretur alius, non habetur*. Et in resp. ad 5. „ Quia, inquit, illa susceptio (humanæ naturæ in consortium divinæ) sub prædestinatione cadit, tanquam gratuita, utrumque potest „ dici, scilicet quod & Filius Dei prædestinatus „ sit esse homo, & filius hominis prædestinatus „ sit esse Filius Dei. Quia tamen gratia non est „ facta Filio Dei, ut esset homo, sed potius humanæ naturæ, ut Filio Dei uniretur, magis „ proprie dicitur, quod Christus, secundum quod „ homo, est prædestinatus esse Filius Dei, quam „ quod Christus, secundum quod Filius Dei sit „ prædestinatus esse homo. " Hæc subtilius disputata videntur, necessaria tamen sunt ad vitandos Adoptianorum, ac Nestorianorum errores.

275. Dices secundo. Christus secundum humanitatem dicitur in sacris litteris *servus Dei*: cur ergo non poterit similiter appellari *Filius Dei adoptivus*: quæ denominatio nobilior est, quam servi?

276. Respondet S. Thomas quæst. 23. art. 4. ad 3. „ quod esse creaturam, & etiam servitus, „ vel subjectio ad Deum, non solum respicit per„ sonam, sed etiam naturam, quod non potest di„ ci de filiatione " cujus terminus est persona. Antea tamen, scilicet quæst. 16. art. 8. prudenter monuerat, *absolute* non esse dicendum, quod Christus sit *creatura*, propter hæresim Arii, *sed cum*

(*a*) Patres Francofordienses in sæpius citata epist. Synod. n. 8. & seq. *respondebant*, Christum Dei filium ex utraque natura *& unigenitum esse, & primogenitum*. „ Unigenitus, quia solus sine initio ex Deo „ Patre genitus, & solus ex initio temporis ex Matre „ Virgine genitus; ideoque in utraque natura unige„ nitus. Etiam primogenitus, quia omnis Unigenitus „ primogenitus est. " Deinde afferunt verba Comment. S. Hieronymi in epist. ad Titum Tom. VII. ita explicantis verba Apostoli II. 2. *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis*. „ Ubi „ est serpens Arius? Ubi Eunomius colubet? *Magnus* „ *Deus* Jesus Christus Salvator dicitur, non primoge„ nitus omnis creaturæ, non Verbum Dei, & Sapien„ tia (quæ sunt appellationes divinæ generationis); „ sed Jesus & Christus, quæ vocabula assumpti ho„ minis sunt. Neque vero *alium* Jesum Christum, *a„ lium* Verbum dicimus, ut nova hæresis calumnia„ tur; *sed eundem* & ante sæcula, & post sæcula, & „ ante immdum, & post Mariam: immo ex Maria „ *magnum Deum* appellamus Salvatorem nostrum Je„ sum Christum, qui dedit semetipsum pro nobis: " Unde inferebant laudati Patres, Jesum Christum in utraque natura esse *unigenitum, & primogenitum, non adoptivum, sed magnum Deum*.

cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam (a).

277. Obj. secundo. Plures sancti Patres Jesum Christum filium Dei *adoptivum* appellare non dubitarunt. Primo enim S. Irenæus *lib.* III. adv. Hær. cap. 21. *Qui Filius Dei est*, inquit, *filius hominis factus est, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei*. Secundo S. Hilarius Lib. II. de Trinit. num. 27. de Jesu Christo loquens, *Potestatis dignitas*, inquit, *non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. Tertio Marius Victorinus Lib. I. contra Candidum Arianum: *Nos*, inquit, *adoptione filii, ille natura etiam, & quadam adoptione filius, & Christus, sed secundum carnem*. Quarto Cyrillus ipse, qui Nestorium impugnavit, & damnavit, in Dialogo III. Tomo VI. Operum pag. 486. de Christo ait: *In Filium adscriptus est Dei, adoptatus nobiscum*, & Lib. XI. in Joan. cap. 12. asserit, Christum *habitudine* quadam esse Dei Filium, quod excludit filiationem naturalem. Quinto adhuc clarius S. Isidorus in Lib. *Etymologiar.* VII. cap. 2. de Christo inquit: *Unigenitus autem vocatur secundum divinitatis excellentiam, quia sine fratribus: primogenitus secundum susceptionem hominis, in qua per adoptionem gratiæ fratres habere dignatus est, de quibus esset primogenitus*. Sexto Eugenius, Hildelphonsus, & Julianus Præsules Toletani, qui Elipandum præcesserunt, in Missa de coena Domini ita dicebant: *Qui per adoptivi hominis passionem, dum suo non indulsit corpori*. Item in Missa de Ascensione Domini: *Hodie Salvator noster per adoptionem carnis sedem repetivit Deitatis*. Denique S. Augustinus in homilia quadam dixit, hominem fuisse a Deo *adoptatum*. Item de prædest. Sanct. cap. 15. *Et gratia*, inquit, *sic ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus*. Gratia autem, quæ homines fiunt Christiani, est gratia adoptionis; adeoque etiam Christus &c.

278. Resp. ad 1., S. Irenæum loqui de adoptione hominum in filios Dei, non autem de adoptione Jesu Christi, ita ut textus mutilatus appareat, & legendum sit: *Qui filius Dei est, filius hominis factus est, ut* (*filius hominis*) *adoptionem percipiens fiat filius Dei*. Et nisi textus ita suppleatur, mancus, & inintelligibilis apparet (*b*). Et præterea in eodem cap. S. Pater de Christo loquens: *Ipse*, dicit, *proprie præter omnes, qui fuerunt tunc homines, Deus, & Dominus, & Rex æternus, & unigenitus*.

279. Ad secundum respondet S. Thomas, impropriam esse illam S. Hilarii locutionem, quia, sicut filiatio proprie non convenit naturæ, ita nec adoptio: & ideo cum dicitur *carnis humilitas adoptatur*, adoptatio accipitur pro unione humanæ naturæ ad personam Filii. Non desunt tamen, qui vocem illam *adoptatur* mendosam esse censent, & legendum *adoratur* (*c*). Sed quidquid sit, præter alia hujus Sancti loca, quibus omnem adoptionem a Jesu Christo removet, illud sufficiat ex lib. III. de Trinit., ubi inquit: *Nos sumus filii Dei, sed non talis hic filius. Hic enim verus, & proprius est filius, origine, non adoptione, veritate, non nuncupatione, nativitate, non creatione*. Nil clarius desiderari potest.

280. Eademque ratione exponenda sunt verba Ma-

(a) Patres Francofordienses negarunt, Christum posse appellari *Servum* in Epist. Synod. num. 12. Idipsum negavit etiam Adrianus Papa in epist. ad Episc. Hispaniæ; & ante istos S. Jo. Damascenus Ia. III. *De fide Orthod.* cap. 25. observans, *servitutis & dominationis vocabula non naturas, sed quæ ad aliquid referuntur, indicare, ut paternitatis, & filiationis voces... Illi autem*, subdit, *qui servum eum dicunt, unam Christum ad instar Nestorii in duos dividunt*. Nihilominus alii Patres non pauci Christum *servum* appellare non dubitarunt, immo S. Cyrillus in defensione sui VI. Anathematismi contra Theodoretum: *Si quis*, inquit, *Christum servum nominatum Prophetarum voce dixerit, offendi neminem oportet*. Nec tamen Patres reipsa inter se dissentiebant, sed solum vocibus. Qui enim hanc vocem repudiabant, *servitutis* nomen in proprio, & rigido sensu sumebant, quatenus hominem significat non sui juris, & liberum: & hoc modo Christus *servus* dici nequit. Alii vero hanc vocem significatione latiore sumentes ad sensum Apostoli Philipp. II. 7. Christum *formam servi accepisse* dicebant. Vid. Ind. Thomasinus *De Incarnat.* Lib. VIII. c. 15., & seq., ubi fuse de hac re disputat.

(*b*) Totum contextum minime examinavit Erasmus, dum in præf. ad III. hunc Librum S. Irenæi pronunciavit, hanc adoptionem referendam esse ad Christum.

(*c*) Nota eruditis est magna illa controversia, quæ de voce *adoptatur* olim excitata fuit, contendentibus aliquibus, eam dolo malo fuisse a Felice Urgelitano intrusam, abrasa a Codice alia voce *adoratur*. Hinc marus initio præfat. in suum Lib. *De prædest.* „ Fe„ licem asserit, infelicem Orgellitanæ Civitatis Epi„ scopum in Concilio revictum, quia corrupto mune„ ribus juniore bibliothecario Aquensis palatii, librum „ B. Hilarii rasit, & ubi scriptum erat *Adoratur*, im„ misit, *Carnis humilitas adoptatur*, " Hujus adulterationis eumdem Felicem arguit etiam Alcuinus Lib. VI. n. 6. Felicem *convicta vecordia* Hilarii verba *immutasse* accusans, „ & omnino perversissime dixisse „ *adoptatur*, ubi Beatus Hilarius ait *adoratur*. " Hanc accusationem verum esse non dubito. Patres tamen Manrini ad hunc locum notant, a se repertos codices antiquiores hæresi Feliciana, in quibus legitur; quamobrem in sua editione eamdem lectionem reinmerunt. Potuit tamen Felix codicem Aquisgranensem corrumpere; ut nonnullos alios corruptos fuisse, iidem Patres Manrini notant. Codex antiquissimus Romanus apud Sanct. Petrum asservatus, qui Sec. VI. insunte exaratus creditur, certe habebat *adoptatur*. Sed fervente hac de re cum editoribus Manrinis disceptatione, Codex adulterina manu vitiatus repertus est, substituta littera r, loco duarum p. t., quæ abrasæ fuerant, ut legeretur *adoratur*; sed fraus illico detecta fuit, & de adulteratione fides publico instrumento eidem Codici adnexa est, quam meis oculis olim vidisse memini.

Marii Victorini, & si quæ alia ejusdem generis inveniuntur apud veteres Patres, præcipue ante exortam Nestorianam hæresim. Quod etiam innuit ipse Marius dicens: *quadam* adoptione, idest impropria.

281. Ad quartum. Cum S. Cyrillus dicit Christum *adoptatum nobiscum*, non intelligit adoptionem veram humanæ naturæ, quam contra Nestorium constanter negavit, sed *assumptionem* humanitatis in unitatem personæ; dicit enim: „ Cum „ forma nostra assumpta velut unus ex nobis *in* „ *Filium adscriptus est Dei*, adoptatus nobis„ cum, & propter nos; *ille verus, ac germa*„ *nus*, ut & nos propter ipsum filii, supernatu„ ralis gloriæ simus participes “. Ubi statim ostendit magnum discrimen inter nostram, & ipsius filiationem. Quamvis textus græcus ἐγγὺς μᾶλλον possit melius latine verti *positus nobiscum*. Alio in loco Cyrillus non dicit, Christum esse Filium Dei *habitudine*, non *natura*, quod esset Arianum, sed carnem ita ad unionem cum Deo Verbo esse assumptam, & per ipsum Verbum etiam cum Patre, cum quo est unum *habitudine*, non solum autem *natura*, quia natura carnis mansit impermixta, & sine confusione unita Verbo. Ceterum ibidem S. Cyrillus paulo antea dixerat: „ Unus „ enim Christus, *& unus Filius*, postquam factus est homo, ideoque accipere censetur unio„ nem in id etiam cum carne assumptus, *quæ* „ *a se non habet, ut cum Deo unum sit* “.

282. Ad quintum. Eadem ratione benigne explicanda sunt verba S. Isidori, ut scilicet Filius Dei per susceptionem humanitatis nobis promeruerit gratiam adoptionis, qua sumus Filii Dei, hæredes, & cohæredes Christi. Quam explicationem ipse indicat, dum dicit: *In qua*, susceptione scilicet hominis, *per adoptionem gratiæ*, quam nobis promeruit, *fratres habere dignatus est*. Ceterum in eodem loco S. Isidorus unam in Christo personam fatetur, inquiens: *Sic autem Dei Filio juncta est humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona*; utique Dei Filii naturalis.

283. Ad sextum. Manifestum est, in illis Hispanis liturgiis, quarum auctor dicitur S. Ildephonsus, per *hominem adoptivum*, & per *adoptionem carnis* nihil aliud intelligi, quam assumptionem humanitatis ad divinam Verbi personam. Sane idem S. Ildephonsus in Libro *de perpetua Virginitate B. Mariæ* cap. 6. fuse probat, Filium S. Mariæ esse Deum, *sicque*, ait, *in unitate personæ idem sit Verbum, qui caro, idem sit homo, qui Deus*. Quamvis Patres Francofordienses ita Hispanis aliquanto durius responderint n. 7. „ Melius est testimonio Dei Patris credere de Fi„ lio suo, quam Hildefonsi vestri, qui tales vo„ bis componit preces in Missarum solemnitis, „ quales universalis, & sancta Dei non habet Ec„ clesia; nec vos in illis exandiri putamus. Et „ si Hildefonsus vester in orationibus suis Chri„ stum *adoptivum* nominavit, noster vero Grego„ rius Pontifex Romanæ Sedis, & clarissimus to„ to orbe Doctor in suis orationibus semper eum „ *Unigenitum* nominare *non dubitavit* “ (*a*).

284. Ad ult. ex S. Augustino. Mirabile prorsus est, Felicem, & Elipandum ad suam causam tuendam advocasse S. hunc Doctorem, qui errorem Nestorianorum, atque eorumdem propagini Adoptianorum, antequam nasceretur, disertissime condemnavit. Sufficiant ea, quæ habet in *Enchiridio* cap. 33. Tom. VI. Postquam enim dixisset: *Cum unicus esset Dei Filius*, non gratia, sed natura, *ut esset etiam* plenus gratia, *factus est & hominis filius*, idemque ipse utrumque ex utroque unus Christus: quæ verba cum aliquibus obscura videri possent, ita clarius prosequitur: *Unus Dei filius, idemque hominis filius; unus hominis filius, idemque Dei Filius, non duo Filii Dei; Deus, & homo; sed unus Dei Filius: Deus sine initio; homo a certo initio, Dominus noster Jesus Christus*. Et postea: *Ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse homo, quam Dei Filius ... ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis, & caro, ita sit Christus una persona Verbum, & homo*.

285. Locum autem S. Augustini nobis objectum ex Libro *de prædest. Sanct.* ita explicat S. Thomas ad 2., „ quod similitudo illa Augustini est „ intelligenda, quantum ad principium, quia sci„ licet sicut sine meritis quilibet homo habet, ut „ sit Christianus, ita ille homo sine meritis ha„ buit ut esset Christus. Est tamen differentia, „ quantum ad terminum, quia scilicet Christus „ *per gratiam unionis* est filius naturalis; alius „ autem *per gratiam habitualem* est filius adop„ tivus. Gratia autem habitualis in Christo non „ fa-

(*a*) Idem Francofordienses Episcopi suspicati sunt, errorem Elipandi ab ipsius prædecessoribus Eugenio, Ildephonso, & Juliano descendere: quare Episcopis Hispanis horum auctoritatem objicientibus ita respondenrunt: „ Ut manifestum sit, quales habeatis paren„ tes; & ut notum sit omnibus, unde vos traditi si„ tis in manus infidelium. Quia hominem Christum „ verum Dei Patris Filium esse negastis, vobis defen„ sor esse noluit, sed tradidit vos in manus inimico„ rum suorum &c. “ Quæ verba merito displicuerunt erudito Auctori Præfationis ad luculentam illam Sanct. Patrum Toletanorum editionem, quæ *opera, auctoritate, & expensis* excellentissimi D. Francisci de Lorenzana Archiep. Toletani, & Hispan. Primatis anno 1782. Matriti duobus volumin. in fol. prodierunt. Idem vero Præfat. auctor hanc improbabiliter existimat, Codices illos liturgicos, quos Elipandus citaverat, post Mansorium incensionem fuisse depravatos, commutatis vocibus *assumptionis*, & *assumpti* in illas *adoptionis*, & *adoptivi*. Fortasse etiam Patres Francofordienses eos Codices ad manus non habebant, ut eos conferre possent, ac geminam illorum Patrum mentem exponere.

„ facit de non filio filium adoptivum; sed est quidam effectus filiationis naturalis in anima Christi".

286. Solet etiam objici quidam locus ex *Disputatione contra Arium*, quæ olim S. Athanasio tribuebatur, ubi num. 28. ita dicitur: *Verus quidem Filius Dei unus est, Verbum, & Deus. Est autem veluti alius Filius adoptatus per templum corporis ipsius Domini nostri Jesu Christi*.

287. Sed hujus supposititii Operis nulla est auctoritas; & quantum ad rem nostram, verus Athanasius in Lib. *de Incarnat.* num. 1. *Confitemur*, ait, *Filium Dei ante sæcula ab æterno ex Patre genitum, postremis vero sæculis ob nostram salutem ex Maria Virgine natum ... non duos Filios, alium Dei Filium, verum Deum, & adorandum, alium ex Maria hominem, qui non adoretur, quique* per gratiam, ut homines, Filius Dei sit factus &c. Quibus nihil luculentius contra hæresim Adoptianorum.

288. Obj. tertio ex ratione. In Christo fuit gratia habitualis; sed gratia habitualis facit homines filios Dei adoptivos: ergo &c.

289. Resp., minorem esse veram in nobis, qui natura non sumus filii Dei, non autem in Jesu Christo, qui cum sit naturalis filius Dei, adoptionis capax non est: adoptio enim est assumptio personæ extraneæ ad filiationis jura.

290. Dices. Ideo Christus dicitur incapax filiationis adoptivæ, quia est Filius Dei, naturaliter ab eo genitus; sed Christus non est genitus a Patre, quatenus homo; ergo quatenus homo poterit dici Filius Dei adoptivus.

291. Resp. dist. min.; hoc est ipsa natura humana non est genita a Deo, *conc.*; persona, in qua natura humana subsistit, *nego*. Unica est in Christo persona, eaque divina in duabus naturis subsistens, quæ genita est a Patre secundum naturam divinam, a matre autem secundum naturam humanam. Cum hæc persona sit naturalis Dei Filius, non amplius potest esse Filius Dei adoptivus; & Christus etiam ut homo est Filius Dei naturalis, non propter naturam humanam, sed propter personam, cui natura humana est hypostatice unita.

292. Dices secundo. Christus, ut homo, appellatur *natus*, *passus*, *crucifixus*, & *mortuus*: cur ergo dici etiam non potest filius Dei adoptivus?

293. Resp., in hoc esse discrimen, quod adoptio proprie est assumptio *personæ extraneæ* ad filiationis jura: cum ergo in Christo non sit, nisi persona divina, & hæc filationem habeat naturalem, adoptio nullum habere potest locum. Nasci autem, pati, mori conveniunt naturæ assumptæ.

294. Dices tertio. In Christo duæ sunt generationes, una æterna ex Patre, altera in tempore ex matre; ergo etiam duæ filiationes.

295. Resp. neg. cons.; nam utriusque generationis idem est terminus, nempe divina persona Verbi, quæ procedit a Patre secundum naturam divinam per æternam generationem, procedit vero a Matre per generationem carnis assumptæ: utraque autem generatione unus extitit Filius Dei. Et nisi hoc admittatur, Beata Maria Virgo non amplius summo Dei genitricis honore digna erit.

Coroll. Non hic disputabimus adversus paucos quosdam Theologos catholicos, qui confitentes nobiscum unitatem personæ in Jesu Christo, contendunt, posse sensu orthodoxo eum appellari Filium Dei *adoptivum*, addita hac restrictione *secundum humanitatem*. Ita Scotus, & Durandus, aliique pauci Scholastici, qui fortasse magis verbis, quam reipsa a communi Catholicæ Ecclesiæ doctrina dissentiunt. Satius est tamen ab hujusmodi subtilitatibus cavere, quibus mysterium Incarnationis non illustrari, sed aliqua ratione potius labefactari videtur.

CAPUT II.

De Hæresi Eutychiana. Ejus initium, progressus, & condemnatio.

296. Vix damnata fuerat Nestoriana impietas, cum prætextu ejus reliquias penitus extirpandi altera prodiit hæresis, non minus puritati Fidei Catholicæ opposita, quam Nestoriana; hæresis scilicet Eutychiana, quæ sicut unam Personam, ita etiam unam in Christo naturam fuisse asserebat. Ejus auctor fuit Eutyches Presbyter, & Archimandrita in celebri Monasterio Constantinopolitano, ubi trecentis Monachis præerat, ætate 70. annorum venerabilis, vitæ etiam sanctimonia commendatus; sed litteris minime excultus; unde *multum imprudens*, & nimis *imperitus* a S. Leone appellatus fuit in Epist. XXVIII. ad Flavianum; ut proinde timendum minime fuisset, errorem tam absurdum dilatatum iri, nisi Imperatoris Theodosii nimia indulgentia, Aulicorum quorumdam, & præcipue autem Chrysaphii Eunuchi, & Dioscori Patriarchæ Alexandrini violentia, & innumeris postea subtilium Eutychianorum argutiis vires acquisivisset.

297. Eutyches igitur, vehemens Nestorianismi insectator, ita unam prædicare cœpit in Jesu Christo Personam, ut eos anathematizaret, qui duas in ipso admittebant naturas; quasi id esset Nestorianam hæresim iterum suscitare. Theodoretus cum nonnullis Orientalibus Episcopis Eutychetem in oppositum errorem aperte declinare in variis suis epistolis manifeste ostenderat; sed quoniam propter ejus inimicitias cum S. Cyrillo fuerat Nestorianæ labis suspectus, ejus clamores non audiebantur. Verum postea successit in certamine pro causa Dei Eusebius Dorilæi Episcopus, amicitia tam cum Cyrillo, quam cum Eutychete conjunctus, & a Nestorio omnino alienus, qui Eutychetem erroris sui fraterno charitatis zelo privatis litteris sæpe admonuit; sed cum nihil proficeret, eum in Synodo, quæ præside Sancto Flaviano Patriarcha Con-

Constantinopoli celebrabatur, palam, & ex juris formulis accusavit, atque exhibito accusationis libello a Patribus petiit, ut Eutyches vocaretur, & coram toto consessu fidei suæ professionem ederet (*a*).

298. Cum fervidus accusator non desisteret, necesse fuit ex præscripto Canonum Eutychetem ad Synodum vocare. Sed ille primo venire detrectavit, caussatus, se sibi hanc legem fecisse, ut nunquam e Monasterio egrederetur. Excusatione enim indignatione rejecta, fuit vocatio iterata: & cum hanc quoque contempsisset Eutyches infirmitatis prætextu, S. Flavianus judicium suspendi volnit, quousque Eutyches sanitati restitutus posset se coram Synodo sistere, eique amantissimis verbis significari curavit, paratos esse Patres ad eum debitis charitatis officiis recipiendum, si se ab impactis criminationibus purgaret, vel errores, quorum accusabatur, christiana humilitate deponeret. Tertio demum vocatus aliquot dierum dilationem petiit, quæ illi benigne a Patribus concessa fuit, quamquam non vana esset suspicio, eumdem hac dilatione abusurum, ut Aulæ patrociniim impetraret.

299. Reipsa tandem Eutyches Synodo adfuit, sed militibus, ac Monachis stipatus una cum Magno Silentiario, qui litteras Imperatoris Theodosii detulit, Synodo jubentis, ut Conciliaribus Actibus Florentius Patritius interesset; quem propterea Patres expectare debuerunt. Ipso tandem præsente de sua fide interrogatus Eutyches variis, & quæsitis tergiversationibus utebatur. Sed a S. Flaviano pressus, ut dilucide explicaret mentem suam, an crederet Jesum Christum esse consubstantialem Matri secundum humanitatem, sicut consubstantialis Patri secundum divinitatem, post nova effugia tandem confiteri se dixit, *Jesum Christum ante adunationem fuisse ex duabus naturis, sed post adunationem nonnisi unius*. Et cum a Patribus urgeretur, ut hunc errorem deponeret, pertinaciter renuit, sæpius eumdem blasphemiam repetens. Quamobrem S. Flavianus nomine Synodi sententiam damnationis, ac depositionis a Presbyteratu, & a Monasterii Præfectura in nomine Domini Jesu Christi in eum pronunciavit; cui sententiæ Episcopi 32., & Abbates 23. subscripserunt. Eutyches tamen appellationem interposuit ad Romanum Pontificem, atque ad Episcopos Alexandriæ, Jerosolymorum, & Thessalonicæ; & propter interpositam hanc appellationem ipse cum suis Monachis, ac nonnullis aliis Synodico S. Flaviani judicio obtemperare contumaciter recusavit.

300. Interim Eutyches palam conqueri de calumniis Eusebii, de Flaviani violentia, ac de injustitia sententiæ contra se latæ; tantumque artibus, ac mendaciis valuit, ut ope Eunuchi Chrysaphii (*b*) animum Imperatoris occuparet, ac S. Flaviani fidem apud eum suspectam redderet; qui propterea coactus fuit apud eumdem Imperatorem se purgare, edita suæ doctrinæ ingenua, & pura expositione, quam concludebat his verbis: *Domine Christe, adjuva nos Deus*; animo scilicet præsago eorum malorum, quæ pro defensione fidei ipsi toleranda imminebant. Quamquam vero hac fidei professione puritatem doctrinæ S. Flaviani Imperator cognoscere potuerit, fraudibus tamen Aulicorum, ac præcipue Chrysaphii Eunuchi circumventus, in eo firmus hærebat, Eutychetem fuisse injuste condemnatum; quamobrem primo in Conventu Episcoporum habito in Regia Urbe Acta prioris Synodi examinari præcepit, quia Eutyches ea fuisse corrupta passim divulgabat; sed ejus mendacium palam factum est, inventis Actis Conciliaribus omnino incorruptis. His tamen non obstantibus Theodosius eo tandem devenit, ut Synodum generalem Ephesi celebrandam indiceret Kalend. Augusti anno 449., ad quam etiam S. Leonem Pontificem Max. invitavit.

301. Antea vero tam Eutyches, quam S. Flavianus, atque ipse Theodosius, ad S. Leonem Romanum Pontificem litteras miserant, sed nescio quo fato litteræ S. Flaviani una cum actis Synodi Constantinopolitanæ tardius ad manus ejus lem S. Leonis pervenerunt, qui propterea data ad Flavianum epistola (XXII., alias XX.) de ejus silentio conquestus, ipsi jubet, ut *quamplenissime, & lucide universa indicare festinet*. Solita tamen sua prudentia usus Sanctissimus Pontifex nihil decernere voluit; *quoniam*, inquit, *nos, qui Sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam universa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus*. Nec absimiliter Augusto Flavianum accusanti respondit (epist. XXIV., alias XXI.), scilicet *prius de quibus* (Flavianus) *arguebatur, instrui se oportere, ut posset congrue de bene cognitis judicare*. Post autem receptis binis S. Flaviani litteris, de toto negotio conscius factus celeberrimam illam dedit ad S. Flavianum dogmaticam epistolam (XXVIII., & alias XXIV.), quam Patres Concilii Chalcedonensis tamquam epistolam ipsius S. Petri receperunt, & postea tanta fuit apud omnes in veneratione, ut S. Gelasius Papa in Romano Synodo anathema dixerit, cuicumque de hujus epistolæ textu *usque ad unum jota disputaverit* (vel

(*a*) *Non semel*, inquiebat Eusebius, *nec secundo, sed sæpius eum* (Eutychetem) *conveni, & locutus sum cum eo, & inveni, eum non recta sapere, & monui, & docui; sed instabat, dicens ea, quæ aliena sunt a nostra fide*.

(*b*) Eumdem Chrysaphium in Aula Imperatoris potentissimum Eutyches e fonte baptismali susceperat. Referente autem Nicephoro Lib. XIV. *Hist. Eccl.* cap. 59. Chrysaphius Flaviano postis factus est implacabilis, quod *aureum* ut vocabant *benedictionis donum*, pro sua electione mitti recusasset, dicens, aurea Ecclesiæ vasa Deo, & pauperibus dicata esse.

(vel ut alii legunt) *dispunxerit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit* (a).

302. Quamquam vero S. Leoni hæc causa fidei *tam evidens* videretur, ut *a Concilio indicendo fuisset abstinendum*, ejus tamen celebrationi consensit, suosque Legatos ad ipsum destinavit, scilicet Julium Episcopum Puteolanum, Renatum Presbyterum, & Hilarum Diaconum, (*filium suum* nominat, & qui postea eidem in Apostolica Sede successit), & cum iis Dulcitium Notarium *probatæ fidei*.

303. Imperator vero ab Eutyche, ejusque Patrono Chrysaphio sollicitatus, Concilium celebrari omnino voluit, quod reipsa inchoatum fuit Ephesi die 8. Augusti anno 449. Aderant Episcopi 130., una cum Legatis Apostolicis. Quibus tamen Legatis concessa non est debita præsidendi prærogativa, sed Imperator contra Canonum præscripta voluit, ut Dioscorus in throno sedens Synodo præesset (*b*). Noluit autem Dioscorus aliquid de fide agitari, ea sufficere dicens, quæ in præcedentibus Synodis fuerant definita. Sed statim Eutychetis causam discuti jussit, qui in Synodum ingressus libellum protulit professionis suæ fidei, in qua primo totam Nicænam Symbolum profitebatur, & omnes hæreses Manetis, Valentini, Apollinarii, Nestorii, aliorumque usque ad Simonem Magum anathematizabat, & eos etiam, qui carnem Domini Nostri Jesu Christi de cælo descendisse asserebant. Quo in loco interrogatus Eutyches a Diogene Cyziceno, & Basilio Seleuciano, unde Christus Dominus carnem sumpsisset, respondere noluit. Notarius autem libelli lectionem prosecutus est, in quo expositis iis, quæ contra ipsum in Synodo Constantinopolitana a S. Flaviano acta fuerant, postulabat, ut persecutionis suæ auctores canonica vindicta punirentur. Recta proinde fuerunt acta Synodi Constantinopolitanæ anni 448.

304. Cum vero in ejusdem actis non semel duarum in Christo naturarum mentio occurreret, Episcopi factionis Eutychianæ, & Monachi, quos secum duxerat Barsumas Archimandrita, elata voce clamabant, ut in frusta dividerentur, qui Christum in duas dividebat naturas; ac tantus factus est clamor, ut omnes Episcopi tandem metu compulsi, eos tamquam Nestorianos damnaverint, qui duas in Christo agnoscebant naturas, non minus ac eos, qui duas dividebant personas. Sicque hæresis Eutychiana conclamata fuit, Eutyches orthodoxus judicatus, ac pristinæ dignitati restitutus; sanctus autem Flavianus, & Eusebius Doriæi condemnati, atque a suis sedibus depulsi. Ab hac sententia S. Flavianus ad Legatos Rom. Pontificis appellavit, atque ab iisdem appellatio illico recepta fuit; eorumque latina vox *contradicitur* Actis conciliaribus inserta (*c*). Adeo vero dura, & injusta ipsis Patribus visa fuit Flaviani damnatio, ut nonnulli eorum genibus Dioscori amplexatis, eum suppliciter rogaverint, ut ab eadem promulganda abstineret. Dioscorus autem inflexibilis, malle sibi dixit lingnam abscindi, quam sententiam jam latam revocare. Et postea fieri seditionem caussatus, Comites Elpidium, & Eulogium ab Imperatore missos vocavit; & statim Prochus Procousul una cum suis militibus Templum ingressus est; cui se adjunxerunt Parabolani Dioscori, ac Monachi Barsumæ; ac totam Ecclesiam occuparunt, ut inde Episcopi fugere non possent; tantusque, ac talis fuit terror omnibus incussus, ut nemo amplius reclamare auderet, ac propterea excommunicatio, & depositio S. Flaviani fuit cunctorum ore, ac manu confirmata. Simul autem cum Flaviano damnati sunt Theodoretus Cyrensis Episcopus, Ibas Edessenus, & ipse Dominus Antiochenus, qui initio Synodi Dioscoro consenserat (*d*).

305. Neque hic terminus fuit sævitiæ, & crudelitatis furiosi Dioscori; sed prætextu tumultus, &

(a) Baronius ad ann. 449. num. 40. *quid prodigiosum accidisse circa hanc tam celebrem epistolam narrat ex fide S. Eulogii Patriarchæ Alexandrini, qui hoc a S. Gregorio Magno se audivisse dicebat, dum ante Pontificatum Constantinopoli moraretur; scilicet S. Leonem posuisse eam Epistolam super tumulum Principis Apostolorum Petri, & orationibus, vigiliis, ac jejuniis vacantem ita orasse ipsum Apostolum: Si quid ut homo, vel minus caute posui; tu, cui a Domino Salvatore nostro Jesu Christo & hac Sedes, & Ecclesia omnium est, emenda.* Post quatuor autem dies apparuisse ei Apostolum, & dixisse: *Legi & emendavi;* & reipsa a Leone inventam fuisse epistolam Apostolica manu emendatam. Hæc, & quædam alia referuntur a Jo. Moscho in *Prato spirituali* c. 147., Auctore Sæc. VII. non admodum gravi. Neque fides habenda videtur Comiti Marcellino in *Chronico*, & Gennadio *de viris illustr.*, dicentibus, hanc celeberrimam epistolam fuisse a Sancto Prospero Aquitano dictatam. Nam vel solus stylus eamdem ex aureo S. Leonis calamo prodisse testatur.

(b) Liberatus in *Breviario* cap. 12. narrat, legatos Romani Pontificis Leonis vices habentes, Episcopis non assedisse, eo quod non fuerit eis data præcessio Sanctæ Sedis. Insuper etiam lectam in illo Concilio non fuisse epistolam ad Flavianum in Eutychetis damnationem a Leone scriptam.

(c) Unde etiam Prosper in *Chronico* post recitatam Flaviani damnationem subdit: *Reclamante Diacono Ecclesiæ Romanæ, qui vice Leonis Papæ cum Julio Episcopo Puteolano a Sede Apostolica fuerat destinatus.*

(d) In Concilio Chalcedonensi timidi isti Episcopi se excusare posse putarunt, allegata Dioscori violentia, & dicentes, non se, sed milites damnationi S. Flaviani subscripsisse. *Irruebant*, inquit Basilius Seleuciensis, *in Ecclesiam milites cum armis: instabant Monachi, qui cum Barsuma erant, & qui Parabolani nuncupabantur, & multitudo alia grandis.* Sed non male Dioscorus illis reposuit, hanc excusationem esse homine Christiano indignam, qui paratus esse debet ad vitam potius, quam ad causam Dei deserendam. Terror tamen potuit saltem eorum grave peccatum aliquatenus inminuere.

& seditionis non est veritus violentas manus in venerabilem Patriarcham Flavianum injicere, eumdemque in terram prostratum pugnis, ac calcibus in pectus sacerdotale vehementer illisis, adeo male mulctare, ut paulo post insignis hic fidei veritatis athleta, & Christi martyr occubuerit (a). Atque hæc fuerunt tyrannicæ illius primæ Sessionis Acta, quæ postea in Concilio Chalcedonensi relecta, & rescissa sunt.

306. Quid Romani Pontificis Legatis in tanta rerum perturbatione acciderit, ignotum est. Hilarus tamen Diaconus in epistola ad Pulcheriam Augustam narrat, se a violenta Dioscori persecutione fuga eripuisse, & per incognita, & invia loca multis superatis difficultatibus Romam demum Deo adjuvante pervenisse, ut Sanctissimum Pontificem de omnibus, quæ Ephesi contigerant, conscium redderet.

307. Qualis autem fuerit, & quanta summi Pontificis his auditis afflictio, atque angustia, facile est conjectare. Animum tamen non despondit fortissimus Leo, atque ad Deum conversus, in eoque omnem spem reponens, de remedio huic tam gravi malo afferendo cœpit cogitare. Primo autem Synodum Romæ coegit, in qua omnia rescidit, quæ Ephesi *contra canones per tumultus, & odia sæcularia a Dioscoro Episcopo gesta fuerant*, ut Hilarus testatur ad Pulcheriam scribens. Deinde nomine suo, & totius Synodi ad Imperatorem Theodosium scripsit (ep. XLIV.) & breviter expositis malis prædatoriæ illius Synodi, religiosissimum Principem obsecrat, ut *omnia in eo statu esse jubeat, in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur*; atque his verbis memorandis epistolam concludit: *Defendite contra hæreticos inconcussum Ecclesiæ statum, ut & vestrum Christi dextera defendatur imperium*.

308. Zelum etiam Pulcheriæ Augustæ, litteris ad ipsum datis excitavit, ut a Theodosio impetraret, Concilium intra Italiam celebrari, & priusquam civile hoc, & exitiale bellum intra Ecclesiam convalesceat, redintegrandæ unitatis copiam, Deo auxiliante, concedat. Scripsit præterea ad Anastasium Thessalonicensem, ad Julianum Coensem, utrumque ad Fidei puritatem servandam magnopere exhortans; tum ad Flavianum Constantinopolitanum, quem in vivis adhuc esse putabat, ipsi suam opem promittens. Scripsit demum ad Clericos Constantinopolitanos, ut neminem, superstite Flaviano, Episcopum susciperent; tum ad Faustum, ceteroque Archimandritas regiæ urbis, ut unitatem cum Flaviano antiquæ fidei prædicatore, & defensore servarent. Imprimis autem Valentinianum III., ejusque Augustam matrem Gallam Placidiam, atque uxorem Eudoxiam, occasione, qua devotionis ergo Basilicam S. Petri visitabant, enixe rogavit, ut apud Theodosium agerent, ut pro recta fide confirmanda, & pace Ecclesiæ redintegranda Synodum plenariam intra Italiam celebrari permitteret.

309. Sed frustra pertinacissimum Theodosii animum Valentinianus, & Placidia suis litteris tentarunt. Ille enim impiæ Eutychianorum factionis aures unice præbens *latrocinium Ephesinum*, ut passim a Fidelibus illa Synodus vocabatur, edicto suo confirmavit. Ejus autem patrocinio abutens Dioscorus eo impietatis transcurrit, ut collecta paucorum Episcoporum Synodo in ipsum Sanctissimum Romanum Pontificem brutum anathematis fulmen jacere ausus fuerit. Hoc ipsius horrendum facinus ita describitur in Libello Theodoreti recitato Act. I. Concilii Chalcedonensis: *Hic autem sanctissimus, magis autem circa omnia ferocissimus* (Dioscorus) *in consuetudine habens leges prævaricari, nihil arbitrans, quod ab ipso in sanctæ, & sacræ memoriæ Flavianum commissum est, insuper ad inala majora se vertit, excommunicationem faciens contra sanctissimum, & beatissimum Apostolicæ Sedis magnæ Romæ Episcopum &c.*

310. Atque is erat in toto pene Oriente Catholicæ Religionis status, ut plane universale schisma metuendum esset. Sed invictus Leonis animus spem, quam in Dei auxilio firmus nutriebat, nunquam amittens, solemni ad Theodosium legatione missa duorum Episcoporum, Asterii, & Abundii, ac Presbyterorum Basilii, & Senatoris, pro rectæ fidei conservatione, atque Ecclesiarum pace, fervidissime instabat, ut possimus dicere, in-

(a) Auctores minime inter se concordes sunt in loco, & tempore mortis S. Flaviani determinando. Si Nicephoro credimus, post triduum ex vulneribus acceptis obiit. Si Prospero in *Chronico*, *inter manus eorum, a quibus in exilium ducebatur, gloriosa ad Christum fine transit*. Sed longe probabilius videtur, quod in *Breviculo causæ Eutychianistarum* ita legitur: *Ducitur in exilium Flavianus, & apud Epipam, quæ est Lydiæ civitas, seu superveniente, seu ingesta morte defunctus est*. Certe illius sacra Ipsana Epipæ erant, quando de iis Constantinopolim transferendis cogitatum fuit.

Eminentissimus Card. Baronius ad annum Christi 449. non immerito dolet, fuisse sua ætate deletum illud hujus immanis facinoris monumentum, quod S. Hilarus hujus tragœdiæ ocularis testis, musivo opere fieri curaverat in nobilissimo S. Crucis Oratorio, ad dexteram atrii Baptisterii Constantini a se constructo; ubi E. Flavianus vitebatur a Dioscoro, ejusque satellitibus pedibus, & calcibus concidentus. Aliam etiam ædiculam idem S. Hilarus ædificari curaverat in honorem S. Joannis Evangelistæ cum hac inscriptione: *Liberatori suo B. Joanni Evangelistæ Hilarus Episcopus famulus*, in memoriam scilicet fugæ, quam ab Ephesino Latrocinio invocata S. Joannis ope, feliciter arripuit. S. autem Flaviani elogium legi potest apud Henschenium in *Actis Sanctorum* ad diem 28. Jan. qua die solemnis ejusdem Reliquiarum translatio sub Marciano Imperatore Constantinopolim facta fuit.

inquiebat: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (Epist. LXIX.). Sed antequam Legati ad regiam urbem appellerent, Theodosius jam e vivis excesserat 28. Julii anno 450.; qui annus fuit jubilaris, & Ecclesiæ, Deo juvante, faustissimus. Multa de Theodosii resipiscentia tradit Nicephorus Lib. XIV. Sed nec convenit cum aliis Scriptoribus, nec cum certis illius ætatis monumentis.

311. Demortuo Theodosio successit Pulcheria Augusta; quæ cum insolitum esset, ut imperium regeretur a fœmina, Marciano viro militari, & spectatæ virtutis ac probitatis, nupsit; ea tamen lege, ut virginitatem Deo jam consecratam in matrimonio servaret.

312. Novus Augustus Marcianus suum imperium auspicatus est a punitione impii Eunuchi Chrysaphii, a cujus perversis consiliis omnia Religionis mala repetebantur, quæ sub infelici Theodosii regimine contigerant. Legatis, quos, ut mox dictum est, S. Leo miserat ad Theodosium, debitum obsequium exhibuit. Anatholius autem, qui in Flaviani locum suffectus fuerat, S. Leonis dogmaticæ epistolæ subscribere, atque anathema Nestorio, Eutycheti, eorumque hæresi dicere in Synodo Episcoporum, qui tunc Constantinopoli degebant, præsentibus etiam Archimandritis, Presbyteris, & Diaconis, minime dubitavit. Tunc etiam Episcopi, qui pro causa fidei Dioscori violentia, malisque Chrysaphii artibus in exilium missi fuerant, suis sedibus restituti sunt; & quoniam S. Flavianus jam obierat, ejus reliquiæ ad regiam urbem magna solemnitate, & populi lætitia translatæ fuere. Eutyches vero profanæ hæreseos auctor a suo monasterio pulsus exulare debuit. Ab eadem etiam Synodo missæ sunt litteræ encyclicæ ad omnes Orientalis Imperii metropoles, ut ab Episcopis dogmatica S. Leonis epistola damnatis Nestorii, atque Eutychetis hæresibus, reciperetur; quod sine ulla difficultate ubique factum est; & doctrinæ Apostolicæ fulgor ubique resplenduit. Atque hæ veluti primitiæ fuerunt, quas novus Imperator Marcianus, una cum Augusta uxore sua Pulcheria, Dei Religioni obtulit; pro quibus S. Leo, litteris ad utrumque datis suo & omnis Ecclesiæ Romanæ nomine, majorem in modum gratulatus est, ubi etiam indulget, ut Episcopis reconciliationem poscentibus *pacis gratia tribuatur: quia devotionis*, inquit, *utrumque est Christianæ, ut & pertinaces veritas justa coerceat, & conversos charitas non repellat*. Vid. Epist. LXXIX., & LXXX.

313. Anno autem sequenti 451. ut hæc omnia bene cœpta magis solidarentur, de universali Synodo cogenda salubriter cogitatum est, quam S. Leo in Italia celebrari optabat, Marcianus autem in Oriente eamdem congregari, necessarium arbitrabatur. Reipsa autem eam Nicææ in Bithynia pro Kalend. Septembris Marcianus indixit, eidem se adfuturum promittens. Convenerant tempore statuto Nicææ Episcopi; sed cum audisset Imperator turbari Illyricum, propter metum barbaricæ irruptionis, & Concilio adesse, ut promiserat, omnino vellet, sacrum Concilium Chalcedonem transferri jussit, ubi reipsa VIII. Idus Octobris inchoatum fuit, & Kal. Novembris absolutum.

314. Adfuerant Concilio Episcopi 30. supra sexcentos (quamvis aliqui Scriptores plures numerent). Consessus habitus est extra mœnia Chalcedonis in magnifico S. Euphemiæ templo, cujus pulcherrimam descriptionem nobis reliquit Evagrius Lib. I. cap. 3. Hujus autem consessus hic erat ordo. Medium tenebant locum Judices, vice Imperatoris, qui Concilio nondum post VI. Actionem interfuit, ut Liberatus testatur in *Breviario* cap. 13. (*a*): ad ipsorum lævam partem sedebant Legati Pontificii Paschasinus, Lucentius, & Bonifacius (Presbyteri autem Basilii, qui erat quartus Romani Pontificis Legatus, nulla in Actis inveniturmentio, quem propterea aut mortuum, aut ægrotum fuisse oportet); & post eos Episcopi Constantinopolitanus, Antiochenus, & reliqui. A dextra autem Judicum sedebant Dioscorus Alexandrinus, Juvenalis Jerosolymitanus (ambo a Synodo judicandi, & condemnandi), & alii Præsules (*b*).

315. In prima Sessione Paschasinus, & Lucentius nomine S. Leonis noluerunt Dioscorum, utpote judicandum, sedere cum Patribus; itaque superbus homo debuit in medio sedere, ut reus, & tunc Eusebius Doriæi Episcopus causam contra ipsum inchoavit. Lecta statim fuere Acta pseudo-Synodi Ephesinæ, & tunc illi Episcopi, qui Dioscori violentia territi eidem consenserant, una voce clamarunt: *Omnes peccavimus: omnes veniam postulamus*. Dioscorus autem in errore obstinatus, hæresim Eutychetis palam professus est, negans, post adunationem duas fuisse in Christo naturas. Quamobrem communi Patrum suffragio, u-

(*a*) Pulcheria autem Augusta nullo modo Synodo interfuit, & ea verba, quæ in editione Conciliorum Labbeana p. 574. leguntur: *Præsente ex divino zelo, ac fervore fidei etiam piissima, & Christianissima Regina Augusta Pulcheria*, desunt in omnibus antiquis exemplaribus. Unde etiam emendandi sunt Baronius, & Bellarminus, qui Imperatorem primæ sessioni adfuisse putarunt.

(*b*) Baronius ad anno 451. num. 68. varias indicat rationes, cur Legati Pontificii, licet ceteris præsserent, ad lævam sint collocati. Sed illa probabilior videtur, quod posita in medio consessus imago Jesu Christi Crucifixi Legatos haberet ad dexteram, Dioscorum vero ad lævam partem. Sed alia difficultas oritur de Juliano Coensi Episcopo, cui etiam Sanct. Leo honorem delegationis imperitus fuerat, ei tamen locus inter Legatos concessus non fuit. Haud facile est, omnium rationem reddere, cum multæ ignorentur eorum temporum circumstantiæ.

una cum Juvenali Jerosolymitano, aliisque paucis ipsi pertinaciter adhærentibus condemnatus fuit. Absoluti vero sunt Eusebius Dorilæi aliique in Latrocinio Ephesino injuste condemnati. Quinimmo etiam Theodoreto locus inter Episcopos concessus fuit, id postulantibus Judicibus, *quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus, & piissimus Imperator sanxit, eum adesse sanctæ Synodo;* nequidquam obstrepentibus Ægyptiis, & clamantibus: *Fides perit: istum canones ejiciunt: hunc foras mittite: magistrum Nestorii foras mittite: Cyrillum ejicimus, si Theodoretum receperimus.* Atque hic finis fuit Actionis primæ, quæ tamen non sine tumultu peragi potuit, propter Dioscorum, ejusque fautores.

316. His autem ejectis, tranquillæ fuerunt aliæ Sessiones, in quarum secunda die 10. Octobris actum est de fide. Cum autem Judices novam Fidei expositionem exposcerent, reclamarunt Patres dicentes, ea opus non esse; sufficere, quæ exposita sunt: *& regulam velle, aliam expositionem non fieri;* innuentes scilicet decretum primæ Synodi Ephesinæ, quo rejecto Symbolo Nestorianorum, ad præcludendas innovationum causas, cautum est, ne nova fieret filei expositio (Vide infra not. ad num. 320.). Lectum igitur fuit Nicænum Symbolum; postea lectæ sunt duæ epistolæ Sancti Cyrilli, una ad Nestorium, altera ad Orientales pro pace restituenda, ac denum epistola Sancti Leonis ad Flavianum; de qua cum tria loca quibusdam Episcopis Illyricianis, & Palæstinis obscura viderentur, priora duo ab Archidiacono Aetio, tertium vero a Theodoreto ita explicata sunt, ut omni difficultate sublata Episcopi æclamaverint: *Hæc Patrum fides: hæc Apostolorum fides: omnes ita credimus: orthodoxi ita credimus: anathema, qui non ita credit. Petrus per Leonem ita locutus est: Apostoli ita docuerunt: pie & vere Leo docuit: Cyrillus ita docuit: Leo, & Cyrillus similiter docuerunt: hæc vera fides: catholici ita sapimus: hæc Patrum fides: hæc in Epheso lecta non sunt: hæc Dioscorus occultavit.* Postea Orientales iterum contra Dioscorum clamare cœperunt, *Dioscorum exilio, hæreticum exilio; Dioscorum Christus damnavit: qui communicat Dioscoro, Judæus est.* Contra vero Illyriciani reclamabant: *Omnes peccavimus, omnibus indulgete, Dioscorum Synodo, Dioscorum Ecclesiis.*

317. His contrariis clamoribus Patres commoti causam Dioscori in tertia Sessione habita 15. Octobris retractandam susceperunt. In ea autem præter Eusebium Dorilæi, qui suas accusationes renovavit, alii tres comparuerunt Dioscori accusatores, scilicet Athanasius Presbyter, Theodorus, & Ischyron Diaconi Ecclesiæ Alexandrinæ, ac denum etiam Laicus quidam nomine Sophronius, qui multa, & horrenda crimina Dioscoro objiciebant. Quibus auditis Patres, qui jam iterato Dioscorum vocaverant ad Concilium, tertiam ad illum citationem ex juris formulis miserunt. Cum autem trinam hanc vocationem Dioscorus pertinaciter contempsisset, Paschasinus Concilii Præses una cum aliis Apostolicæ Sedis Legatis, præmissa brevi ejusdem Dioscori criminum repetitione, ita contra eum sententiam damnationis tulit: *Unde sanctissimus, & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem sanctam Synodum, una cum ter beatissimo, & omni laude digno Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Apostolicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni sacerdotali alienavit ministerio.* Sententiæ Legatorum subscripserunt omnes Patres; & de rebus gestis relatio ad Imperatorem missa est.

318. Die 17. Octobris quarta habita est Concilii Actio, cui interfuerunt Judices, quibus, cum a præcedenti abfuissent, Paschasinus ea omnia exposuit, quæ in tertia Sessione Patres judicaverant, quæque præsentibus Judicibus denuo omnes Episcopi confirmarunt, addentes solum, quinque Episcopos, scilicet Juvenalem Jerosolymorum, Thalassium Cæsareæ, Eusebium Ancyræ, Basilium Seleuciæ, & Eustachium Berytі, vocandos ad Synodum, quoniam epistolæ Sancti Leonis subscripserant, & certa pœnitentiæ signa exhibuerant. Judices hac de re Imperatoris mandata expectari volnerunt; cum vero Imperator annuisset, ut Episcopi id facerent, quod coram Domino iis bonum visum fuerit, quinque Episcopi communi gratulatione recepti sunt. Non sic autem inerruerunt recipi decem Ægypti Episcopi, qui epistolæ S. Leonis eo prætextu subscribere recusarunt, quod deposito Dioscoro Patriarcham non haberent, sine quo subscribere iis vetitum erat. Petebant autem dilationem usque ad illud tempus, quo novus ipsis Patriarcha datus esset; quam dilationem Judicium, & Paschasini indulgentia obtinuerunt; sicque sententiam condemnationis effugerunt.

319. In eadem Sessione fuit libellus a quibusdam Archimandritis, & Monachis Imperatori oblatus, quorum præcipui erant Carosus, Dorotheus, & Maximus, & suam, ac Dioscori causam ab ipso Imperatore dijudicari poscebant, vel ab alia Synodo, cui Dioscorus præesset. Rejecta ut æquum erat, tam indignatione injusta eorum petitione, eum ipsi minarentur se ab Episcoporum communione discessuros, Aetius Archidiaconus ex codice Ecclesiæ canonem Antiochensem legit, quo tales inobedientes, & schismaticos damnari jubetur, absque ulla spe restitutionis, & si turbas excitaverint, esse per sæcularem potestatem coercendos; quo audito canone conclamarunt Episcopi: *Hæc regula Patrum.* Postea autem iisdem refractariis Monachis spatium 30. dierum concessum est, ut rebus suis consulentes, debitam Synodo obedientiam præstarent, comminata ipsis rigoris canonum executione, si obedire detrectarent.

320.

320. In Sessione V. magna fuit concertatio inter Episcopos de nova Fidei professione: non fuisse tamen de ipso Fidei dogmate, sed tantum de verbis, quibus exponebatur, aperte demonstravit felix ejusdem Sessionis exitus, nno, & concordi Episcoporum consensu fidei formula approbata. Nimirum cum prior expositio haberet: „ Unum „ eumdemque Christum, Filium, Dominum U„ nigenitum, *ex duabus naturis* &c. agnoscen„ dum " manca aliquibus visa est, quia etiam Dioscorus fatebatur, Christum esse *ex duabus naturis (a)*; aliis ex opposito contendentibus, expositionem esse integram. Hinc non levis exorta est controversia, brevi tamen sedata; Judices enim ita interlocuti sunt: „ Dioscorus dicebat: *Quod* „ *ex duabus naturis est, suscipio*: sanctissimus „ autem Archiepiscopus Leo *duas dicit esse naturas in Christo unitas inconfuse, & indivi*„ *sibiliter* in Unigenito Filio Salvatore nostro. „ Quem sequimini? sanctissimum Leonem, ant „ Dioscorum? " cui statim omnes conclamantes reposuerunt: *Ut Leo, sic credimus*. Et tandem a quibusdam selectis Episcopis una cum Sedis Apostolicæ Legatis in Sanctæ Euphemiæ sacellum se recipientibus Fidei expositio concinnata est, in qua præmissa recitatione Symboli Nicæni, & Constantinopolitani, & susceptis epistolis Synodicis S. Cyrilli ad Nestorium, & ad Orientales, tum epistola S. Leonis ad Flavianum, sancitum est, *unum eumdem Christum Filium, Dominum, Unigenitum in duabus naturis (b)*, *inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum; nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, in unam personam, atque subsistentiam concurrentis: non in duas personas partitum, atque divisum; sed unum, eumdemque Filium unigenitum, Deum Verbum, Dominum Jesum Christum, sicut ante Prophetæ de eo, & ipse nos Jesus Christus erudivit, & Patrum nobis Symbolum tradidit*. Huic autem expositioni fidei omnes acclamaverunt (c).

321. Sextæ Actioni præsens adfuit Imperator Marcianus, qui primum latina, deinde græca oratione Patres allocutus est, qua ferventem sumn zelum pro Religionis puritate conservanda patefecit, cui omnes Patres multis acclamationibus respondernnt. Post autem lecta fuit Fidei expositio in præcedenti Actione comprobata, cui post Legatos Apostolicos ceteri Episcopi subscripsere. Atque ita absoluta fuit Synodus, quantum attinet ad Eutychianæ hæreseos condemnationem. Nam quæ postea in aliis Sessionibus adjecta sunt, ad causas Episcoporum particulares pertinebant, nec omnia a summo Pontifice Leone, ejusque successoribus probata sunt.

322. Non tamen ea sunt prætereunda, quæ cum Theodoreto acta fuerunt. Diximus supra num. 315. eum ad Synodum admissum inter Patres sedisse, non obstantibus Ægyptiorum clamoribus. Post autem cum Nestorianismi de eo suspicio non esset penitus deleta, Act. VIII. jussus est Theodoretus anathema Nestorio dicere; eo autem rogante, ut relegeretur libelli supplices, quos Imperatori, & Legatis obtulerat, Episcopi clamaverunt: *Nihil relegi volumus, modo anathematiza Nestorium*. Ter-

(a) Hæc occasione facta fuit imprudens illa Anatolii Patriarchæ Constantinopolitani responsio, Dioscorum non fuisse damnatum *propter fidem*, sed quia excommunicaverat Sanct. Leonem, & Concilio se sistere contumaciter detrectaverat. Quæ responsio adeo displicuit magno Baronio, ut asserere non dubitaverit, Anatolium Dioscori sui, cujus fuerat Apocrisiarius, minime oblitum, fuisse architectum illius expositionis fidei, quam vocat *decipulam* ad simpliciores decipiendos. Contra tamen sensit Andreas Chevillerus *Dissert. in Synodum Chalcedon.* c. 2. num. 14. & seq.: cujus præcipuum argumentum est, quod illa Fidei expositio antea omnibus placuerat. Sed hoc falsum est; statim enim aliqui reclamarunt, atque imprimis Legati Apostolici, fraudem subodorati, & demum omnes novæ Fidei formulæ, magis accuratæ, & plenæ subscripserunt. Dioscorus quidem repetitis vocibus in Concilio Chalcedonensi exclamasse dicitur: *Anathema dicenti aut confusionem, aut conversionem, aut commixtionem*. Sed videadum, quo animo, & quo sensu ita exclamaverit; neque enim omnibus externis hæreticorum protestationibus facile est adhibenda fides. Certe Dioscorus a veteribus Patribus ni hæresibus Eutychianus habitus fuit, unde Damascenus Lib. III. *De fide Orthod.* cap. 3. statuens, unionem duabus naturis perfectis esse factam, dicit, non per confusionem, vel commixtionem, „ aut temperationem, *quemadmodum ille nu*„ *minis ira immissus Dioscorus, Eutyches item, &* „ *Severus ... asseruerunt*. "

(b) P. Christianus Lupus in Schol. ad hanc definitionem notavit legendum omnino esse: *in duabus naturis, non ex duabus naturis*, ut perperam quidam Codices græci habent ἐκ δύο φύσεων, quibus deceptus est P. Natalis Alexander Dissert. XII. in Sæcul. V. num. 8. Cum enim ipsidem Episcopi postendum censuissent *ex duabus naturis*, Legati Apostolici merito intercesserunt, quia sanctissimus Leo dixerat *in duabus naturis*.

(c) Post hanc fidei expositionem Ephesinum decretum renovatum est, de nulla additione Symbolo faciendæ, quo Græci Schismatici abutuntur contra particulam *Filioque* Symbolo additam, ut T. III. pag. 307. exposuimus. Hæc autem sunt illius decreti verba: „ His igitur cum omni undique exacta cura, & dili„ gentia a nobis dispositis, definivit sancta, & uni„ versalis Synodus, *alteram fidem nulli licere profer„ re, vel conscribere, aut sentire, aut alios docere*. „ Eos autem, qui audent componere fidem alteram, „ aut proferre, aut docere, aut tradere alterum Sym„ bolum volentibus ad agnitionem veritatis converti, „ vel ex gentilitate, vel ex Judæis, vel ex hæresi quas„ cumque, hos, *si* Episcopi fuerint, aut Clerici, a„ lienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos a „ Clero: si vero Monachi, aut Laici fuerint, anathe„ matizari. " Ex ipsis verbis, ac etiam ex circumstantiis aperte liquet, hanc prohibitionem non respicere Concilia œcumenica postea celebranda, sed privatas personas.

Tergiversabatur Theodoretus, volens fidem suam exponere; sed Episcopi iterum clamabant: *clare dic anathema Nestorio, & dogmatibus ejus.* Cum autem ille repoueret, *Ego nisi exposuero, quomodo credo, non dico*, Episcopi clamare cœperunt: *Iste hæreticus est; Nestorianus est, hæreticum foras mittite.* Tunc senex timore perculsus obtemperavit, & cum jam antea in multis suis scriptis hæresim Nestorianam confutasset, tandem etiam Nestorii nomen anathematæ confixit, & tunc ut Episcopus orthodoxus receptus fuit.

323. Postea Synodo se obtulit Ibas, a suo Edesseno Episcopatu sententia Latrocinii Ephesini dejectus, quia audiretur, utpote absens, & distans itinere 40. dierum. Causa diu agitata fuit, & solum die sequenti hac ratione finita. Depositio ab Episcopatu rescissa est, utpote contra Ecclesiæ regulam, ut nemo absens, & inauditus condemnetur: obstabat tamen ejus receptioni epistola scripta ad Marin Persam contra S. Cyrillum: sed cum in fine ejusdem epistolæ orthodoxe locutus inveniretur, & insuper definitioni Synodi Chalcedonensis, ac S. Leonis epistolæ subscripsisset, tum vero Nestorio anathema dixisset, & decem millies se dicere paratum profiteretur, tandem & ipse in sua Episcopali dignitate servatus est. Vide, quæ de his, ac Theodoro Mopsuesteno supra dicta sunt num. 213. & sequ. Et hæc aliquanto fusius exponere voluimus, tum quia scitu dignissima sunt; tum etiam quia iis, quæ dicturi sumus, non modicam afferunt lucem.

ARTICULUS II.

De iis, quæ post Synodum Chalcedonensem in causa Eutychianorum contigerunt.

324. Spes omnium bonorum post solemne adeo de hæresi Eutychiana judicium totius Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis consensione prolatum, absurdum illum errorem natalitiis tenebris esse sepultum. Et quidem, quoad vixit Marcianus, & S. Proterius Dioscoro successor datus, Alexandriam administrávit Ecclesiam, res pro voto cessit. Sed Marciano vita functo anno 457., Timotheus quidam cognomento Ælurus, & Petrus Moggus ex damnata Dioscori factione, collecta impiorum manu Proterium in Ecclesia crudeliter trucidarunt, duo autem Episcopi, & Eusebius Pelusii, & Petrus Majumæ, qui ambo fuerant propter hæresim exauctorati, ipsum parricidam Timotheum in Patriarcham Alexandrinum ordinarunt; & tunc Eutychiana pestis iterum pullulavit, & Chalcedonensi Synodo atrox bellum indictum est.

325. Episcopi catholici, & Clerici diœcesis Alexandrinæ ad Leonem Augustum, qui Marciano successerat, illico confugerunt, ejus opem pro fide periclitante suppliciter implorantes. Confugerunt quoque ad eumdem Hæretici, novam Synodum postulantes. Leo autem causam dijudicandam remisit Anatolio Patriarchæ Constantinopolitano, qui collecta Synodo Episcoporum in Regia Urbe degentium, Concilium Chalcedonense, damnato Timotheo, vindicavit; quæ Anatolii sententia ab omnibus integræ fidei Episcopis (a), imprimis autem a S. Leone Papa probata fuit, qui pro sollicitudine quam gerebat universæ Ecclesiæ, nullam diligentiam omisit, ut Synodus Chalcedonensis sarta tectaque remaneret, & pax in Ecclesia Alexandrina, ejecto invasore, restitueretur. Reipsa ab Imperatore obtinuit, ut Timotheus in exilium pelleretur; eique suffectus est alter Timotheus cognomento Salophaciolus, idest *Album*, qui pacifice Ecclesiam Alexandrinam rexit, quamdiu regnavit Leo.

326. Sed sub Zenone Leonis successore Ælurus iterum Alexandrinam Sedem malis artibus occuperavit, & Constantinopolim profectus Imperatoris patrocinium expetit. Senior aliquanto videbatur in causa tam justa Imperator; quamobrem S. Simplicius, qui in Apostolica Sede S. Leonem subsecutus est, & Imperum Zenonem, & Acacium Patriarcham Constantinopolitanum, & alios Episcopos, & Clericos ferventissimis litteris pro Religionis puritate conservanda adhortatus est. Reipsa post biennalem circiter tyrannidem Ælurus finem turbandi Ecclesiam fecit, morte sibi hausto veneno ex desperatione illata anno 478.

327. Eutychiani vero semper inquieti in locum defuncti elegerunt Petrum Moggum ejusdem factionis hominem; quem tamen Imperator a Sede Patriarchali illico dejiciendum mandavit, Timotheo Salophaciolo restituto, qua de re Simplicius Papa gratulatorias litteras ad Zenonem, & Acacium dedit, atque iterum pax in Alexandrina Ecclesia restituta videbatur. Brevi tamen duravit, majoresque turbæ consecutæ sunt.

328. Nam anno 482. defuncto Salophaciolo, Catholici Episcopi, Clericis, & Monachis suffragantibus Patriarchales Insulas Jo. Talaja Presbytero, & Œconomo Ecclesiæ Alexandrinæ detulerunt. Sed Imperator ab Acacio variis artibus deceptus, ejusdem electionem approbare recusavit, atque in vacantem S. Marci sedem Petrum Moggum, qui paulo ante tamquam execrabile monstrum, sanguine S. Proterii pollutum, ab eadem expulsus fuerat, postliminio revocavit, ea tamen lege, ut duas in Christo naturas profiteretur, & Synodum Chalcedonensem reciperet; quod ille ficto, simulatoque animo præstare non dubitavit.

Sum-

(a) Eulogius Alexandrinus mille & sexcentos Episcopos numerat apud Photium Cod. CCXXX. alii minorem statuunt numerum. Sed præter hos aliqui etiam fuerunt insignes sanctitate Monachi, ut Simeon Stylites, Jacobus, & Baradatus, quos memorant Evagrius L. II. c. 12., & Liberatus in Breviario c. 16.

Summus tamen Pontifex apud Imperatorem de restitutione hujus Hæreticorum socii, & principis graviter conquestus est. Idipsum præstitit etiam Felix III., qui anno 485. Simplicio successit. Sed uterque frustra; pertinax enim Acacius Imperatorem in prava sua sententia confirmavit. Petrus autem Moggus non multo post Eutychianum virus, quod fovebat in corde, exterius prodidit, aperte ejurata Chalcedonensi Synodo, quam paulo ante subdolo, fictoque animo recipere se simulaverat. Nec tamen indigno hoc facinore Acacius commotus est, nec communionem cum eo abrupit. Petro Moggo alii successerunt Patriarchæ, Synodi Chalcedonensis hostes, & Entychiana fuligine tincti; de quibus modo non attinet dicere.

329. Non soli autem mox memorati Alexandrini Patriarchæ Synodo Chalcedonensi refragati sunt, sed alii non pauci; atque imprimis Monachi Palæstinæ duce Theodosio, qui Eutychetis amicissimus erat. Hi nefariorum hominum non parva collavie stipati Juvenalem, aliosque Episcopos, qui Synodo Chalcedonensi interfuerant, a suis sedibus violenter detruserunt, & Theodosium, aliosque Eutychetis sectarios in iis collocarunt. Eosdem tamen Monachos imperitia peccasse, & de rebus Chalcedone gestis a quibusdam falsariis deceptos, verisimile est. Quamobrem tam Marcianus Imperator, ejusque Augusta uxor Pulcheria, quam ipse summus Pontifex Leo, litteris mansuetudine plenis ipsos de rei veritate instruere satagerunt; ita tamen, ut in contumaces, & seditionis antesignanos justitiæ rigor non infringeretur. Unde Marcianus Dorotheo Palæstinæ Præfecto jussit, ut Theodosium in vincula conjiceret, ceteros vero modis omnibus coerceret. Et S. Leo in epist. CXVIII. ad Julianum Coensem ita scripsit: *Si qui autem sua obduratione cæcati, ita in reprobi sensus amentiam transierunt, ut malint furere, quam sanari, ad Imperialem pertinet potestatem, ut perturbatores ecclesiasticæ pacis, & reipublicæ, quæ Christianis Principibus merito gloriatur, inimici sollicitius comprimantur.* Istorum errantium reconciliatio cum Ecclesia catholica sub S. Martyrio secuta est, magnaque solemnitate celebrata, duobus exceptis Archimandritis Gerontio, & Romano, qui propter insuperabilem pertinaciam a suis Monasteriis ejecti, & profugi misere perierunt (*a*).

330. Contra Synodum Chalcedonensem, atque epistolam S. Leonis insurrexit etiam Basiliscus tyrannus, qui Zenone in Isauriam fugiente anno 476. imperium arrogaverat. Instinctu enim Timothei Æluri missis ad Episcopos encyclicis litteris jussit, omnia illius Synodi exemplaria conquiri, & flammis comburi, & hujus Synodi loco recipi pseudo-Synodum Ephesinam. Vix sine stomacho legi potest harum litterarum exemplar apud Evagrium Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 4. Non pauci Episcopi impiis Basilisci mandatis obtemperarunt. Renuit tamen Acacius Patriarcha Constantinopolitanus, una cum illius urbis Monachis; immo & plebs tumultuari cœpit, adeo ut Basiliscus consultius duxerit, fugam arripere. Et cum ex alia parte reditum Zenonis cum forti exercitu pertimesceret, litteras, quas vocavit *anticyclicas*, emisit, quibus priorem contra Synodum Chalcedonensem sanctionem rescidit. Istarum quoque exemplar exhibet laudatus supra Evagrius c. 8.

331. Inter hostes Concilii Chalcedonensis numeratur etiam Zeno Imperator, non quidem quasi Eutychianam hæresim amplexus doctrinam in hoc Sacrosancto Concilio definitam respuerit, sed propter celebre ipsius *Henoticon*, in quo omnis prorsus mentio hujus Sancti Concilii studiose omissa fuerat. Nempe cum Zeno, pulso Basilisco, imperium anno 477. recuperasset, & multa pietatis, ac sinceræ fidei signa exhibuisset, ab Acacio Patriarcha Constantinopolitano primum induci se passus est, ut Jo. Talaja ab Alexandrina sede ejecto, in eamdem Petrum Moggum jam antea damnatum restitueret, ut supra dictum est n. 328. deinde ad pacem in Ecclesiis redintegrandam famosum illud ederet Decretum unitivum, seu *Henoticon* nuncupatum, quod integrum exhibet Evagrius Lib. III. cap. 14., & ex eo Baronius ad ann. 482. n. 26. In eo autem Imperator solam fidem nominat a 318. Patribus Nicænæ expositam, & a 150. Constantinopoli confirmatam, *nec aliud Symbolum, vel doctrinam, vel decisionem fidei, vel fidem* in Ecclesiis haberi vult; declarans eidem Nicænæ Fidei assensos fuisse Patres in Concilio Ephesino congregatos; tum Nestorio, atque Eutycheti, se anathema denuntiare; *utergue enim fidei decretis* Nicænis, & Constantinopolitanis *repugnat*; ac demum approbare se duodecim capitula S. Cyrilli. Postea vero ita concludit: *Cuique autem, qui aliud quidlam vel senserit, vel sentiat, seu jam, seu alias, seu in Concilio Chalcedonensi, seu in alio quovis Concilio, anathema indicimus.* Hoc est famosum illud Henoticon, Acacio suadente, vel fortasse etiam dictante, compositum; in quo sin minus expresse, saltem tacite Concilium Chalcedonense una cum dogmatica epistola S. Leonis ad Flavianum proscribitur. Quamvis autem sana doctrina in eis definita Henotico non proscriberetur, eidem tamen ad-

(*a*) Milita cum istis Monachis actum fuit, quia constabat eos a Theodosio falsis Concilii actis, & prava Sancti Leonis epistolæ versione deceptos, credidisse Nestorianam impietatem esse denuo suscitatam, & simul cum duabus naturis duas personas in Jesu Christo reponi. Imperatrix etiam Endoxia, Theodosii Imperatoris quondam uxor, quæ tunc in Palæstina morabatur, creditur non modicam in his turbis partem habuisse, ut dilecti a se Dioscori proscriptionem ulcisceretur.

admodum nocuit; unde etiam communiter a Catholicis rejectum fuit (*a*).

332. Non minus Sanctæ Chalcedonensis Synodi hostem se præbuit Anastasius Zenonis in Imperio successor; quamvis in sui inauguratione solemniter promiserit, se decreta ejusdem Synodi religiose servaturum, cujus juramenti chartam propria ipsius manu signatam Patriarcha Euphemius in thesauro Ecclesiæ Constantinopolitanæ servari jussit. Sed Anastasius brevi suæ promissionis oblitus Episcopos Catholicos, eosque maxime, qui Synodum Chalcedonensem tuebantur, crudeliter vexavit, præcipue autem Euphemium & Macedonium Patriarchas Constantinopolitanos, & sub hoc Imperatore Eutychiana factio tantas vires acquisivit, ut ex Patriarchis Orientalibus unus Macedonius orthodoxæ fidei, & Concilio Chalcedonensi *firmiter* adhæreret; Nicætas enim Alexandrinus aperte Synodum Chalcedonensem rejiciebat; Severus autem Hæresiarca, de quo postea, Antiochenam cathedram, expulso Flaviano, occupaverat. Et talis erat Ecclesiæ Orientalis infelix status, imperante Anastasio.

333. Sed alius fuit Concilii Chalcedonensis clancularius hostis, qui postea a Deo ad altiora vocatus, ac totus mutatus pro ejusdem defensione diu, multumque pugnavit. Is fuit Vigilius, qui dum Constantinopoli moraretur sub Pontificatu Agapeti, ambitione obtinendi Pontificatus Romani in transversum actus, cum Augusta Theodora transegit, ut si ejus ope Sedem Apostolicam obtineret, in condemnationem Concilii Chalcedonensis consensurus esset. Reipsa Augusta per Bellisarium Patritium effecit, ut pulso in exilium Sylverio legitimo Pontifice, in ejus locum simoniace intruderetur Vigilius; qui promissionis memor secretas litteras dedisse fertur ad Theodosium, Authimum, & Severum Eutychianos, in quibus eorum errores probat, duarumque in Christo naturarum confessionem condemnabat. Has litteras memorant Liberatus in suo *Breviario* c. 22., & Victor Turonensis in *Chronico*; easdemque indicat etiam Facundus in Lib. adv. Mocianum. Quamquam Baronius eas suppositilias esse contendit (*b*).

334. Sed antequam hunc articulum absolvamus, nonnulla addenda sunt de multiformibus sectis, seu capitibus hujus Eutychianæ hydræ, quæ decem ab Anastasio Sinaita in ὁδηγῷ capp. 6. & 24. numerantur; a Nicephoro autem duodecim Lib. XVIII. cap. 45. quæ tamen omnes sub uno *Monophysitarum* nomine comprehenduntur, quod omnes in eo convenirent, ut unam tantummodo in Christo naturam agnoscerent: unde nomine potius, quam reipsa differunt.

335. Primo autem Facundus Hermianensis Lib. I. cap. 5. duas præcipuas sectas distinguebat, inquiens: „ Eutychianorum duæ sunt partes: una, „ quæ per totum sequitur Eutychis principis sui „ sententiam: alia vero, quæ in quibusdam ab eo „ dissentiens, per superbiam tamen dedignatur ad „ Ecclesiam pœnitendo reverti. “ Hos secundos Eutychianos vocat *Acephalos*, vel *Semieutychianos*, quia unam quidem Jesu Christi naturam prædicabant, sed quæ *secundum aliquid naturæ Patris esset consubstantialis, & item secundum aliquid nostræ*. Ita quidem Facundus. Id etiam consonat doctrinæ, quam postea Severiani exposuerunt in Collatione habita Constantinopoli sub Ju-

(*a*) Protestabatur vero Imperator, se Concilium Chalcedonense debita veneratione suscipere; unde ad Felicem Rom. Pontificem ita scribebat: *Pro certo habere debet, & Pietatem nostram, & supra memoratum sanctissimum Petrum* (Moggum), *& universas sacrosanctas Ecclesias sanctissimam Chalcedonense Concilium amplecti, atque venerari, quod cum fide Nicæni Concilii prorsus consentit*. Ex quibus, aliisque Nat. Alexander, & Antonius Pagius Baronio non consentiunt, qui ad ann. 482. num. 31. & seq. Zenonem *semper hæreticam* fuisse scribit, atque *hæreticorum patrocinium modo palam, modo clanculum suscepisse*. Hoc Zenonis Henoticon solita sua ferventi eloquentia ita exagitat Facundus Hermianensis Lib. XII. cap. 4. „ Ea vero, „ quæ Zeno Imperator, calcata reverentia ordinis Dei, „ pro suo arbitrio, ac potestate decrevit, quis acci- „ piat? quis attendat? in quibus potestas inconsidera- „ ta, non quod expediret, sed sibi liceret, attendit: „ nec intellexit, quod *non confusio faciat unitatem*. „ Nam si unitas non hæreticorum conversione, sed „ contagio, & commixtione faciendi esset, cur Acepha- „ li tantum & non omnes hæretici admitterentur in „ Ecclesiam, suis erroribus non ante damnatis, neque „ receptis definitionibus, quæ adversus errores eorum „ constitutæ sunt? „ Deinde considerans inscriptionem Henotici *orthodoxis Episcopis, Archimandritis, & populis*, quos Zeno hortatur, *ut socientur Ecclesiæ*, ita prosequitur: „ O virum prudentem, & undique cir- „ cumspectum, qui incubare præsumpsit officio Sacer- „ dotum: Orthodoxos vocat Acephalos, si nihil aliud, „ ab Ecclesia separatos. Cur igitur eos hortatur, ut „ conjungantur matri spirituali, si ex ea disjuncti per- „ manserint orthodoxi? ..... Nam volens eisdem Se- „ mieutychianis satisfacere, in hoc edicto fidem suam „ exposuit, profitens, quod Nicænum, Constantinopo- „ litanum, Ephesinum Concilium susciperet; tacens „ autem de Chalcedonensi, *& duarum Christi naturarum professionem* refugiens, quasi non antidoto sa- „ nandi sint morbi, sed ad aliorum contagium colli- „ gendi ..... Qui etiam aliud *deterius* addens ait, *quod „ sanctæ, quæ ubique essent, Catholicæ Ecclesiæ, & „ qui eis præessent, Deo amabiles Sacerdotes, non a- „ liter crederent*. Quasi omnium fides Ecclesiarum ex „ ejus voluntate penderet, & nemini aliter liceret cre- „ dere, quam præciperet Imperator. “

(*b*) Eminentiss. Card. Augustinus Orsi L. XII. *Hist. Ecclesiastica* n. 49. opportune observat, hanc horribilem Vigilii prævaricationem nihil dignitati Apostolicæ Sedis obesse; neque enim tunc Vigilius erat legitimus Pontifex: quando autem mortuo Sylverio eam Cathedram consendit, in alterum virum mutatus, nihil auctoritati Synodi Chalcedonensis derogari passus est. Vid. snp. n. 216. seq.

Justiniano Imperatore; in qua professi sunt, se anathema Eutycheti dicere, quin adduci possent, ut Synodum Chalcedonensem reciperent; & qui ut scribit Evagrius Lib. III. cap. 5. duas in Christo naturas confiteri nolebant, ne divisio sequeretur, ipsum tamen ex duabus naturis perfectis esse dicebant.

336. Sed alii *Acephalos* ab Eutychianis non distinguunt, nisi quia cum antea ut suum caput sequerentur Petrum Moggum Alexandrinæ Ecclesiæ invasorem, postea ab eo desciverunt, quando recepto *Henotico* Zenonis Synodum Chalcedonensem non amplius aperte damnabat. Quamquam vero Moggus ad hanc scissionem tollendam Synodum Chalcedonensem postea damnaverit, iidem tamen ab ejus communione divisi perseverarunt: *ac propterea nominati sunt Acephali, quod a capite idest Patriarcha suo disjuncti seorsim congregabantur;* ut testatur Leontius in Lib. *de Sectis* Act. V., ubi eorum errorem solide, & erudite refellit.

337. Idem Leontius in eodem opere aliorum Eutychianorum, qui dicti sunt *Hæsitantes*, vel *Segregati*, græce βασκανίται argumenta affert, & dissolvit. In istorum vero secta reponit etiam Anastasium Imperatorem, de quo supra num. 332. Actione autem VI. scribit, Justinianum Imperatorem horum *Hæsitantium* causa trium Capitulorum damnationem tanto studio curasse; his enim anathematizatis sperabat, Concilium Chalcedonense receptum iri, *verum*, subdit Leontius *nec sic quidem adducti sunt Hæsitantes, ut Synodum reciperent*. Non videntur isti ab Acephalis reipsa distincti.

338. Sequuntur *Severiani*, ita dicti ab impio Severo, qui Cathedram Antiochenam expulso legitimo ejus Episcopo Flaviano non sine magna hominum cæde surripuit anno Christi 512. Iste Henoticon Zenonis subscripsit, simul etiam Concilium Chalcedonense damnans; in quam impietatem multos alios Episcopos pertraxit; ita ut quasi novum caput Eutychianorum factus fuerit: unde non *hæretici* solum, sed plane infame *hæresiarchæ* nomen promeruit. Hic patrocinio Anastasii Imperatoris abutens multa, & gravissima mala Ecclesiis Orientalibus attulit, donec tandem damnatus in Concilio Constantinopolitano 4o. Episcoporum sub Joanne Patriarcha anno Christi 518., omni honore, dignitate, ac communione fidelium privatus fuit. Quam justam damnationem confirmarunt postea Episcopi Palæstinæ in Synodo habita a Joanne Jerosolymitano, tum Episcopi Tyri cum Epiphanio Metropolita. Severo autem exauctorato Thronum Antiochenum conscendit Paulus, qui orthodoxam doctrinam, & Synodi Chalcedonensis venerationem in magna Antiochena diœcesi restituit. Id factum est sub Justino religiosissimo Imperatore, qui anno 518. impio Anastasio in Imperio successit. Sub eodem etiam Augusto a Rom. Pontifice Agapeto depositus fuit Anthimus a Constantinopolitana Sede, qui Severo consenserat; & in eadem constitutus Mennas Catholicus, qui in Concilio præsentibus Apostolicis Legatis Pelagio, & Theophane, ac 3o. Episcopis sententiam damnationis tulit in depositos jam Anthimum & Severum.

339. Inter alios Severi discipulos fuit Jacobus Monachus, *Zanzalus*, & *Baradæus* cognominatus, qui Syros plerosque a recta fide abduxit; qui proinde ab ejus nomine Eutychiani Jacobitæ dicti sunt, latissime propagati, & qui ab aliis sejuncti proprios sibi constituere Patriarchas, quorum serien adhuc vigentem texuit Jos. Simonius Assemanus Tom. II. *Biblioth. Oriental.* pag. 321. seq. quamquam communionem cum aliis hæreticis, immo & cum Catholicis habere non recusant, totam dissensionem non in fidei articulis, sed in Scholasticorum opinionibus esse putantes, qua in re tote aberrant ostio; agitur enim de fide in Concilio œcumenico Chalcedonensi definita. Isti aliquatenus a stolida Eutychetis hæresi recessisse videntur, unam tantum profitentes in Christo naturam *ex divinitate, & humanitate compositam, conversionis tamen, conjusionis, & commixtionis expertem*.

340. Ejusdem Scholæ Severianæ fuit Joannes Philoponus dictus, & Tritheitarum sectæ auctor; de quo nonnulla notavimus Tom. II. pag. 43.

341. Sed præ ceteris memorari meretur secta *Theopaschitarum*, hoc est eorum Eutychianorum, qui consequenter ad sui Magistri principia, ipsam naturam divinam passam fuisse insane delirantes blasphemabant; ac propterea in medio Crucis clavo affixo unam SS. Trinitatis personam crucifixam fuisse indicabant. Atque ab his orta fuit illa additio facta Trisagio: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, qui passus es pro nobis, miserere nobis;* cujus auctor dicitur Petrus Fullo, seu Gnaphæus Antiochenus pseudo Episcopus; & quæ tot turbas præcipue Constantinopoli excitavit, ut multa ejus causa hominum millia misere perierint (*a*).

342. Hujusmodi additamentum merito suspectum

(*a*) Anastasius Imperator in regia urbe trisagion cum adjecta clausula: *qui passus es pro nobis*, decantari jusserat: sed populus antiquæ formulæ assuetus acriter resistebat, ac tumultuabatur. Cum autem anno 511. die 4. Novembris, quæ Dominica erat, in magna hominum frequentia Marinus Præfectus Prætorii, & Pilato Præfectus civitatis trisagion cum additione magna voce cantare cœpissent, Catholici vero contentiose resisterent, ad arma ventum est, non sine magna Catholicorum sanguinis effusione. Sed postridie cum iidem Catholici majori numero accurrissent, seditionis incendium adeo auctum est, ut Catholicis prævalentibus multi Eutychianorum occisi fuerint, atque ut in hujusmodi tumultibus accidere solet, militari licentia eorum domus eversæ, ac flammis conflatæ. Brevi autem malum sic crevit, ut infelix Imperator

etum erat, & jure a Catholicis rejiciebatur; tum quia ab Eutychianis erat factum, qui naturam humanam in Christo non admittentes, passionem divinitati tribuebant: tum etiam quia conneto fidelium more hoc canticum ad Deum unum, & trinum dirigebatur ad imitationem trisagii Angelici, quod Isaiæ VI. 3. legitur. Ceterum si dirigatur ad Jesum Christum, & Deum, & hominem, nullam meretur reprehensionem. Quocirca ad tollendam æquivocationem, Calendio Præsul Antiochenus orthodoxus, ita præceperat cani: „ Sanctus „ Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, „ *Christe Rex, qui crucifixus es pro nobis*" quæ tamen additio Eutychianis non probabatur.

343. Inter Eutychianos etiam disputari cœptum est, an Christi Corpus esset incorruptibile? Affirmavit Julianus Halicarnassæus ex Severi schola, quia si corruptibilis caro Christi dicatur, necessario duæ in eo naturæ confitendæ sint. Vernm negabant alii una cum ipso Severo; unde duæ sectæ natæ sunt *Incorrupticolarum*, & *Corruptícolarum*; de quibus aliqua diximus p. 120. Primæ sectæ coriphæus erat Gajanus, qui Timotheo in Patriarchatu Alexandrino successit; alterius autem Theodosius, qui Gajano post breve intervallum temporis expulso eamdem sedem occupavit, non sine magnis turbis, & hominum cædibus. De his sectis nonnulla habet Eulogius apud Photium Cod. CCXXVII. Atque hæc pauca ex historia infelicis ejus ævi delibare necessarium visum est, antequam turbulentissimam, & obstinatissimam illam hæresim theologicis momentis ex verbo Dei scripto, & tradito, ac etiam rationum pondere confutaremus.

ARTICULUS III.

Qualis fuerit Eutychetis hæresis.

344. Non defuerunt, qui ut Nestorianam, ita etiam Eutychianam hæresim *imaginariam* vocarent, positam scilicet in sola verborum inanili contentione, cum de rebus una esset omnium sententia (*a*). Quod si verum esset, quis non videt, & Sanctorum Patrum, & Conciliorum, & summorum etiam Pontificum auctoritatem ludibrio exponi, quasi pro solis verbis tanta animorum contentione certassent? Sit itaque

PROPOSITIO I.

Eutyches vere docuit, unam tantummodo fuisse in Jesu Christo naturam.

345. Ita noster S. Præceptor lib. 4. cont. Gent. cap. 35. inquiens: „ Eutyches, ut unitatem per„ sonæ contra Nestorium servaret in Christo, di„ xit, *in Christo esse etiam unam naturam*, „ ita quod quamvis ante unionem essent duæ na„ turæ distinctæ, divina, & humana, *in unione* „ *tamen coierunt in unam naturam*. Et sic di„ cebat, *Christi personam ex duabus naturis* „ *esse, non autem in duabus naturis subsiste*„ *re*, propter quod in Chalcedonensi Synodo est „ condemnatus." Idipsum probatur testimoniis certissimis.

346. Primo ex Concilio Constantinopolitano an. 448. (vid. sup. n. 197., sequ.); coactus enim suam fidem exponere, duasque in Christo naturas confiteri, post multas tergiversationes, quibus errorem suum occulere studebat, tandem ita pressus, ut elabi amplius non posset, *Confiteor*, inquit, *ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem: post adunationem vero unam naturam confiteor*; in cujus erroris confirmatione pertinax fuit, addendo, *se scripta legisse B. Cyrilli, & Sanctorum Patrum, & B. Athanasii, quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem; post adunationem autem, & Incarnationem non jam duas naturas, sed unam naturam dixerunt*. Immo eo dementiæ infelix, atque ignarus Archimandrita processit, ut Joan. Presbytero Synodi Constantinopol. defensori dixerit, etiamsi apud Patres inveniseet, in Christo esse duas naturas, *se id non suscipere, quia divinæ Scripturæ meliores sunt Patrum do-*

sibi metuens latebras quærere coactus sit: & jam de altero Imperatore proclamando agebatur. Sed hanc procellam Anastasius opportune sedavit, in circo sine corona instar supplicis comparens; & ægre tandem obtinuit, ut sibi imperiale diadema redderetur; neque postea tentavit, ut nova trisagii additio in Ecclesia caneretur.

(*a*) P. Gabriel Vasquez T. 1. in 3. P. S. Thomæ qu. II. Disp. XIV. c. 1. p. 109. edit. Lugd. 1620. affert sententiam Alphonsi de Castro, putantis, Eutychetem docuisse, in Christo post unionem mansisse unam naturam, per compositionem *ex duabus permanentibus in ipso, non per conversionem unius in alium*. Quam sententiam & ipse Vasquezius approbat, & nonnulla argumenta ad ipsam confirmandam adducit. Conatur vero ad suum sensum pertrahere Patres, qui aperte testantur, Eutychetis errorem in eo fuisse, quod post

adunationem non amplius remanere duas naturas professerit. Festivum est autem, quod inter hos Patres laudat etiam S. Augustinum *De hæresibus* c. 90.; qui tamen aliquot annis ante Eutychetis hæresim ad immortalem vitam commigraverat. Notant quidem Editores Maurini in Codicibus plerisque Mss. addi Nestorianos, & Eutychianos: sed facile erat videre, non posse hæc S. August. jam præmortuo attribui. Quamquam ea, quæ de Eutychete addita sunt, Vasquezii sententiæ repugnant; dicitur enim de hoc Hæresiarcha, quod *humanitatis in Christo denegans veritatem, quidquid a Verbo nostræ proprietatis receptum est, divina tantummodo adscribit essentiæ*. Joann. Frider. Cotta Lutheranus in Dissert. I. *De persona Christi* §. 44. memorat alios *viros doctos*, qui *Eutychianorum sententiam ita explicant, ut a vera, & orthodoxa doctrina haud differre videatur*.

doctrinis: quasi vero Patrum doctrina sit, aut posit esse Scripturis contraria; vel ipse melius, quam S. Patres, Scripturas intelligeret (*a*).

347. Secundo id ipsum de Eutychete testatus est S. Flavianus, qui pro ejus resipiscentia nihil intentatum omisit. Immo in epist. ad S. Leonem alium addit Eutychetis errorem, qui prioris erat consectarius. *Adjecit*, inquit, *aliam impietatem, dicens: Corpus Domini, quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantiæ, neque humanæ conspersionis: sed humanum quidem illud vocat, non tamen nobis consubstantiale, neque Genitrici ejus secundum carnem.* Flavianum autem non fuisse istius hæresis apprime conscium, contra quam ad sanguinis usque effusionem pugnavit, quis unquam credat?

348. Tertio accedit auctoritas gravissima S. Leonis Papæ, qui de tota hac controversia ex litteris ipsius Eutychetis, ac Flaviani, & ex relationibus aliorum Legatorum tam in *Ephesino Latrocinio*, quam in œcumenica Synodo Chalcedonensi, omnino edoctus fuerat. Eutychetis autem blasphemias anathematæ sæpius perculit, & in dogmatica sua epistola, aliisque scriptis solidissime confutavit (*b*). Jam vero in celebratissima sua epistola ad Flavianum Eutychetem recte redarguit, quod Sacramentum Incarnationis everterit, *qui naturam nostram in Unigenito Dei, nec per humiliatem mortalitatis, nec per gloriam resurrectionis agnovit.* Et alibi in epist. ad Leonem Augustum ostendit, Eutychetem per impios veterum Hæreticorum volutatum errores, tandem in Apollinaris hæresim incidisse, *ut negata humanæ carnis, atque animæ veritate totum D. N. J. C. unius asseveret esse naturæ, tamquam Verbi Deitas ipsa se in carnem, animamque converterit.* Et in Serm. VIII. de Nativ. Domini c. 5. Eutychetis errorem exponens: *Hic autem*, inquit, *recentioris sacrilegii profanus assertor, unitionem quidem in Christo duarum confessus est naturarum, sed ipsa unitione id dixit effectum, ut ex duabus una remaneret, nullatenus alterius existente substantia.*

349. Quarto id ipsum testatur S. Gelasius in Lib. *de duabus in Christo naturis adv.* Eutychetem & Nestorium, ubi sæpius hujus erroris Eutychianos accusat; unde etiam concludit: *Jam vero, si (ut ipsi delirant) adunatione una facta natura est, aut unius abolitio est, aut utriusque confusio.* Non vero addit, ut Vasquezio placuisset, *aut utriusque commixtio*, quod reipsa sensisse Eutychetem ipse opinatur.

350. Accedunt & alii testes bene multi, Vigilius Tapsensis, Lib. II. adv. Nestorium, & Eutychetem: *Nestorius*, inquit, *duas inducendo naturas, duas putavit esse personas.... Eutyches recipiens unam Personam, unam censuit esse naturam.*

351. Theodoretus Lib. IV. *Hæret. fabularum* cap. 13. de Eutychete sic loquitur: *Dicebat, Deum Verbum nihil humanum ex Virgine sumpsisse: sed ipsum immutabiliter conversum, & carnem factum, per Virginem tantummodo trajecisse, crucique affixam fuisse incircumscriptam Unigeniti divinitatem.* Et in Dialogo, cui titulum fecit *Inconfusus*, ita inducit Eranistem Eutychianum suam hæresim exponentem: *Ego dico manisse divinitatem, ab hac vero absorptam esse humanitatem;* quod hoc exemplo explicat: *Ut mare mellis gutta si accipiat, statim gutta illa evanescit aqua maris permixta.*

352. Ac demum Liberatus in *Breviario* cap. 11. *Eutyches*, inquit, *urgente Satana prædicabat, Dominum nostrum Jesum Christum consubstantialem nobis non esse secundum carnem, sed de cœlo corpus habuisse: rursusque varians dicebat: ante adunationem duas in Christo fuisse naturas, post adunationem vero unam factam esse.* Ubinam, quæso sunt illæ duæ naturæ permanentes in Christo post adunationem?

353. Obj. primo. Accusatur Eutyches a S. Leone, aliisque, quod in Apollinaris, & Valentini errorem inciderit, asserens, carnem Christi non fuisse de Maria Virgine sumptam, sed cœlo delapsam; atqui hujusmodi errores aperte, & sæpius Eutyches anathematæ proscripsit; unde etiam in Concilio Chalcedonensi anathemata dixit *Manichæo, Valentino, Apollinari, & Nestorio, omnibusque hæreticis, usque ad Simonem Magum; & eis, qui dicunt D. N. J. Christi carnem de cœlo descendisse.* Et antea in Concilio Constantinopolitano idem Eutyches protestatus est, se per calumniam

(*a*) S. Leo Pontifex jure mirabatur, a Patribus Constantinopolitanis fuisse Eutychetem in eo tantummodo accusatum, quod post adunationem, seu Incarnationem, unam tantummodo assereret in Christo naturam; non autem quod ante adunationem Christum diceret *ex duabus esse naturis; eum tam impie*, inquit S. Leo, *duarum naturarum ante Incarnationem Unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quam nefarie, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur.* Animadvertebat enim ocularissimus Pontifex, non posse dici Christum fuisse ante Incarnationem ex duabus naturis, nisi supponatur, jam præexitisse naturam humanam Christi, sicut præexistebat natura divina. Fides autem catholica docet, eodem ipso momento, quo caro formata est in utero Virginis, fuisse a Verbo assumptam. Vasquezius tamen Eutychetem interpretatur, quod duas ante unionem admiserit naturas non *prioritate temporis, sed prioritate naturæ.* Non autem sic mentem Heresiarchæ interpretati sunt duo sapientissimi Pontifices Leo, & Gelasius; quorum prior enim Origenismi accusavit, alter vero Nestorianismi in Tom. IV. *Bibl. Sanct. Patrum* col. 418. Vid. etiam S. Thomas in IV. *cont. Gent.* c. 45. in fine.

(*b*) Extat sub nomine S. Leonis *Tract. adversus errores Eutychetis, & aliorum hæreticorum*; sed Quesnellus eum spurium esse judicavit. Quesnelli judicium adoptavit etiam Petrus Ballerinus; unde in sua editione Veneta anni 1743. eum in appendice rejecit T. I. p. 389.

niam accusari, quod dixerit, *Verbum carnem e cælo detulisse:* ergo &c.

354. Resp., nullam habendam esse istis anathematismis, & protestationibus Eutychetis fidem; ut reipsa nullam ipsis habuerunt tam Episcopi Concilii Constantinopolitani, quam Patres Synodi Chalcedonensis, quia damnabat ore hæreses Valentini, & Apollinaris: interea tamen volens nolens in ipsas recidebat, dum naturam humanam in Christo permanssisse negabat; & dum insuper inficiabatur, Jesum Christum esse suæ beatissimæ matri consubstantialem. Hac simulatione usi sunt etiam non pauci alii Hæretici, atque imprimis Nestorius, quorum tamen fraudulentis confessionibus fides adhibita non fuit. Sane Eutyches nunquam adduci potuit, ut fateretur, Christum esse secundum carnem beatissimæ Virgini *consubstantialem*. Quare hoc? nisi quia non credebat corpus Christi fuisse ex Virginali Mariæ carne formatum? (a). Addenda autem hic est Eutychetis summa stoliditas, atque imperitia, qua facile in dogmata absurda ruere poterat, quin omnia eorum consectaria, vel connexiones homo stupidus perviderat.

355. Obj. secundo Vasquezius verba S. Gelasii Papæ, qui in Lib. *de duabus in Christo naturis* „ ita Eutychianorum errores exponit: Adhuc autem illud adjiciunt, ut sicut ex duabus rebus „ constat homo, idest ex anima, & corpore, quamvis utriusque rei sit diversa natura; usus tamen „ loquendi singulariter pronuntiet, simul utrumque complectens, *ut humanam dicat naturam, non humanas naturas:* sic potentiam in Christi mysterio, & unitionem divinitatis, atque humanitatis *unam dici vel debere, vel posse naturam*": quemadmodum ergo recte dicitur *una hominis natura*, licet ex duabus partibus constans: ita Eutychiani, unam dicentes Christi naturam, non propterea carnem excludebant. Eadem fere de Eutychianis narrat Facundus Hermianensis Lib. I. cap. ult., scilicet eos dixisse: „ Sicut ex duabus naturis, idest ex anima & carne, una composita est humana natura; sic ex deitate, & humanitate una composita est Christi natura."

356. Resp., Eutychianos hujusmodi exemplo fuisse usos ad proprium errorem tegendum, sed frustra: quando enim ulterius interrogabantur, an sicuti in homine etiam post unionem reperiuntur istæ duæ naturæ, vel substantiæ anima, & corpus, ita etiam in Jesu Christo inveniretur duæ naturæ divina, & humana, tunc aqua illis hærebat, & cum erroris sui magistro respondebant, Christum esse *ex* duabus naturis, non *in* duabus naturis; quia nempe in adunatione naturæ humanæ fuerat absorpta a divina, ut gutta melliis a mari. Hanc illorum fraudem detegit Gelasius in eodem loco ita subdens: *Aliud est, quod usitato loquendi compendio sæpe de qualibet rei parte dicimus, & totum quod est, sine dubio profitemur. Aliud cum prorumpit humanæ temeritatis audacia, quæ sic aliquam partem nuncupare contendit, ut quod totum est, negare moliatur.*

357. Clarius subdolam Eutychianorum evasionem ostendit Facundus laud. loco subdens nomine Eutychianorum: *Et ideo ex duabus quidem, sed non in duabus naturis Christum confitemur:* inde semper ad capitale Eutychetis principium recurrebant, duas fuisse in Christo ante adunationem naturas, unam autem post adunationem. Antea vero idem Facundus cap. 5. ejusdem Libri confitendum esse dixerat, Dominum nostrum Jesum Christum *in duabus naturis, idest in divinitate, atque humanitate perfectum*. Neque prætereundum existimo, quod idem Facundus Lib. I. c. 14 aperte Eutychianis improperat, ipsos nempe, non minus quam Nestorianos, negasse, B. Mariam Virginem esse *matrem Dei;* „ cum enim, inquit, propterea secundum veritatem *mater* dicta sit, quia carnem ex se omnium Domino „ ministravit, *quod Eutyches negat* ... non potest B. Virginem vere, & proprie dicere *matrem Dei*, sed nuncupative potius, ac perfunctorie, *quam non credit, carnem ex se omnium Domino ministrasse*.

358. Instat Vasquezius. Tota ergo ratio, quare Eutychiani fuerint in Concilio Chalcedonensi damnati, erat illa particula *in*, volebant enim, Christum fuisse quidem *ex*, non vero *in* duabus naturis. „ Cum autem dicebant, Christum esse *ex duabus naturis*, asserere non poterant, alteram in alteram esse conversam, & omnino consumptam, sed utramque manere, ita tamen ut in Christo non „ haberet unaquæque illarum vicem, & locum „ naturæ, sed esset pars ejusdem naturæ ex utraque concretæ".

359. Resp., subtilem Vasquezii ratiocinationem minime sufficere ad purgandam ab errore Eutychianorum sententiam. Primo enim non erat exigua illa, quam dicit Vasquezius, de duabus particulis *ex*, vel *in* controversia, sed de natura humana, an reipsa esset in Christo simul cum natura divina hypostatice conjuncta, quod proterve negabat Eutyches. Secundo ex eo quod ille diceret, Christum esse *ex* duabus naturis, non sequitur,

(a) Omnes pene aliorum Hæreticorum errores fuisse ab insulso, & imperito sene renovatos, solita sua eruditione ostendit Petavius Lib. I. *De Incarn. c.* 15. & quidem Theodoretus L. IV. *Hæret. fabularum* c. 13. Eutychetem ait, *jampridem exoletum Valentini hæresim instaurasse*. Anastasius Sinaita in *Odego* c. 6. dicit, a Valentinianis, Marcionitis, & Manichæis eum didicisse *phantasticum*, & *specie tenus apparentem Christi carnem;* quod ipsi quoque exprobrat S. Leo Magnus: ut proinde *Docetarum* familiæ adscribi possit. Facundus L. IX. c. 5. vocat Eutychianos *stultissimam Apollinaristarum progeniem*. Et multa alia ad id comprobandum supperetent, si opus esset.

tur, etiam necessario fateri debuisse, *utramque naturam in Christo mansisse*; poterant enim errando dicere, ut reipsa dicebant, naturam humanam fuisse in conjunctione a divina absorptam, ut gutta mellis in mare projecta absorbetur, & evanescit.

360. Obj. tertio. Eutychiani sæpe nominabant Christi carnem, ut enim refert Vigilius (non *Papa*, ut eum vocat Vasquezius, sed Tapsensis) lib. 2., *Eutychiana* hæresis in id impietatis „ prolapsa est, ut non solum Verbi *& carnis* unam „ credat esse naturam; verum etiam *hanc eam-* „ *dem carnem* non de sacro Mariæ Virginis cor- „ pore assumptam, sed de cœlo dicat, juxta in- „ fandum Valentini, & Marcionis errorem, fuis- „ se deductam &c." Duas ergo naturas in Christo admittebant Eutychiani, *carnis*, & *divinitatis*.

361. Resp., quamvis Eutychiani imperite, ac confuse loquentes *carnis* mentionem nonnunquam fecerint, ejus tamen nomine post adunationem non intelligebant, nisi divinitatem ea, quæ carnis sunt, facientem, aut patientem; quamobrem ab eodem Vigilio Arianæ impietatis accusantur. „ Reperi- „ imus, inquit Lib. II., *Eutychianam amarissi-* „ *mam hæresim ex Apollinaris amarissimo fon-* „ *te derivatam usque ad cænulentam Arii vo-* „ *raginem* turbinis ferri mentibus, quibus in „ tantum perfidiæ copula jungitur, *ut omnia ad* „ *divinitatis copulam referat*, quæ Christus se- „ cundum dispensationem carnis aut locutus est, „ aut peregit; *dum unam tantummodo divinita-* „ *tis contendunt esse naturam.*" Id etiam testatur Gennadius in Append. ad Lib. S. August. *de Hæresibus*, inquiens de Eutychianis: *Humanitatis in Christo denegant veritatem, quidquid a Verbo nostræ proprietatis receptum est, divinæ tantummodo adscribunt essentiæ &c.*

362. Dices. Eutychiani Verbum *incarnatum* esse fatebantur; sed hoc fateri non potuissent, si caro in ipsa assumptione fuisset a divinitate absorpta; ergo &c." „ Nam si, inquit Vasquezius, „ caro consumpta, aut mixtione mutata esset, & „ conversa in deitatem, non posset dici Verbum „ incarnatum."

363. Resp., Incarnationis nomen, non autem ipsum sacrosanctum Incarnationis mysterium fuisse ab Eutychianis retentum; non alia enim ratione Verbum incarnatum esse dicebant, nisi quia Verbum Dei carnem assumpsit, eamque in suam naturam convertit. Unde recte S. Leo Papa Eutychem arguebat, quod hoc Fidei nostræ magnum sacramentum non agnosceret, utpote *qui naturam nostram in Unigenito Dei, nec per humilitatem mortalitatis, nec per gloriam resurrectionis agnovit*.

364. Obj. postremo Vasquezius verba S. Jo. Damasceni, qui lib. 3. *de fide orthod.* cap. 3. „ Ex duabus, inquit, naturis perfectis, hoc est „ divina, & humana, unionem esse factam dici- „ mus, *non ad modum conspersionis, nec per* „ *confusionem, vel commixtionem, aut tempe-* „ *rationem*, quemadmodum ille Nunnius ita im- „ missus Dioscorus, Eutyches item, & Severus, „ quique impiæ eorum classis sunt, asseruerunt." Censebat ergo Damascenus ab Eutychianis non credi humanam naturam a divinitate absorptam, sed cum divinitate *confusam*, *commixtam*, aut *temperatam*.

365. Resp. Damasceni testimonio illa præponenda esse, quæ superius attulimus, Patrum, qui Eutycheti suppares fuerunt, qui eum audierunt, cum eodem disputarunt, eumque demum in errore pertinacem condemnarunt. Quanquam Damascenus varias confutans erroris Eutychianorum explicationes, scilicet *conspersionis*, *confusionis*, *commixtionis*, aut *temperationis*, non propterea negasse censendus est præcipuam Eutychetis explicationem, scilicet *conversionis* humanæ naturæ in divinam, a quo absorpta fuerit; quam etiam fortasse Damascenus indicare voluit nomine *confusionis*, aut *commixtionis*, nempe talis, qualis est confusio, & commixtio guttæ mellis in mare, quæ penitus absorbetur. Mentem suam apertissime patefecit idem Sanctus in fine cap. præcedentis, ita orthodoxam fidem exponens: „ Cum na- „ tura Deus perfectus esset, idem ipse natura „ perfectus homo fuit; & quidem ita, ut nec mu- „ tatus natura fuerit, nec imaginarium incarnatio- „ nis speciem objecerit, sed carni, quam ex S. „ Virgine accepit, anima rationali, intelligente- „ que animatæ, inque ipso existentiam nactæ, „ personali modo, absque confusione, aut muta- „ tione, aut divisione unitus sit; *quin nec deita-* „ *tis suæ naturam in carnis suæ substantiam*, „ *nec rursus carnis substantiam in Deitatis na-* „ *turam convertit, nec denique ex divina sua* „ *natura, & humana, quam assumpsit, natu-* „ *ram unam compositam effecerit.*"

Eu quomodo cavendum doceat stolidum Eutychianorum errorem (*a*).

AR-

(*a*) Minime probandam censemus adnotationem nostri P. Combefisii in Præf. ad Hom., Basilii Seleuciensis, & in Annot. non editis ad expositionem fidei *asseruisse*, quæ S. Gregorio Thaumaturgo tribuitur, scilicet „ Eutychianos naturam unam dixisse, non ut caro, sive humanitas Christo defuerit, vel *per mutationem, vel per* „ *absorptionem, aut deperditionem*; sed in illa propria „ natura sit, aut dicatur, quæ primas partes obtineat, „ non secundas tantum: illa, inquam, *quæ aliam ha-* „ *beat, non quæ habeatur, & superiora habeatis sit.*" Vid. Mich. Le-Quien in nota (2) ad Lib. S. Jo. Damasceni *De hæresibus* n. 82. Sed fortasse hæc vera esse possunt de Timotheanis, & quibusdam aliis Eutychianorum sectis, quorum aliqui Catholicorum argumentis pressi novas, minusque absurdas perversi dogmatis expositiones protulerunt. Vide quæ dicta sunt n. 339.

ARTICULUS IV.

Refellitur error Eutychianorum, ostenditurque, duas esse in Jesu Christo naturas.

366. Id manifeste evincunt omnia ea argumenta, quibus in super. Diss. c. 1. & seq. probavimus veram in Jesu Christo fuisse carnem, & animam, eumque pro nobis veros, & maximos pertulisse dolores. Reipsa iisdem momentis contra Entychianos usus est S. Leo in sua dogmatica epist. ad Flavianum, quæ tota exscribenda esset. Nonnulla tantum afferemus brevitati temporis consulentes.

367. Primo igitur sanctissimus Pontifex ex multis tam novi, quam veteris testamenti oraculis duplicem Christi nativitatem, ac naturam distinguit; ingressus est enim hæc mundi infirma Filius Dei de cœlesti sede descendens, & a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus; qui enim verus est Deus, idem verus est homo; & sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recidit, ita caro naturam nostri generis non reliquit; unus enim idemque est vere Dei filius, & vere hominis filius: Deus per id, quod *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* homo per *id, quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Deus per id, quod *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* homo per id, quod *factus ex muliere, factus sub lege.*

368. Pergit S. Pontifex utramque in Christo naturam demonstrare ex iis, quæ de Christo in Evangelica historia leguntur. „ Nativitas enim carnis manifestatio est humanæ naturæ; partus „ Virginis divinæ est virtutis indicium. Infantia „ parvuli ostenditur humilitate cunarum; magnitudo Altissimi declaratur vocibus Angelorum. „ Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impie molitur occidere; sed dominus est omnium, quem Magi gaudent suppliciter adorare. Nam cum ad præcursoris sui Joannis Baptismum venit, ne lateret, quod carnis velamine Divinitas tegeretur, vox Patris de cœlo intonans dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quem itaque sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo, Angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lactescere, atque dormire, evidenter humanum est; sed quinque panibus quinque millia hominum satiare, & largiri Samaritanæ aquam vivam, cujus haustus bibenti „ præstet, ne ultra jam sitiat; supra dorsum maris plantis non desidentibus ambulare, & elationes fluctuum, increpata tempestate, consternare, sine ambiguitate divinum est. Sicut ergo, ut multa præteream, non ejusdem naturæ est, flere miserationis affectu amicum mortuum, & eumdem remoto quatriduanæ aggere sepulturæ, ad vocis imperium excitare redivivum, aut in ligno pendere, & in noctem luce conversa, omnia elementa tremefacere; aut clavis transfixum esse, & paradisi portas fidei Latronis aperire: ita non ejusdem naturæ est dicere: *Ego & Pater unum sumus;* & dicere: *Pater major me est.* Quamvis enim in Domino Jesu Christo Dei, & hominis una persona sit; aliud tamen est, unde in utroque communis est contumelia, aliud, unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas; de Patre illi est æqualis cum Patre divinitas". Aliquanto prolixior est loens, sed nihil poterat a tam accurata utriusque naturæ descriptione ex Evangelica historia deprompta resecari.

369. Prosequitur porro S. Leo, & ex veritate resurrectionis veritatem humanæ naturæ in Jesu Christo ostendit, quia non alter est resuscitatus, quam qui fuerat crucifixus, & mortuus. Christus autem & vulnus lateris, & fixuras clavorum, & omnia recentissimæ passionis signa monstravit, dicens: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego sum: palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere,* Lucæ XXIV.

370. Demum Eutychetem merito objurgat, quod illam beati Apostoli, & Evangelistæ Joannis sententiam non expaverit epist. I. cap. IV. 1. dicentis: *Omnis Spiritus, qui confitetur, Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* „ Quid autem est, „ *solvit*, solvere Jesum, nisi humanam ab eo „ separare naturam, & sacramentum, per quod „ unum salvati sumus, imprudentissimis evacuare figmentis?"

371. Jubet etiam Eutycheti, ne transitorie legat Beati Petri Apostoli verba Epist. I. cap. I. 18. *Scientes, quod non corruptibilibus argento, & auro redempti estis... Sed pretioso sanguine, quasi agni incontaminati, & immaculati Jesu Christi;* tum illa Beati Joannis Apostoli epist. I. cap. I. 7. *Sanguis Jesu Filii Dei emundat nos ab omni peccato.* Ac concludit, catholicam Ecclesiam hac fide vivere, hac proficere, *ut in Christo Jesu nec sine divinitate humanitas, nec sine vera creditur humanitate divinitas.* Similia scripsit postea Leoni Augusto epist. CLXV. alias CXXXIV., addens sacrarum Scripturarum testimonia etiam sanctorum Patrum traditionem; ex quibus, nonnisi pauca, ut breviores simus, hic transcribemus (*a*).

372. Primo autem multa affert S. Leo testimonia

(*a*) Nonnulla testimonia S. Ignatii, atque aliorum, qui B. Mariam Virginem Dei genitricem fuisse asse-

nia S. Hilarii, ex quibus illustre illud sufficiet, quod legitur Lib. IV. *de Trinit.* his verbis: „ Nescit plane, vitam suam nescit, qui Jesum Christum, ut verum Deum, ita *& verum hominem* ignorat; & ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel spiritum Deum, *vel carnem nostri corporis denegare*“. Vide supra Dissert. II. cap. 1.

373. Secundo allegat S. Ambrosium, qui Lib. II. *de fide ad Gratianum: Servemus*, inquit, *distinctionem divinitatis, & carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est ... Quasi Deus loquitur quæ sunt divina, quia Verbum est: quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in ea substantia loquebatur.*

374. Tertius a Leone allegatus est Sanctus Augustinus, qui in epistol. 137. ad Volusianum cap. 3. *Ita*, inquit, *inter Deum, & homines mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret.*

375. Multo plures autem affert Patres græcos, & primo Theophilum Alexandrinum, qui in epist. secunda Paschali: *Unus*, inquit, *Filius Patris, nostrique mediator, nec æqualitatem ejus amisit, nec a nostro consortio separatus est, invisibilis Deus, & visibilis homo &c.*

376. S. Gregorius Nazianzenus in Hom. de Epiphania Christum dicit *missum fuisse, sed ut hominem. Duplex enim erat in eo natura. Inde denique* (scilicet ex natura humana) *& laboravit ex itinere, inde & esuriit, & sitivit, & contristatus est, & flevit humani corporis lege.*

377. Ex S. Athanasio pauca affert; sed multa, & clarissima ejus testimonia allegat Theodoretus in Dial. II. contra Eutychianos. Nobis ea sufficiant, quæ habet in epist. ad Epictetum, ubi n. 2. ita plures contra Mysterium Incarnationis refellit errores: „ Quisnam infernus illud eructavit, corpus „ ex Maria genitum esse Verbi divinitati consubstantiale? Aut Verbum in carnem, ossa, & capillos, & in totum corpus mutatum fuisse, & „ a natura descivisse sua? Quis autem in Ecclesia, aut a Christianis unquam audivit, *Dominum fictione, non natura gestasse corpus?* ... „ Et quod cruci affixum erat, non fuisse corpus, „ sed ipsam Sapientiæ substantiam rerum opificem? Quis hæc audiens, *non ex Maria, sed ex sua ipsius substantia Verbum sibi passibile corpus efformavit*, hæc loquentem Christianum dixerit? ... Quo pacto viri, qui dicuntur „ Christiani, vel ambigere ausi sunt, sitne Dominus, qui ex Maria natus est, substantia, & „ natura sua Filius Dei, *secundum carnem vero ex semine David, & ex carne sanctæ Mariæ ortus?* &c.“

378. S. Basilii autem hæc verba laudat: *Propter quod cum omni metu, & reverentia contemplandum est, ut in uno, eodemque* (Christo) *ita utriusque naturæ veritas demonstretur, ut neque aliquid indignum, & indecens de divina illa, & ineffabili substantia sentiatur, neque rursum quæ humanitus gesta sunt, falsis illusa imaginibus æstimentur.*

379. Et quoniam Eutyches potissimum S. Cyrilli patrocinio gloriabatur, multo plura & prolixiora ex hoc egregio Mysterii Incarnationis defensore contra Eutychetis deliria protulit. Sufficiant nobis ea, quæ habet in epist. de recta fide ad Reginas. *Homo*, inquit, *nominatus est* (Jesus Christus) *cum sit natura Deus, Dei Patris Verbum, quoniam similiter ut nos, sanguini communicavit, & carni. Sic enim in terris apparuit, non amittens id, quod erat, sed assumens humanitatis naturam in sua ratione perfectam.*

380. Fidenter igitur, & vere potuit S. Leo, sibi cognominem Augustum ita alloqui: „ Quibus „ si dignaveris recensiti, non aliud nos prædi„ care reperies, *quam quod sancti Patres nostri „ toto orbe docuerunt; nec* quemquam ab illis, „ nisi solos impios hæreticos, discrepare &c.“

381. S. Thomas in Lib. IV. cap. 25. *cont. Gent.* Eutychetis errorem nonnullis rationibus refellit, quarum illa videtur præcipua ducta ex verbis Apostoli ad Philipp. II. *Cum in forma Dei esset &c., formam servi accepit.* Ex iis enim sic colligit: „ Non potest dici, quod sit eadem forma „ Dei, & forma servi: nihil enim recipit, quod „ jam habet: & sic si eadem est forma Dei, & „ forma servi, cum jam formam Dei habuisset, „ non accepisset formam servi. Neque iterum potest dici, quod forma Dei in Christo per unionem sit corrupta, quia sic Christus post unionem non esset Deus. Neque iterum potest dici, „ quod forma servi sit corrupta in unione, quia „ sic non accepisset formam servi. Sed nec dici „ potest, quod forma servi sit permixta formæ „ Dei, quia quæ permiscentur, non manent integra, sed partim utrumque corrumpitur: unde „ non diceret, quod accepisset formam servi, sed „ aliquid ejus; & sic oportet dici secundum verba Apostoli, quod in Christo etiam post unionem fuerunt duæ formæ: ergo duæ naturæ“. Vid. etiam S. P. q. 2. art. 1.

382. Objectio prima, & potissima Eutychianorum erat ex cap. I. Evangelii S. Joannis, ubi dicitur: *Et Verbum caro factum est.* Id autem eodem modo intelligendum esse volebant, quo intelligitur, uxorem Loth factam esse statuam salis Gen. XIX. 26., aut virgam Moysis factam esse serpentem Exodi IV. 3., aut denique aquam factam vinum Joann. II. 9.; in omnibus enim istis lo-

runt, vid. supra n. 71. & seq. Eadem enim etiam probant, Jesum Christum habuisse naturam humanam, secundum quam solam poterat dici *Filius Mariæ*.

locis Scriptura sacra utitur voce γίγνεσθαι, a verbo γίνομαι fio. Verbum igitur dicitur factum caro per conversionem unius naturæ in aliam; ut post adunationem nonnisi una supersit, ut docebat Eutyches.

385. Resp., sanctos Patres, etiam eos, qui ante natum Eutychianæ hæreseos monstrum floruerunt, hunc S. Joannis textum explicuisse non de conversione divinitatis in carnem, quod absurdissimum esset, sed de unione, vel assumptione carnis ad consortium divinæ naturæ in persona Verbi, *non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum*, ut dicitur in Symbolo *Quicumque*. Et facile esset longam Sanctorum Patrum catenam huc afferre, qui non aliio sensu celebrem hunc S. Joannis textum intellexerunt. Unus impræsentiarum sufficiat Ambrosius, qui *de Incarnat.* cap. 5. *Hoc est*, inquit, *illud Verbum, quod carnem suscepit, hoc habitavit in nobis, hoc est, in carne habitavit humana*.

384. Loca autem parallela allata, &. quæ ex sacris litteris adduci possunt, nobis minime officiunt; neque enim negamus verbum γίνομαι fio aliquando significare conversionem, ut in locis objectis; dummodo Eutychiani non inficientur, aliquando etiam significare simplicem assumptionem, ut quando Jesus Christus dicitur factus pro nobis *peccatum* 2. Corinth. V. 21., *& maledicum* ad Gal. III. 13., non alia certe de causa, quam quia debitum nostrorum peccatorum in se assumpsit, ut pro iis divinæ justitiæ satisfaceret. Itaque non tam vis verbi *fieri* hic attendi debet, quam natura rei, quæ aliquid *facta* dicitur. Si tantummodo vis verbi attendatur, sequitur omnium absurdum maximum, quod divinitas sit conversa in carnem; nec Verbum fuerit amplius Deus, sed purus homo: cum itaque tantum absurdum ne cogitare quidem possimus, recte concludimus, S. Evangelistam Joannem, cum dicit *Verbum caro factum est*, nihil aliud voluisse significare, quam Verbum divinum nostram carnem assumpsisse, ut habitaret inter nos, nostramque salutem operaretur (*a*).

385. Et sic etiam respondendum est eis, qui verba consecrationis *Hoc est corpus meum* afferunt, ut inde probent, Verbum fuisse versum in carnem, quemadmodum consecratione panis convertitur in corpus Christi.

386. Primo etiamsi paritas illa obtineret, sequeretur illud absurdum, quod omnium maximum esse diximus, Verbum Dei immotabile esse in corruptibilem carnem conversum. Deinde mirabile conversionis panis in corpus Christi mysterium credimus, & veneramur, quia Apostolica fides id perpetuo, & constanter tradidit; eadem autem fides Eutychianorum blasphemias execratur.

387. Certe non aliter hunc locum intellexerunt veteres Patres, quorum omnium instar sit S. Joan. Chrysostomus in Hom. XI. in Joan. Tom. VII., ubi postquam dixisset, *ne dæmones quidem, neque vel stultissimos, & amentes* cogitare posse, Dei substantiam fuisse in carnem mutatam, vult illud dictum esse, ne aliquis suspicaretur, Dei incarnationem meram esse *phantasiam*. *Nam unitate & conjunctione Deus Verbum, & caro unum sunt, sine ulla confusione, vel substantiarum ablatione, sed per unionem ineffabilem*.

388. Audiatur etiam magnus Augustinus, qui in Serm. CLXXXVII., alias 27. *de tempore* Tom. V. hanc ineffabilem unionem carnis ad Verbum explicat exemplo verbi, quod prius in corde conceptum est, postea ore, & voce profertur, non quasi illud primum convertatur in vocem, sed illo integro ista assumitur, per quam verbum intus conceptum foris in vocem procedit; & post multa egregie explicat ac concludit: „ Quia Dei Verbum, quod manet in æternum, *caro factum est, ut habitaret in nobis*, propter Dei formam latentem, sed manentem, sicut nuntiavit Gabriel, vocamus nomen ejus *Emmanuel &c.*“

389. Inst. Paulus Apostolus ad Philipp. II. 7. dicit, Christum Jesum *se exinanivisse*, formam servi accipiendo; sed si tantummodo carnem sibi copulasset, nulla fuisset exinanitio: ergo aliqua fieri debuit divinitatis cum carne commixtio.

390. Resp., hanc exinanitionem in eo solum fuisse, quod eum unigenitus Filius æterni Patris in forma Dei esset gloriosus, impassibilis, immortalis, propter nos formam servi acceperit, factus in carne humana doloribus, & morti obnoxius. Unde subdit Apostolus: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*.

391. Obj. secundo multos veteres Patres, qui nonnisi unam esse in Christo naturam aperte prædicarunt. Primo allegatur Julius Rom. Pontifex, qui in epist. ad Dionysium Corinthiorum Episcopum duplicem in Christo naturam ut absurdam rejicit, quia *necesse est, eos, qui duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare, ac in divinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari*. Secundo id ipsum docuit S. Gregorius Thaumaturgus apud Photium Cod. CCXXX. inquiens in Exposit. Fidei: *Non duæ personæ, neque duæ naturæ, non enim quatuor nos adorare dicimus*. Tertio S. Cyrillus in ep. ad Acacium Melitenensem: *Naturas duas*, inquit, *unitas esse dicimus; post unitionem vero, tamquam sublata jam in duo partitione, unam esse credimus Filii naturam, verum inhumanati, & incarnati*. Et in Epist. I. ad Succesum: *Post unio-*

(*a*) Non adeo desipiebant Eutychiani, ut dicerent divinam Verbi naturam fuisse in carnem conversam, sed potius credebant, naturam humanam fuisse a divinitate absorptam, ut gutta mellis in mare projecta ab ejus aquis absorbetur: unde etiam apud Theodoretum in Dial. II. Eranistes Eutychianus ita suam mentem exponebat: *Ego divinitatem ajo mansisse; ab hac vero absorptam esse humanitatem*. Vide sup. n. 351.

nionem, inquit, *non dividimus naturas a se mutuo, neque in duos secamus filios illum, qui unus est, & individuus. Sed unum dicimus Filium, & quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Demum S. Gregorius Nyssenus Lib. IV. contra Eunomium humanam naturam ita fuisse dicit a divina absorptam, *veluti si aceti stilla in mare projecta huic admisceatur; fit enim mare.* Qua similitudine Entychiani utebantur, ut supra vidimus num. 350.

392. Ad primum respondet Leontius in Lib. de *Sectis* Act. VIII. Tom. IX. *Biblioth. Sanct. Patrum*, illam epistolam falso tribui Julio R. Pontifici, eamdemque esse alicujus ex hæresi Apollinaris, vel Entychetis, vel Dioscori; quod nonnullis non improbandis conjecturis idem Auctor evincere conatur (a). Eam supposititiam esse credidit quoque Facundus Lib. I. cap. 5., de Entychianis inquiens: „ Quid autem illos contra hæc „ evidentissima Patrum testimonia juvare poterit, „ quod in assertionem vanissimi sui erroris dicunt, „ Julium Romanum Episcopum *nescio ubi* reseri„ psisse, *quod una sit Christi natura?*“ Hypatius etiam Episcopus Ephesinus in collatione cum Acephalis habita Constantinopoli: *B. Julii*, inquit, *famosam illam epistolam manifeste Apollinaris ostendimus fuisse.*

393. Verum si hæc epistola ut genuina suscipiatur, tunc dicendum est, in eadem nomen *naturæ* pro *persona* adhibitum fuisse, quod a veteribus nonnunquam factum esse novimus. Ita Entychianis respondebat Eulogius Alexandrinus Patriarcha apud Photium *in Bibliotheca* Cod. CCXXX. Facundus autem Lib. I. cap. 5. hæc affert ex Julii epist. ad Prosdocium: *Prædicatur vero Christus ... perfectus Deus in carne, & homo perfectus in spiritu, non duo filii, unus quidem proprius filius assumens hominem, alter vero mortalis susceptus a Deo; sed unus unigenitus in cœlo, unigenitus Deus in terra:* quibus verbis & Nestorii, & Eutychetis hæreses condemnantur.

394. Ad secundum idem Leontius allatam S. Gregorii Neocæsariensis expositionem Fidei non esse hujus insignis Thaumaturgi asserit, sed alicujus hæretici. *Quidam*, inquit, *ex hæresi Apollinaris, vel Eutychis, vel Dioscori, cum vellent suam hæresim confirmare, quasdam Orationes Apollinaris Gregorio Thaumaturgo, aut Julio inscripserunt, ut simpliciores fallerent.*

395. Ad tertium S. Joannes Damascenus Lib. III. *de fide orthod.* cap. 6. simili loquendi formula utens inquit: *Et cum juxta beatos viros Athanasium, & Cyrillum, Verbi naturam incarnatam esse pronunciamus, divinitatem carni unitam esse dicimus.* Sed non alio egemus interprete, cum ipse S. Cyrillus adeo dilucide suam mentem explicaverit, ut ex eo omnino juguletur hæresis Eutychiana. Nomine enim *naturæ incarnatæ* nihil aliud significare voluit hic S. Pater, quam carnem, seu naturam humanam unitam Verbo divino inseparabiliter contra Nestorium, qui duas in Christo naturas non solum distinctas, sed etiam sejunctas, & in duabus diversis personis subsistentes admittebat, *moraliter* tantummodo sibi invicem unitas. Seipsum sæpius, & adeo perspicue explicavit S. Patriarcha, ut nullum reliquerit calumniæ locum. Vide sup. num. 195. & seq.

396. Immo hac ipsa S. Cyrilli loquendi formula contra Eutychianos postea non pauci orthodoxi usi sunt, ut Gelasius Papa in Lib. contra Eutychetem, S. Maximus Martyr, Eulogius Alexandrinus, & alii. Jo. autem Maxentius in Libro contra Acephalos ita vim illius formulæ Cyrillianæ, quæ etiam fuit S. Athanasii, luculenter aperit: „ Si voluerint dicere *Verbum incarnatum, sive* „ *unam naturam Dei Verbi incarnatam*, eo ipso, quo hæc dicent, duas procul dubio dicere „ convincuntur in Christo naturas, duarumque, „ non unius, nomina naturarum, ejus videlicet, „ qui incarnatus est, idest Verbi Dei; & ejus, „ quæ ab ipso assumpta est, carnis.“

397. S. Thomas 3. P. quæst. 2. art. 1. ad 1. affert expositionem textus S. Cyrilli factam in V. Synodo Collat. VIII. Can. 8. his verbis: „ Si quis „ unam naturam Verbi Dei *incarnatam* dicens, „ non sic accipiat, sicut Patres docuerunt, quod „ unus Christus factus est ex divisa natura, & „ humana, unione secundum substantiam facta; „ sed ex talibus vocibus naturam unam, sive sub„ stantiam divinitatis, & carnis Christi introduce„ re conatur, anathema sit“. Et ulterius idem S. Præceptor qu. 35. art. 1. ad 1. sapienter monet, *quod propter identitatem, quæ in divinis est inter naturam, & hypostasim, quandoque nat-*

(a) Leontii Byzantini conjecturæ hæ sunt. Primo mihi in ea Epistola esse Julio Pontifice dignum: secundo Corpus Christi non nominari corpus anima, ac mente præditum, sicuti a Patribus illius ævi nominari solebat: tertio quod S. Gregorius Nyssenus in opere contra Apollinarem multa ex hac epistola recitet, & confitet: quarto qui hanc epistolam ut genuinam allegabant, dixisse, eam fuisse a S. Cyrillo in Concilio Ephesino citatam, quod tamen falsum est; epistola enim a S. Cyrillo laudata, non fuit hæc ad Dionysium, sed alia ad Prosdocium: quinto Valentinum, & Timotheum Apollinaris discipulos hanc epistolam laudasse sub nomine ipsorum magistri: demum ejusdem falsitatem probari ex ejus titulo *Domino meo desideratissimo, & comministro Dionysio*; quem in Epistolis Romanorum Pontificum esse insolitum dicit. Genuadius tamen *De Scriptor. Ecclesiast.* cap. 2. eam genuinam esse credidit, inquiens: „ Julius Urbis Ro„ manæ Episcopus scripsit ad Dionysium quamdam de „ Incarnatione Domini epistolam unam; quæ illo qui„ dem tempore utilis visa est adversus eos, qui ita „ duas per Incarnationem asserebant in Christo perso„ nas, sicut & naturas. Nunc autem perniciosa pro„ batur; fomentum est enim Entychianæ, & Timo„ theanæ impietatis.“

tura ponitur pro persona, vel hypostasi. Quæ regula admodum utilis est ad rectam veterum Patrum intelligentiam.

598. Inst. Idem S. Cyrillus in Epist. II. ad Successum dicit, duas naturas in Christo *sola cogitatione* distingui: duæ ergo reipsa non sunt.

599. Resp., distinctionis nomine ibi S. Cyrillum intelligere *separationem*, quæ certe nomini cogitatione post unionem hypostaticam fieri potest. Id patet ex eo, quo ibidem utitur S. Cyrillus exemplo animæ, & corporis, quæ in nobis sola mentis intelligentia discerni dicit, quia sine humanæ naturæ corruptione separari nequeunt. Ulterius, sic luculenter suam doctrinam exponit: „ Igitur ea, ex quibus est unus, & solus Filius, „ & Dominus noster Jesus Christus, tamquam intelligentia concipientes, *duas quidem naturas* „ *unitas asserimus*, post unionem vero tamquam „ sublata jam illa *in duo divisione*, unam esse „ credimus Filii naturam, tamquam unius, *sed* „ *hominis facti, & incarnati*." Eadem similitudine animæ, & corporis utitur S. Cyrillus in epist. ad Valerianum. Hanc distinctionem duarum Christi naturarum secundum solam cogitationem etiam post S. Cyrillum retinuerunt S. Agatho Papa in Epist. ad Constantinopolit. Imperatores, & Jo. Maxentius in libello contra Acephalos.

600. Obj. tertio alia Ss. Patrum testimonia, qui ambas naturas in Incarnatione fuisse simul commixtas docuerunt. Primo Tertullianus *in Apologetico* cap. 21. *Nascitur*, inquit, *homo Deus mixtus*; quod alibi sæpe repetit; immo in Lib. adv. Praxeam cap. 27. utriusque naturæ *mixtionem*, & *conversionem* defendit. Secundo S. Augustinus in Epist. 138. ad Volusianum cap. 3. explicans, *quomodo Deus homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi*, utitur similitudine hominis, in quo anima unitur corpori, ut homo sit, & concludit: *In illa ergo persona* (hominis) *mixtura est animæ, & corporis; in hac persona* (Christi) *mixtura est Dei, & hominis*. Tertio ipse S. Leo in Serm. III. in Natali Domini: *Non sic*, inquit, *natura humana in societatem sui Creatoris est assumpta, ut ille habitator, & illa habitaculum esset, sed ita ut natura alteri altera misceretur*. Et Serm. IV. in Epiphania cap. 4. Dei Filium dicit *natura carnis immixtum*. Ab aliis, qui eadem *mixtionis* voce usi sunt, recensendis brevitatis causa supersedemus.

601. Resp. cum S. Cyrillo Lib. I. adv. Nestorium, illa voce usos fuisse Patres ad *summam duarum naturarum unionem*, non autem ad *confusionem* exprimendam. *Mixtionis nomen*, inquit Cyrillus, *posuerunt nonnulli etiam Sancti Patres .. sed ea voce sunt usi, cum summam unionem ostendere studuerunt*.

602. Tertullianus in Libro *contra Praxeam* primo negat, talem factam esse carnis, & divinitatis mixturam, ut *tertiura quid efficiatur*, quomodo ex auro, & argento simul mixtis fit electrum. Non aliam igitur mixtionem intelligit, quam duarum naturarum perfectam unionem; unde etiam ita prosequitur: *Certe* (invenimus) *usquequaque Filium Dei, & Filium hominis, eum Deum, & hominem sine dubio, secundum utramque substantiam, in sua proprietate distantem; quia neque Sermo aliud, quam Deus, nec caro aliud, quam homo*.

603. S. Augustinus, qua solebat, diligentia, & præcisione seipsum subinde explicat, ut caveatur illius permixtionis error, in quem postea Eutychiani inciderunt, ut facta sit naturarum confusio, unde monet auditorem, *ut recedat a consuetudine corporum, quia solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam*. Et ante in eadem epistola utramque in Christo naturam ita luculenter distinxerat, ut S. Leo ejusdem Sancti Patris verbis usus fuerit ad Eutychianam hæresim refellendam. Vide sup. num. 374.

604. Mirum denique est, S. Leonem advocari in patrocinium hæresis Eutychianæ, quam validissime confutavit, & insolubili anathemate perstrinxit, & qui in epist. 93. ad Theodoretum protestabatur, se Nestorianos, & Eutychianos, *utrosque Christi hostes æqua lance vitasse, atque damnasse*. Excludit itaque eo sermone a Christo diversitatem personarum, non naturarum. Id liquet ex toto contextu, qui sic habet: „ Hic enim (Em„ manuel) mirabilis sacræ Virginis partus, vere „ humanam, vereque divinam una edidit prole „ personam, quia non ita proprietates suas tenuit „ utraque substantia, ut personarum in eis posset „ esse discretio: nec sic creatura in societatem sui „ Creatoris est assumpta, ut ille habitator, & il„ la esset habitaculum; sed ita ut naturæ alteri „ altera *misceretur* (a)."

605. Obj. quarto. In Symbolo, vulgo Athanasiano, dicitur: *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo; ita Deus, & homo unus est Christus*: sed anima rationalis & caro conveniunt ad constituendam unam naturam humanam: ergo etiam Deus, & homo unam constituunt Jesu Christi naturam.

606. Respond. Sanctus Thomas 3. Part. qu. 2. art. 1. ad 2. „ quod ex anima, & corpore con„ stituitur in unoquoque nostrum duplex unitas, „ naturæ, & personæ. Naturæ quidem, secun„ dum quod anima unitur corpori, formaliter per„ fi-

(a) Quasi immediate post ita pergit: „ Hanc *unita*„ tem, qua Creatori creatura *conseritur* &c.": unde aliqui suspicati sunt, illam vocem *misceretur* errorem fuisse Librarii. In Codice quodam perantiquo legitur *uniretur*. Sed non est necesse, nos ad has angustias redigi, cum sane, & orthodoxe *mixtionis* vox in mysterio Incarnationis adhiberi possit, dummodo omnis confusio procul amoveatur; & ita duæ naturæ commixtæ intelligantur, ut utraque integra permanserit.

„ ficiens ipsum, ut ex duobus fiat una natura, „ sicut ex actu, & potentia, materia, et forma. „ Et quantum ad hoc non attenditur similitudo; „ quia natura divina non potest esse corporis for„ ma. Unitas vero personæ constituitur ex eis, „ inquantum est unus aliquis subsistens in carne, „ & anima. Et quantum ad hoc attenditur simi„ litudo: unus enim Christus, subsistit in divina „ natura, & humana".

407. Obj. quinto. Duarum naturarum una non denominatur ex altera, nisi aliquo modo invicem transmutentur ex altera, sed divina natura, & humana in Christo ab invicem denominantur, dicit enim Cyrillus supra laud., *divinam naturam esse incarnatam*; & Gregorius Nazianzenus ep. I. ad Cledonium dicit, *humanam naturam esse deificatam*: ergo &c.

408. Respondet S. Thomas ex S. Jo. Damasceno Lib. III. *de fide orthod.* cap. 6., naturam divinam, dici *incarnatam*, quia est unita carni *personaliter*, non quod sit in naturam carnis conversa. Similiter & caro dicitur *deificata*, non per conversionem, sed per unionem ad Verbum, salvis suis proprietatibus naturalibus; ut intelligatur caro *deificata*, quia facta est Dei Verbi caro, non quia facta sit Deus.

CAPUT III.

Breviter resoluuntur quædam quæstiones ad unionem duarum naturarum spectantes. (a).

409. Quæres primo, an numerus naturarum in Jesu Christo admittendus sit?

410. Resp., otiosam fortasse, & inutilem hanc quæstionem videri posse, postquam contra Eutychianos, duas esse in Christo inconfusas, atque impermixtas naturas, divinam, & humanam, tanto labore evicimus. Attamen non defuerunt etiam ex orthodoxis, qui earumdem naturarum numerum non admitterent. Certe S. Maximus Martyr, qui contra eosdem Eutychianos feliciter disputavit, refert, Catholicos quosdam, *numerum* naturarum non admisisse, eo quod *numerus omnis, aut dividendi vim habeat, aut divisibilis sit, aut divisionem introducat*. Et Jo. Maxentius in libello contra Acephalos Catholicorum doctrinam ita pariter exponit: *Sed duas ideo non debere dici in Christo post adunationem fatentur naturas, quia duo numerus non potest esse indiviſus, cum secundum veritatem omnis numerus divisioni subjaceat*.

411. Vanum tamen fuisse hunc quorumdam Catholicorum scrupulum, ostendit Vigilius Tapsensis in fine Lib. II. contra Eutychem; ubi utramque litigantium partem orthodoxam fuisse asserit, quamquam una alteram hæresis accusaret. „ Qui enim „ nolunt, inquit, duas ore fateri naturas, quas „ fidei expressione defendunt, Eutychianistæ re„ putantur, cum non sint. Item qui duas unius „ Christi naturas publice profitentur, Nestoriani „ putantur esse, cum non sint. Et videas eos lu„ ctuosis quibusdam, & omni lamentatione dignis, „ insultantibus hæreticorum nomine se invicem ac„ cusare. *Tu*, inquit, *Eutychianus es; & tu Nestorianus es*."

412. Sed vicit tandem eorum sententia, qui duas in Christo naturas numerabant, maximo tamen, & indissolubili nexu in una Verbi persona consociatas. Totam autem difficultatem, quod numerus divisionem secum afferat, ita diluit Leontius subtilis, atque accuratus Theologus Sæcul. VII. in Tract. V. *Solutionis argumentorum Severi*: „ Numerus ipse „ per se, neque dividit, neque copulat, sed u„ traque recipit, secundum qualitatem habitudi„ nis. Si enim unitates ipsas considères, ex qui„ bus constat numerus, in has dividitur: Si au„ tem universitatem harum, ex his copulatur. „ Duo enim, & duo, verbi gratia, componunt nu„ merum *quatuor*; numerus vero *quatuor* in duo, „ & duo dividitur: quare nihil habere definitum, „ *neque divisum, nec unitum*; sed in complexio„ ne rerum, & compositione hoc consistere". Ex his, aliisque rationibus communis demum opinio facta est Orthodoxorum contra hæreticos, duas in Christo numerandas esse naturas, quamquam indivisibiles.

413. Disputatum est etiam, an hæc duarum naturarum numeratio ad quantitatem *discretam* pertineret, an vero *ad continuam*? Leontius *de Sectis* Act. VIII. sine dubio respondit, pertinere ad quantitatem *discretam*; subdit vero: *Discretum autem dicitur non illud solum, quod prorsus est divisum; sed illud etiam, quod sic unitum est, ut suam quamdam rationem, qua distinguitur, servet*.

414.

(a) Quamquam inania, quorumdam Scholasticorum labor probari minime potest, qui longas, & subtiles de duarum naturarum in una Christi persona concertationes instituerunt; non tamen aliis consentire possumus, qui hæc omnia prorsus resecanda putant, non solum ut supervacanea, sed ut nimis curiosa, & fidei simplicitati plene noxia. Ita inter alios Phil. Limborchius, vir non indoctus, sed Sectæ Remonstrantium, cui addictus erat, præjudiciis a sana Theologiæ tradendæ ratione alienatus in Lib. V. *Theologiæ Christianæ* cap. 9. §. 8., ubi fidenter asserit, modum unionis divinæ naturæ cum humana tot esse obscuritatibus involutum, *ut doctissimi, solertissimi cujusque ingenium fatiget; & postquam diu satis se fatigarunt, inscitiam tandem suam fateri cogantur*. Eadem pene scribit Simon Episcopus pariter ex Remonstrantium grege Lib. IV. *Institut. Theolog.* Sect. II. c. 13. Tom. I. Operum. Quantum isti, aliique eorum similes fallantur, liquido patebit ex iis, quas instituimus quæstiunculis; in iis enim cum pene unanimis saniorum Theologorum consensus quasi semper habeatur, vel ex hoc ipso manifestum sit, nec eas impenetrabilibus tenebris esse involutas, nec inutiliter fuisse ad rectam hujus mysterii intelligentiam excitatas.

414. Hanc quæstionem proponit Sanctus Joannes Damascenus Lib. III. *de fide orthod.* cap. 8. atque ita respondet: „ Domini naturas neque corpus unum esse, neque lineam unam, neque tempus, neque locum, ut ad continuam quantitatem reducantur. Hæc enim sunt, quæ continue quanta cernuntur. Sciendum porro est, ea in numerum cadere, quæ inter se distinguuntur; nec numerari ea posse, inter quæ nulla distinctio est: sed quatenus distinguuntur, eatenus numerari: exempl. gr. Petrus & Paulus, qua ratione uniti sunt, non numerantur; nam cum secundum essentiam copulentur, dici non possunt *duæ naturæ*: at vero cum ratione personæ differant, *duæ* proinde *personæ* dicuntur. Ex quo patet, numerum iis convenire, quæ inter se differunt, hactenus quoque ea numerari. "

415. Hac præmissa doctrina, ita quæstioni respondet: „ Quocirca Domini naturæ, quantum „ *ad personam attinet, absque confusione unitæ sunt*: quantum autem *ad differentiæ rationem, absque divisione distinguuntur*. Ac quidem qua ratione unitæ sunt, minime numerantur (neque enim duas quantum ad personam dicimus esse Christi naturas); qua autem citra divisionem distinctæ sunt, numerantur &c. " Et hæc sufficiant de subtili hac quæstione, quæ propter importunas Eutychianorum argutias agitari debuit.

416. Quæres secundo, utrum persona, vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita?

417. Respond., non quæri, an natura Jesu Christi sit composita. Certum est enim, ut hactenus contra Eutychianos evicimus, utramque naturam *integram* in Christo permansisse. Quæritur ergo solum de hypostasi Jesu Christi, & hæc sine dubio dici debet cum S. Jo. Damasceno Lib. III. *de fide orthod.* cap. 5. *ex duabus naturis composita*.

418. Angelicus autem noster Præceptor 3. P. quæst. 2. art. 4. bene observat, personam sive hypostasim Christi dupliciter considerandam esse; nempe primo *prout est in se*; & sic esse *omnino simplicem*, alio modo secundum rationem personæ, vel hypostasis, *ad quam pertinent subsistere in aliqua natura*, & secundum hoc personam Christi subsistere in duabus naturis; *& sic dicitur persona composita*. Caute tamen Sanctus Doctor addit in resp. ad 2.; quod „ illa compositio personæ ex naturis non dicitur esse *ratione partium*, sed potius *ratione numeri*; sicut omne illud, in quo duo conveniunt, potest dici *ex eis compositum*. "

419. Atque hæc Sancti Thomæ doctrina desumpta est etiam ex definitione Concilii Constantinopolitani II. ubi Collat. VIII. can. 4. dicitur: „ Qui non confitetur *unitatem Verbi Dei* ad carnem animatam anima rationali, & intellectuali, *secundum compositionem*, sive secundum subsistentiam factam esse, sicut & Sancti Patres docuerunt, & ideo unam ejus subsistentiam *compositam*, qui est Dominus noster Jesus Christus, unus, unus de Sancta Trinitate, talis anathema sit ". Etiam in VI. Synodo œcumenica eadem veritas confirmata fuit Act. XI. his verbis: *Unam ejus (Christi) subsistentiam compositam dicimus*. Ac paulo antea in Synodo Romana sub Martino I. can. 8.

420. Neque vero ex hac catholica doctrina quis inferat, Christum totum compositum ex natura divina, & humana aliquid majus, meliusve esse, quam singulas partes totum componentes. Id quippe verum est de natura humana, sed non de divina, qua nihil majus excogitari potest. Rationem reddit Sanct. Thomas in III. Diss. VI. quæst. 2. art. 3. ad 1. inquiens: „ Quod in persona composita sint plura bona, quam in persona simplici, quia est ibi bonum increatum, & bonum creatum: tamen persona composita non est magis bonum, quam simplex, quia bonum creatum se habet ad bonum increatum, sicut punctum ad lineam, cum nulla sit proportio unius ad alterum. Unde sicut lineæ additum punctum non facit majus, ita nec bonum creatum additum in persona bono increato facit melius. Vel etiam quia ratio bonitatis omnium bonorum est in Deo: unde & ipse dicitur *omne bonum*. Unde non potest sibi fieri additio alicujus boni, „ quod in ipso non sit. "

421. Dices. In Concilio Constantiensi fuit damnata hæc propositio Joannis Hus: *Duæ naturæ, divinitas, & humanitas, sunt unus Christus*, quæ tamen propositio erit vera, si Christus dicatur una persona *composita*.

422. Resp., fuisse illam propositionem merito damnatam in perverso sui Auctoris sensu, quem Joannes a Magistro suo Wicleffo hauserat, scilicet tam naturam divinam, quam humanam in abstracto, & divisim acceptam esse Christum: non autem damnata fuit, aut damnari potuit ea propositio in hoc sensu, quod ambæ naturæ simul unitæ in Verbi persona Christum constituant. Vid. Thomas Waldensis in *Doctrinali fidei* Lib. I. art. cap. 42.

Quæres tertio, in quo sita sit duarum naturarum unio?

423. Resp. Jam diximus supra pag. 76. n. 61. causam effectricem Dominicæ incarnationis fuisse totam Sanctissimam Trinitatem, unde sequitur etiam unitionem duarum naturarum in Christi persona active sumptam nihil esse aliud, quam ejusdem Sacrosanctæ Triadis actionem. Hic autem solummodo quæritur, quid proprie sit illa unio *passive* sumpta; seu quid sit ille nexus intimus, & arctissimus, qui utrumque naturam simul copulat; an aliud creatum sit, ab ipsis naturis distinctum? An vero nihil sit aliud, quam ipsæ duæ naturæ inter se copulatæ in divini Verbi persona?

424. Primam sententiam tenuit Scotus in Lib. III. Senten. Dist. I. quem non pauci Scholastici se-

accuti sunt, ut Suarez Disp. VIII. in 3. Part. Sect. 4., Vasquez disp. 18. cap. 3., & etiam ex Thomistis Salmaticenses Disp. IV. dub. 1., ac nonnulli alii, potissimum propter auctoritatem Sancti Thomæ, qui 3. Part. q. 2. art. 7. docet, & probat, *unionem divinæ, & humanæ naturæ esse aliquid creatum;* pro certo igitur videtur habere, eam unionem esse aliquid a duabus naturis unitis distinctum.

425. Sed alii Thomistæ repugnant, contendentes, nullum prorsus modum absolutum a Sancto Doctore admitti, quo unio utriusque naturæ facta sit. Perspicua sunt ipsius verba in III. *Sent.* Dist. II. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1.: *In unione humanæ naturæ ad divinam* nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, *cui per prius humana natura conjungatur, divinæ personæ. Sicut enim inter materiam & formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia, quam forma substantialis .... ita etiam inter naturam, & suppositum non potest aliquid dicto modo medium cadere &c.* Item 3. Part. quæst. 6. ad 1. *Unio*, inquit, *naturæ humanæ ad Verbum Dei est secundum esse personale, quod non dependet ab aliquo habitu*, sed immediate ab ipsa natura. Non itaque excogitare debemus aliquem nexum ab utraque natura distinctum, in una persona, quo utraque simul copuletur; eo fere modo, quo calce simul uniuntur lateres, aut filo consuuntur vestes. Sed potius quomodo forma unitur materiæ, aut actus potentiæ, quin aliquod sit vinculum, quo simul copulentur, ita divina natura, & humana simul immediate conjunctæ sunt in una persona divini Verbi.

426. Neque vero obstant, quæ S. Doctor in laud. art. 7. habet, inquiens: *Unio de qua loquimus, est* relatio quædam, *quæ consideratur inter divinam naturam, & humanam secundum quod convenient in una persona Filii Dei. Sicut autem in I. P.* (*quæst. 13. art. 7.*) *dictum est, omnis relatio, quæ consideratur inter Deum, & creaturam, realiter quidem est in creatura, per cujus mutationem talis relatio innascitur, non autem est realiter in Deo, secundum rationem tantum, quia non innascitur secundum mutationem Dei. Sic ergo dicendum est, quod hæc unio; de qua loquimur, non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantum; in humana autem natura, quæ creatura quædam est, realiter est. Et ideo oportet dicere*, quod sit quiddam creatum.

427. Non inquam hæc obstant: nam ex toto contextu apparet, non loqui Angelicum de ipsa *unione formali*, sed de relatione, quæ ex unione resultat; & quæ relatio *realis* est solum ex parte naturæ creatæ, & cum hæc relatio realis non sit æterna, sed inceperit cum ipsa unione, certe creari debuit. Quantum vero attinet ad ceteras difficultates ex ratione depromptas, eas apud memoratos supra Theologos Scholasticos quisque pro libita legere poterit.

Quæritur IV., an unio duarum naturarum in Christo dici possit *accidentalis?*

428. Negat S. Th. hac q. 2. art. 6. bene observans, hoc affirmari non posse, quin incidamus in damnatam hæresim Nestorii, qui duas in Christo personas admittens, eas nonnisi *accidentaliter* sibi invicem unitas esse dicebat; nempe *per inhabitationem, per unitatem affectus, per operationem, per dignitatem honoris &c.*, unde concludit, omnino hæreticam esse illam sententiam, quæ nonnisi *accidentalem* utriusque naturæ unionem ponit.

429. Reipsa in Concilio Lateranensi sub Martino I. definitum fuit, secundum veterem orthodoxorum Patrum traditionem confitendum esse *unum, eumdemque Dominum nostrum Jesum Christum ex duabus, & in duabus existentem naturis substantialiter unitis, inconfuse, & indivise.* Unio ergo duarum naturarum substantialis est, non accidentalis. *Substantialem enim*, inquit Damasceuus Lib. III. de fide orth. cap. 3., *esse hanc unionem dicimus, hoc est veram, & non imaginariam. Substantialem autem, non quod duæ naturæ unam compositam naturam effecerint; sed quod in unam Filii Dei compositam hypostasim inter se unitæ sint.* Dicitur vero hypostasis Christi *composita*, quia cum ante incarnationem nonnisi unam terminaret naturam divinam, post incarnationem duas terminat, divinam, & humanam.

430. Neque obstat, quod natura humana unita fuerit Verbo divino jam ab æterno perfectissimo; quomodo accidentia adveniant subjecto jam completo; & quæ proinde adesse, vel abesse possunt (*a*).

431. Ita enim Angelicus Doctor hanc difficultatem solvit ibidem ad 2. „ Illud quod advenit post „ esse completum, *accidentaliter* advenit, nisi tra„ hatur in communionem illius esse completi; sic„ ut in resurrectione corpus advenit animæ præ„ existenti; non tamen *accidentaliter*; quia ad „ idem esse assumetur, ut scilicet corpus habeat „ esse vitale per animam. Non est autem sic de „ albedine, quia aliud est esse albi, & aliud est „ esse hominis. Verbum autem Dei ab æterno „ esse completum habuit secundum hypostasim, „ sive personam; ex tempore autem advenit ei „ natura humana, non quasi assumpta ad unum „ esse, *prout esse naturæ*, sicut corpus assumi„ tur

(*a*) Aliquos Calvinistas hoc argumento: *Quidquid supervenit enti in actu existenti, est ejus accidens: cæro supervenit λόγῳ, enti in actu existenti: ergo est ejus accidens*, fuisse indoctos, ad hanc unionem vocandam *accidentalem*, testis est Jo. Gerhardus Tom. III. *Loc. Theolog.* cap. 7. n. 123.

„ tur ad esse animæ, sed ad unum esse, *prout* „ *est hypostasis, vel persona*. Et ideo humana „ natura non unitur accidentaliter Filio Dei ". Unio itaque duarum naturarum in Christo *substantialis* dici debet, sumendo tamen *substantiam* pro hypostasi, non pro natura.

432. Aliam difficultatem sibi objicit Angelicus; nempe humanam naturam pertinere ad essentiam Verbi divini; quod autem ad essentiam non pertinet, esse accidens; omne enim quod est, aut est substantia, aut accidens; humana ergo natura non potuit conjungi divinæ, nisi accidentaliter.

433. Respondet autem ad 3. „ Quod accidens „ dividitur contra substantiam: substantia autem, „ ut patet V. *Metaph.*, dupliciter; uno modo pro „ essentia, sive natura; alio modo pro supposito, „ sive hypostasi. Unde sufficit ad hoc, quod non „ sit unio accidentalis, quod sit facta unio secun„ dum hypostasim, licet non sit facta unio secun„ dum naturam ".

434. Ut autem majori, qua fieri potest, perspicuitate ineffabilis hæc, & substantialis duarum naturarum unio intelligatur, subtiliter, & acute notat Angelicus art. 8., *unionem* distingui ab *assumptione*. Unio enim importat *relationem* quamdam divinæ naturæ, & humanæ, secundum quod conveniunt in una persona; assumptio autem *actionem*, secundum quam aliquis dicitur assumens, vel *passionem*, secundum quam dicitur aliquid assumptum. Hinc fit, ut æque dici possit, naturam divinam esse unitam naturæ humanæ, & e converso naturam humanam esse conjunctam divinæ. Non autem dici potest, naturam humanam assumpsisse naturam divinam, sed contra dici debet, naturam humanam esse assumptam a Verbo, ut in ejusdem persona subsisteret. Quod conforme est Apostolo dicenti, Filium Dei *formam servi Dei accepisse* ad Philipp. II. 7., & communi S. Patrum locutioni, qui Incarnationem nominare solent *assumptionem carnis*.

Quæritur V. An unio duarum naturarum in Christo fuerit omnium maxima?

435. Resp. Angelicus in art. 9., hanc unionem consideratam ex parte ejus, in quo duæ naturæ copulantur, scilicet divinæ personæ, esse omnium maximam; eo enim est major unio, quo punctum, ut ita dicam, unionis est magis simplex: persona autem divina, in qua naturæ simul copulantur, est maxime una, & simplicissima; adeoque &c. Hinc S. Bernardus lib. 5. *de Considerat.* cap. 8. *Inter omnia*, inquit, *quæ recte unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres personæ una substantia sunt: secundo loco illa præcellit, quæ e converso tres substantiæ una in Christo persona sunt* (a). Probat autem mellifluus Doctor, hanc in Christo unionem esse majorem ea, qua anima, & corpus uniuntur ad unam hominis naturam, & personam constituendam, quia inquit, *si duo illa de se invicem prædices, non erraveris, Deum videlicet hominem, & hominem Deum vere, catholice pronuntias. Non autem similiter vel carnem de anima, vel animam de carne, nisi absurdissime prædicas; & si similiter anima, & caro unus sit homo*.

Quæritur VI. An unio duarum naturarum in Christo facta sit per gratiam?

436. Resp. Angelicus art. 10. allatis istis S. Augustini verbis *de prædest. Sanct.* cap. 15. *Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus*. Eadem verba Angelicus sic explicat: „ Gratia dupliciter dicitur: uno modo „ *ipsa voluntas Dei gratis aliquid dantis*; alio „ modo *ipsum gratuitum donum Dei* ... Sic ergo „ dicendum est, quod si gratia accipiatur ipsa Dei „ voluntas gratis aliquid faciens, vel gratum, seu „ acceptum aliquem habens, unio incarnationis „ facta est per gratiam, sicut & unio Sanctorum „ ad Deum per cognitionem, & amorem. Si vero gratia dicatur ipsum gratuitum donum, sic „ ipsum est humanam naturam esse unitam per„ sonæ divinæ, potest dici quædam gratia, in„ quantum nullis præcedentibus meritis hoc est „ factum: non autem ita quod sit aliqua gratia „ habitualis, qua mediante talis unio fiat. "

437. Quod uberius declarat S. Doctor in resp. ad 1., bene observans, quod gratia, *quæ est accidens, est quædam similitudo divinitatis participata in homine*. Per Incarnationem autem humana natura non dicitur *participasse similitudinem aliquam divinæ naturæ*: sed dicitur *esse conjuncta ipsi divinæ naturæ in persona Filii*. Majus autem est ipsa res, quam similitudo ejus participata.

438. Observat insuper, gratiam habitualem solum esse in anima: gratiam autem *unionis* pertinere ad totam naturam humanam, quæ componitur ex anima, & corpore; unde etiam hoc sensu intelligi possunt verba Apostoli ad Coloss. II. 9. *Quia in ipso* (Christo) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; quia est unita divina natura non solum animæ, sed etiam corpori, scilicet toti naturæ humanæ.

Quæritur VII. Utrum unionem Verbi incarnati aliqua præcesserint merita?

439. Cum Angelicus art. 10., ut mox vidimus, docuisset, unionem naturarum factam esse gratuita Dei voluntate, cohærenter in art. 11. primo ponit verba S. Augustini, in laud. Lib. *de prædestin. Sanct.* cap. 15. dicentis: *Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenit, ipsa in nobis membris ejus præ-*

(a) Cum S. Pater *tres* dicit *substantias* in Christo, intelligit *Verbum, animam, & carnem*, ut ipse explicat c. 9., ut antithesim faceret inter mysterium Tri-

nitatis, & Mysterium Incarnationis, *ut quomodo ibi tres personæ, una essentia, ita hic convenientissime quadam contrarietate tres essentiæ sunt una persona*.

præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Sed nulla merita præcesserunt regenerationem nostram, secundum illud ad Titum III. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Ergo nec illam Christi generationem aliqua merita præcesserunt.

440. Et quidem non potuerunt præcedere aliqua ipsius Christi merita; non enim antea fuit purus homo, unde mereri posset, & postea ad hypostaticam unionem assumptus; sed a primo suæ conceptionis instanti fuit filius Dei, utpote non habens aliam hypostasim, vel subsistentiam, quam Filii Dei. Et ideo omnis ejus operatio subsecuta est unionem hypostaticam.

441. „ Sed neque, prosequitur S. Thomas, o-„ pera alterius cujuscumque hominis potuerunt „ esse meritoria hujus unionis *ex condigno*. Pri-„ mo quidem, quia opera meritoria hominis pro-„ prie ordinantur ad beatitudinem, quæ est vir-„ tutis præmium, & consistit in plena Dei frui-„ tione. Unio autem Incarnationis, cum sit in es-„ se personali, transcendit unionem beatæ mentis „ ad Deum, quæ est per actum fruentis: & ideo „ non potest cadere sub merito, quia est meren-„ di principium. Unde multo minus Incarnatio „ cadit sub merito, quæ est principium gratiæ, „ secundum illud Jo. I. 17. *Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est*. Tertio, quia „ Incarnatio Christi est reformativa totius huma-„ næ naturæ; & ideo non cadit sub merito ali-„ cujus hominis singularis: quia bonum alicujus „ puri hominis non potest esse causa boni totius „ naturæ “.

442. *Ex congruo tamen meruerunt S. Patres* (atque inter eos potissimum Beatissima Virgo) *Incarnationem desiderando, & petendo: congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant*. Ita Angelicus.

443. Opponit autem sibi ipsi S. Doctor, antiquos Patres promeritos fuisse vitam æternam, ad quam tamen nonnisi per Verbi Incarnationem pervenire poterant, dicente S. Gregorio lib. 13. *Moralium* c. 15.: *Hi, qui ante Christi adventum in hunc mundum venerunt, quantamlibet justitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti, in sinum cælestis patriæ statim recipi nullo modo poterant, quia nondum illis venerat, qui justorum animas in perpetua sede collocaret*.

444. Quam difficultatem ita dissolvit: *Est falsum, quod sub merito cadat omne illud, sine quo præmium esse non potest. Quædam enim sunt, quæ non solum requiruntur ad præmium, sed etiam præexiguntur ad meritum, sicut divina bonitas, & ejus gratia, & ipsa hominis natura. Similiter Incarnationis mysterium est principium merendi; quia* de plenitudine Christi omnes accepimus, *ut dicitur Jo.* I. 16.

445. De Beata autem Virgine, de qua non semel cauit Ecclesia, quod Dominum omnium *meruit* portare; & per quam *meruimus* auctorem vitæ suscipere, hæc addit S. Præceptor ad 3. *Beata Virgo dicitur* meruisse *portare Dominum omnium*, non quia meruit ipsum incarnari; *sed quia* meruit ex gratia sibi data *illum puritatis, & sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei*.

Quæritur VIII. an gratia unionis fuerit in Christo naturalis?

446. S. Thomas art. 12. præmittit auctoritatem S. Augustini dicentis in *Enchiridio* cap. 40. Tom. VI.: *Modus iste, quo natus est Christus de Spiritu Sancto, non sicut Filius, & de Maria Virgine, sicut Filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis in ipsa exordio naturæ suæ, quo esse cæpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei: ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum possit admittere peccatum*.

447. Post autem quæstioni respondet: „ Dicen-„ dum, quod secundum Philosophum in V. *Me-„ taph.*, natura uno modo dicitur ipsa *nativitas*, „ alio modo *essentia rei*. Unde naturale aliquid „ dici potest dupliciter: uno modo quod est tan-„ tum ex principiis essentialibus rei, sicut igni „ naturale est sursum ferri, alio modo homini di-„ citur esse *naturale*, quod ab ipsa nativitate ha-„ bet, secundum illud Ephes. II. 3. *Eramus na-„ tura filii iræ*, & Sap. XII. 10. *Nequam est „ natio eorum, & naturalis malitia ipsorum*. „ Gratia igitur Christi, sive unionis, sive habi-„ tualis, non potest dici *naturalis*, quasi causa-„ ta ex principiis humanæ naturæ in Christo; „ quamvis possit dici *naturalis*, quasi provenien-„ in naturam humanam Christi, causante divina „ natura ipsius. Dicitur autem *naturalis* utraque „ gratia in Christo, inquantum eam a nativitate „ habuit: quia ab initio conceptionis fuit natura „ humana divinæ personæ unita, & anima ejus „ fuit munere gratiæ repleta. “

448. Difficultas autem occurrit, quod gratia in Christo *naturalis* dici non possit, secundum naturam divinam: quia sic conveniret aliis personis divinis. Nec etiam naturalis est ei secundum naturam humanam, quia sic conveniret omnibus hominibus, qui sunt ejusdem naturæ cum ipso.

449. Hanc difficultatem ita expedit S. Thomas ibidem ad 3.: „ Gratia unionis non est naturalis „ Christo secundum humanam naturam, quasi ex „ principiis humanæ naturæ causata: & ideo non „ oportet, quod conveniat omnibus hominibus. „ Est tamen naturalis ei secundum humanam na-„ turam, propter proprietatem nativitatis ipsius, „ prout sic conceptus est ex Spiritu S., ut esset „ idem natnralis filius Dei, & hominis. Secun-„ dum vero divinam naturam est ei naturalis, in-„ quantum divina natura est principium activum „ hu-

„ hujus gratiæ. Et hoc convenit toti Trinitati, „ scilicet hujus gratiæ esse principium activum."

450. Et hæc quidem satis sint, ut integram, *quoad fieri potest*, hujus ineffabilis unionis hypostaticæ notitiam habeamus, ne hæc ignorantes in alterutrum Nestorii, vel Eutychetis præcipitium ruamus. Dixi *quoad fieri potest*; neque enim ii sumus, qui hoc altissimum, & profundissimum mysterium penetrarit intime posse putemus. Sociniauorum sit hæc vana, ac præsumptuosa jactantia. Nos contra cum *ingeniorum Aquila* S. Augustino curiositati nostræ modum imponemus. Hic S. Doctor in epist. 137. ad Volusianum c. 2. num. 8. de hoc ineffabili mysterio loquens: *Hic*, inquit, *si ratio quæritur, non mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse, in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis* (a).

CAPUT IV.

Ostenditur, unionem duarum naturarum hypostaticam in Christo Jesu nunquam fuisse solutam.

451. Inter proprietates unionis hypostaticæ hæc est præcipua, ut sit indissolubilis. Id tamen impie non minus, quam stolide inficiari ausi sunt veteres quidam hæretici. Nam primo ut S. Augustinus in lib. *de hæresibus* n. 59. refert. „ Sed „ leuciani negabant, Salvatorem in carne sedere „ ad dexteram Patris: sed ea se exuisse perhibe„ bant, eamque in sole posuisse, accipientes oc„ casionem de Psalmo, ubi legitur: *In sole po„ suit tabernaculum suum*." Eadem habet S. Philastrius *de hæresibus* n. 55. Hujus ipsius insaniæ Theodoretus Lib. I. *Hær. fabularum* c. 19. arguit Hermogenem. Pamphilus etiam in Apologia pro Origene quosdam memorat dicentes, *quod Salvator noster ascendens e terris ad cœlum, & corpus suum assumens, pervenit usque ad eum circulum, qui solis Zona nominatur, & ibi, ajunt, posuit tabernaculum corporis sui, non enim ultra erat possibile id progredi.*

452. Secundo Marcellus Ancyranus, ejusque populares Photinus, aperte docuerunt, post universalem resurrectionem Christum humanitatem, & regnum deposituruin. Ita de iis refert Eusebius Cæsariensis Lib. III. *de Ecclesiast. Theologia* cap. 9. Et hanc ipsam absurdam hæresim memorant Orientales Episcopi apud Socratem Lib. II. cap. 19. ubi detestari se profitentur errorem Marcelli, & Photini Ancyro-Galatarum, dicentium, *Christi regnum habiturum esse finem post mundi consummationem, & judicium*. Putabant nimirum omnes isti, Incarnationem non esse factam, nisi ad tempus; adeoque in mundi fine esse dissolvendam.

453. Tertio ejusdem erroris accusatur etiam Origenes. Suspicionem certe ingerunt illa ipsius verba Hom. XXIX. in Lucam de Jesu Christo: *A mortuis resurgens ultra non moritur: omnis autem homo morti subjacet: iste ergo, qui nequaquam moritur, jam non est homo, sed Deus est*. Origenem docuisse etiam, Christum, quemadmodum humanitate, ita & regno exuturn iri, asserunt Theophilus in Ep. II. *Paschali*, & S. Hieronymus in ep. ad Anitium CXXIV.; tum Justinianus Imperator in Epist. ad Mennam, Sophronius Jerosolym. in epist. ad Sergium, aliique.

454. Sanct. autem Joann. Damascenus *de hæresibus* hunc errorem tribuit Origenianis, inquiens: *Christi regnum quandoque cessare nugantur*. Recte autem monet P. Mich. Le-Quien, hunc errorem ab alio ejusdem Origenis fluxisse, quod Dæmones, & impii ex meritis Christi sint ad meliorem frugem convertendi, & tunc subjectis universis Deo, regnum Christi cessare debeat (*b*).

455. Quarto aliqui saltem in triduo mortis, divinitatem tum a corpore, tum etiam ab anima Jesu Christi separatam fuisse dixerunt; quos S. Thomas confutat 3. P. qu. 50. art. 2. & 3.

456. Demum viget adhuc memoria celebris illius controversiæ, quæ medio sæc. XIV. exorta est in Hispania inter Dominicanos, & Fratres Minores Joannes Clericus, qui a Calviniana secta ad castra Remonstrantium, vel potius Socinianorum migravit, in *Epistolis Theologicis*, quas sub adscititio nomine *Liberii de sancto Amore* vulgavit, nihil in toto hoc Mysterio rationi impervium esse contendit; & totam Verbi cum natura humana unionem methodo geometrica se exponere gloriatur. Nempe totam unionem in *consensu* reponit: *Deus*, inquit Proposit. IV., *non potest aliter uniri cum spiritu creato, quam consensu unicum totum componendi cum eo; adeo ut utriusque proprietates, & actiones, & creaturæ passiones toti composito tribui possint*. Cum autem sibi objecisset, illam *unionem consensus* non satis arctam esse, ut *hypostatica* dicitur, quomodo a temporibus proscripti Nestorii semper appellata fuit duarum naturarum unio, facile nodum secat, respondens, *arctiorem afferant, quæ esse possit inter Deum, & creaturas*. Quilibet autem statim videt, hoc modo non explicari, sed prorsus tolli illud magnum Mysterium, quo Christiani summus. Sed notum jam est, a Socinianis non admitti in Religione mysteria, nisi nomine tenus.

(a) Joannes Clericus, qui a Calviniana secta ad castra Remonstrantium, vel potius Socinianorum migravit, in *Epistolis Theologicis*, quas sub adscititio nomine *Liberii de sancto Amore* vulgavit, nihil in toto hoc Mysterio rationi impervium esse contendit; & totam Verbi cum natura humana unionem methodo geometrica se exponere gloriatur. Nempe totam unionem in *consensu* reponit: *Deus*, inquit Proposit. IV., *non potest aliter uniri cum spiritu creato, quam consensu unicum totum componendi cum eo; adeo ut utriusque proprietates, & actiones, & creaturæ passiones toti composito tribui possint*. Cum autem sibi objecisset, illam *unionem consensus* non satis arctam esse, ut *hypostatica* dicitur, quomodo a temporibus proscripti Nestorii semper appellata fuit duarum naturarum unio, facile nodum secat, respondens, *arctiorem afferant, quæ esse possit inter Deum, & creaturas*. Quilibet autem statim videt, hoc modo non explicari, sed prorsus tolli illud magnum Mysterium, quo Christiani summus. Sed notum jam est, a Socinianis non admitti in Religione mysteria, nisi nomine tenus.

(b) Origenis vindicias hac etiam in parte egit Petrus Halloixius, multa colligens Joannis veteris Scriptoris loca, ut enim ab hoc errore alienum fuisse ostenderet; quæ tamen *infima, & levia, & ad rem parum apposita* visa sunt Petro Dan. Huetio Lib. LI. *Origenianorum* qu. 3. §. 25. Ipse autem Huetius Origenem purgare aliter aliis argumentis, scilicet, quia in Origenianorum librorum reliquiis manifesta hujus hæreseos vestigia ansquam reperit; & quia Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi* XV. hanc hæresin in Marcello, & Photino confutans, *recens* illam exortam dicit: quod utique non diuisset, si eam jam ab Origenis temporibus propagatam credidisset. Quæ duo ipsius momenta non videntur iis, quæ rejicit, graviora.

nores de sanguine Jesu Christi in Passione fuso, & a corpore ejusdem Christi separato; an scilicet iste sanguis remanserit divinæ personæ conjunctus, quemadmodum certum est, eidem personæ mansisse conjunctam animam, & corpus, quamvis per mortem ab invicem separata. Fuit post centum fere annos hæc eadem quæstio denuo suscitata inter earumdem familiarum Alumnos, majori contentione agitata, atque ad supremum Pii II. tribunal delata; qui eam indecisam reliquit; imposito utrique parti silentio (a). Hujusmodi falsas sententias distinctis propositionibus confutabimus.

PROPOSITIO I.

Hæreticum plane est dicere, hypostaticam carnis unionem in Christo post ejus mortem, vel resurrectionem fuisse dissolutam; aut post finem mundi dissolvendam.

457. Prob., quia nimis aperta sunt, & frequentia sacrarum Scripturarum oracula, quibus edocemur, Christum *manere in æternum* Joan. VIII. 35., &c. XII. 34. ipsa turba respondit ad Jesum: *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum*; & Paulus Apostolus ad Hebr. XIII. 8. *Jesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula*: nomine autem Christi venit persona divina in natura humana subsistens; ut proinde hæc natura debeat illi unita permanere in æternum. Regnum quoque ipsius Christi æternum futurum prædixit Angelus Mariæ Lucæ I. 33. inquiens: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus; & regnabit in domo Jacob in æternum; & regni ejus non erit finis*. Unde etiam Patres Constantinopolitanæ Synodi primæ hæc ipsa verba Symbolo Nicæno addiderunt: *Cujus regni non erit finis*. Item æternum futurum ipsius Sacerdotium: Hebr. VII. 24. *Hic autem* (Christus), *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*. Quod etiam David de eo prædixerat in Psalmo CIX. *Tu es Sacerdos in æternum*. Regnum autem, & Sacerdotium Christus habere non dicitur, nisi secundum naturam humanam divinæ unitam.

458. Supervacaneum videtur, Patrum testimonia contra stolidam hanc, & insanam hæresim coacervare. Eam enim data opera confutarunt S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi* XV., S. Epiphanius in *Ancorato*, S. Basilius ep. LII. S. Gregor. Nazianzenus Orat. XXXVI., ac præter alios multos S. Gelasius Papa in epist. secunda, ubi de Christo inquit: *Nunquam autem post resurrectionem unitionis naturæ suæ discessit a proprio templo, nec discedere potest, propter ineffabilem suam benignitatem*. Et S. Jo. Chrysostomus Hom. XI. in Joan. *Carnem*, inquit, *nostram induit, non tanquam iterum eam derelicturus, sed ut secum semper illam habiturus*. Hinc ex historia Synodi VI. œcumenicæ habetur, quod Act. XVI. cum Constantinus quidam Ecclesiæ Apamensis Presbyter novum *Henoticon* proposuisset, in quo ad conciliandos eum Catholicis Monothelitas dicebatur; Christum habuisse quidem voluntatem humanam, dum viveret, eamdem tamen una cum carne, & sanguine in morte exuisse, patres omnes cum indignatione, atque anathemate hanc assertionem exploserunt; natum quippe erat, & fixum, nihil unquam a Servatore nostro dimisum ex iis, quæ sibi in sua incarnatione univerat.

459. Potissimum Marcelli, & Photini fundamentum repetebatur ex iis Apostoli verbis in prima epist. ad Corinth. XV. 25. & seq. de Christo: *Cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*. Ex hoc loco colligebant, regnum Christi non duraturum, nisi usque ad finem mundi.

460. Locus certe obscurus est, & difficilis; nec uno modo a sacris Interpretibus explicatur. Duas affert Angelicus noster ejusdem expositiones ex sanctis

(a) Anno 1351. cum Barcinone quidam Concionator publice prædicasset, divinitatem in triduo mortis Christi fuisse a pretioso ejus sanguine in passione fuso separatam, nec potuisse propterea eumdem sanguinem cultu latriæ adorari, non levis hac de re controversia excitata fuit, quam breviter finivit Clemens VI. mandans Fidei Quæsitori Nicol. Roselli (qui postea a Gregorio XI. fuit Cardinalitia purpura exoratus) ut Concionatorem cogeret ad hanc sententiam publice revocandam; quod factum fuisse narrat Nic. Eymericus in *Directorio Inquisitorum* P. II. n. 280. Videri etiam potest Fleurius T. XX. *Hist. Eccl.* in fine Libri XCV. Sed post centum & amplius annos iterum eadem controversia Brixiæ excitata fuit, scilicet ann. 1463., magnaque argumentorum copia coram Pio II. multis Cardinalibus, ac nonnullis Theologiæ Doctoribus triduana disputatione agitata (Disputatorum nomina nobis conservavit Sylvester de Prierio Tract. III. *Quæst. Evang.* qu. 31.). Si Gobellino credimus Lib. XI., Pontifex cum majori Cardinalium, ac Theologorum parte Dominicanis assentiebatur, negantibus, divinitatem fuisse a sanguine fuso Jesu Christi separatam, quamquam non negarent, eam sejunctam fuisse a parvis quibusdam guttulis, quas Christus resurgens non resumpsit. Sed sapientissimus Pontifex peremptorium judicium ex cathedra pronunciare certis de causis noluit, & utrique litigantium parti silentium imposuit donec quid de ea re tenendum esset, a Sede Apostolica fuisset definitum. Advertit laud. mox Fleurius, hanc controversiam parum utilem esse, postquam Jesus Christus suum sanguinem resumpsit, & secum una cum carne, & anima in cœlum duxit. De hujus quæstionis renovatione Vid. Historiæ Fleurianæ Continuator T. XXIII. Lib. CXII. n. 67., tum Natal. Alexander in *Hist. Ecclesiast.* Sec. XV. c. 2. art. 7. P. Ignat. Hyac. Amat de Graveson *De vita, & mysteriis Christi* Diss. XXI.; tum etiam in *Historia Ecclesiastica* Sæc. XV. Colloq. III., atque alii Historici Ab. Bzovius, Henr. Spondanus, & præcipue Gobellinus, a quo ceteri omnia fere mutuati videntur.

ctis Patribus depromptas Lect. III. Prima est, quod Apostolus loquatur non de persona Christi, sed de ipsius corpore, quod est Ecclesia; ut sensus sit: „ *Cum tradiderit*, idest perduxerit regnum, idest „ fideles suos, quos proprio sanguine acquisivit „ Ap. 5. 9. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo* ... „ *& fecisti nos Deo nostro regnum* ..... Sed sic „ tradet, ut sibi non adimat, immo ipse unus „ Deus cum Patre, & Sancto Spiritu regnabit. "

461. Altera expositio est ex Sancto Augustino mutuata in Libro 83. quæstionum quæst. 69. *Cum tradiderit regnum Deo, & Patri*, „ idest cum „ ostendet, Deum Patrem regnare. In Scriptura „ enim tunc dicuntur aliqua fieri, quando primo „ innotescunt, & hujusmodi innotescentia fit per „ Christum. " *Tradet ergo regnum*, inquit Augustinus, *Deo & Patri, cum per illum per speciem cognoscetur Pater. Regnum enim ejus sunt, in quibus nunc regunt per fidem.*

462. Verba autem subsequentia: *Oportet eum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus ejus*, ita S. Doctor Augustinus interpretatur: „ Oportet regnum ejus in tantum manifestari, donec omnes inimici ejus ipsum regnare fateantur: " Illam vero particulam *donec* non vult ita intelligi, *quasi cum posuerit inimicos suos sub pedibus suis, non sit postea regnaturus*. Neque enim particula *donec* semper exprimit finem, seu cessationem, sed nonnunquam usurpatur etiam de rebus, quæ adhuc perdurant; ut cum dicitur in Psalmo CXXXIII. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*, non significatur, post obtentam misericordiam oculos nostros debere a Deo averti. Et multo plura similia exempla ex sacris litteris afferre facile esset.

PROPOSITIO II.

Divinitas, neque a carne, neque ab anima Christi in triduo mortis separata fuit.

463. Primam hujus propositionis partem probat Angelicus 3. P. quæst. 50. art. 1. hoc firmissimo argumento. In Symbolo Apostolorum omnes ita profitemur: *Credo .... in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus;* atqui sepultum non fuit nisi corpus inanime: ergo corpus non fuit a divinitate separatum, alias Filius Dei non posset dici *sepultus*. Præclare Augustinus Tract. XLVII. in Joann. num. 13. *Utique*, ait, *confiteris etiam illud, quod habet eadem fides, in eum Christum te credere, qui crucifixus est, & sepultus. Ergo etiam sepultum Christum esse non negas, & tamen sola caro sepulta est. Si enim erat ibi anima, non erat mortuus &c.* (*a*).

464. Concinit S. Fulgentius in Lib. III. ad Trasimundum cap. 16. inquiens: *Licet in Christi morte carnem morientem anima fuisset desertura, divinitas tamen Christi nec ab anima, nec a carne potuit separari suscepta.* Et in responsione ad quæst. primam Ferrandi: *Etiam*, inquit, *cum interveniente morte anima discessit a carne, inseparabilis in Christo utraque natura permansit, quia nec in inferno animam suam, nec in sepulcro carnem suam divinitas immensa deseruit.*

465. Ex Patribus græcis præsto sunt inter alios Athanasius, & Gregorius Nyssenus; quorum prior in Lib. I. *de Incarnatione D. N. J. C. contra Apollinarium* num. 12. Verbum ait habuisse carnem, *in qua passionem, & mortem sub humana forma susciperet, & usque ad sepulcrum, & infernum descenderet.* Et Lib. II. num. 14. Deitatem inquit, *neque corpus in sepulcro deseruisse, neque ab anima in inferis separatam*. Gregorius autem Nyssenus Lib. I. cont. Eunomium V. II. pag. 55. eam propositionem protulit, quæ postea a Theologis instar axiomatis adoptata fuit: *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.*

466. Aliorum autem græcorum Patrum doctrinam complexus est S. Joannes Damascenus Lib. III. *de fide orthod.* cap. 27., ubi *Quamvis*, inquit, *Christus ut homo morte obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit, divinitas tamen a neutro, hoc est nec ab anima, nec a corpore quoquo modo sejuncta est. Neque propterea persona una in duas divisa fuit. Siquidem & corpus, & anima simul ab initio in Verbi persona existentiam habuerunt; ac licet in morte divulsa sint, utrumque tamen eorum unam Verbi personam, qua subsisteret, semper habuit &c.* Et nimis in longum protraheretur probatio, si omnia hujus generis testimonia sanctorum Patrum producerentur (*b*).

467. Sed præstat audire etiam S. Thomam, qui laud. art. 2. ita solide ratiocinatur; „ Illud quod „ per

(*a*) Ut bene advertit Petavius L. XII. *De Incarn.* c. 19. in fine, hæc ratio a S. Augustino, aliisque Patribus allata, quod nempe divinitas non fuerit a carne, & anima sejuncta, quia Christus dicitur *passus, & mortuus, & sepultus*, latissime patet; *hoc enim & Symbolorum fidei conditores, & œcumenica Synodi, ceteriquæ omnes, & græci, latinique Patres universi profitentur.*

(*b*) Videri possunt alia S. Patrum testimonia usque ad XII. Sæculum diligenter collecta, ac multa eruditione illustrata a doctissimo P. Pio Venerni S. Theologiæ Dogmaticæ in Mutinensi Universitate Professore, necnon Serenias. Herculis III. Theologo a Consiliis, in *Analysi* cujusdam epistolæ P. Martini Natalis *De morte Jesu Christi, ejusque descensu ad inferos*, quam sub anagrammatico nomine Nervenii Nicomædani edidit Astæ Pompejæ anno 1781. in 8.

„ per gratiam Dei conceditur, nunquam absque „ culpa revocatur; unde dicitur Roman. XI. 29., „ quod *sine pœnitentia sunt dona Dei, & vocatio*. Multo autem major est gratia unionis, „ per quam divinitas unita est carni Christi in „ persona, quam gratia adoptionis, per quam a„ lii sanctificantur; & etiam magis permanens ex „ sui ratione, quia hæc gratia ordinatur ad unionem personalem, gratia autem adoptionis ad „ quamdam uniobem affectualem; & tamen vide„ mus, quod gratia adoptionis nunquam perditur „ sine culpa. Cum igitur in Christo nullum fue„ rit peccatum, impossibile fuit, quod solveretur „ unio divinitatis a carne ipsius. Et ideo sicut „ ante mortem caro Christi unita fuit secundum „ personam, & hypostasim Verbo Dei, ita & re„ mansit unita post mortem, ut scilicet non esset „ alia hypostasis Verbi Dei, & carnis Christi (*a*). "

468. Altera propositionis pars, scilicet divinitatem non fuisse in triduo mortis a Christi anima separatam, iisdem fere Scripturæ sacræ testimoniis evincitur, quæ ad primam propositionem probandam allata sunt; quibus addi possunt ea S. Patris verba in prima ep. c. III. 18. & seq. de Christo Jesu: *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit*. Christus igitur, idest Filius Dei unigenitus descendit ad inferos, utique secundum animam, quæ erat a corpore separata.

469. Hanc autem secundam propositionis partem etiam ex theologica ratione S. Thomas demonstrat laud. quæst. 50. art. 3. „ Anima, inquit, „ unita est Verbo Dei *immediatius*, *& per prius*, „ quam corpus; cum corpus unitum sit Verbo „ Dei mediante anima (ut supra dictum est quæst. 6. artic. 1.): cum ergo Verbum Dei non sit „ separatum in morte a corpore, multo minus „ separatum est ab anima. Unde sicut de Filio „ Dei prædicatur id, quod convenit corpori ab „ anima separato, scilicet *esse sepultum*; ita de „ eo in Symbolo dicitur, quod *descendit ad in„ feros*; quia anima ejus a corpore separata de„ scendit ad inferos. "

470. Hinc patet; merito in Catechismo Romano P. 1. cap. 5. num. 6. ita Symbolum Apostolorum expositum fuisse: „ Cum Jesum mortuum „ esse dicimus, id significamus, ejus animam a „ corpore divisam esse; neque tamen concedimus, „ divinitatem sejunctam a corpore; quin potius „ *constanter credimus, & confitemur*, anima „ ejus a corpore divisa, divinitatem tum corpori „ in sepulcro, tum animæ apud inferos conjunctam semper fuisse. " Quod repetitur n. 8.

471. Neque vero aliquis respondeat, Filium Dei dici *sepultum*, quia sepultum est illud corpus, quod olim erat a Filio Dei assumptum; quemodo dicitur *sepultus Pontifex*, aut Imperator, non alia de causa, nisi quia sepultum est cadaver illius, qui olim fuerat Pontifex, vel Imperator.

472. Non inquam, quia eodem prorsus sensu Deus in Symbolo dicitur *sepultus*, quo dicitur *conceptus* in utero Virginis, *natus*, *crucifixus*, *& passus*: atqui nullus negat, neque negare potest, priora verba vere, & proprie dici de Filio Dei propter unionem hypostaticam cum natura humana: pari ergo ratione &c.

473. Ob. primo Christi morientis verba Matth. XXVII. 46. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quæ verba a multis Patribus de separatione divinitatis a corpore, & anima explicata sunt.

474. Et quidem ex Græcis unus suppetit S. Epiphanius, qui Hæresi LXIX., quæ est Arianorum num. 62. „ Humana natura, inquit ... videns „ Divinitatem jam in procinctu quodam esse, ut „ Sanctum Corpus desereret ex ipsius hominis *Do„ minici* persona, hoc est humanæ naturæ a Ver„ bo susceptæ .... vox ad conjunctam divinitatem „ illa edita est, *Deus, Deus meus &c.* "

475. Secundo ex latinis S. Ambrosius Lib. X. in Lucam num. 127. aguoscit *evidentem manifestationem contestantis Dei secessionem divinitatis*, & *corporis* in iis Christi verbis: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* „ Clamavit homo, inquit Ambrosius, separatione „ divinitatis moriturus. Nam cum divinitas mor„ tis libera sit, utique mors esse non poterat, ni„ si vita discederet, quia vita divinitas est. "

476. Tertio S. Hilarius cap. 33. in Matth. n. 6. „ Clamor, inquit, ad Deum corporis vox est, „ recedentis a se Verbi Dei contestata dissidium. „ Denique cur reliquatur, exclamat, dicens: „ *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* "

477. Quarto Leporius Monachus in Libello suæ emendationis, quem S. Augustinus probavit epistol. 219. num. 13., ideo dicit, Christum in cruce clamasse *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* „ Ut vere, manifesteque Filius Dei se„ cundum carnem se ostenderet moriturum, & ve„ lut carnis ipsius voce utens, ponens præteritum „ pro futuro, quia per mortem crucis necessario „ terrenum corpus erat a Deo pro tempore relin„ quendum, non solum a Deo, verum etiam ab „ anima sua, quæ erat unita cum Deo, hoc ip„ sum, priusquam fieret, nobis moriens testa„ retur. " Et paulo post: Divinitas cum unita ai-

bi

(*a*) Quamquam hujus veritatis nulla extet expressa Ecclesiæ definitio, tanta nihilominus omnium Fidelium consensione tenetur, ut narrante Eminentissimo Card. Pallavicino Lib. XVII. *Hist. Conc. Trid.* c. 6., enm quidam Amandus de Brixia Theologus Episcopi Sebenicensis dixisset, Corpus Christi in triduo mortis fuisse a Divinitate separatum, tumultus Patrum illico fuerit excitatus, Theologus autem ille statim a suo errore resipuerit.

bi anima, non crucifixum hominem reliquit in pœnam, sed exanimem carnem reliquit ad tempus (a).

478. Denique Vitalis, & Constantius Episcopi Hispani in epist. ad Capreolum Carthaginensem Episcopum apud Sirmondum, postquam illorum confutasset errorem, qui dicebant, hominem purum pependisse in cruce, hæc addunt: „ Quibus par„ vitas nostra sic dicit: nunquam Deus recessit „ ab homine assumpto, nisi quando dixit de cru„ ce: *Heli, Heli lammasabactani, Deus, Deus* „ *meus, quare me dereliquisti (b)?* “

479. Resp. cum S. Thoma art. 2. ad 1. „ quod „ derelictio illa non est referenda ad solutionem „ unionis personalis, sed ad hoc, quod Deus Pater „ eum exposuit passioni: unde derelinquere ibi „ non est aliud, quam non protegere a persequen„ tibus. Vel dicit, se derelictum, quantum ad „ illam orationem: *Pater, si fieri potest, tran*„ *seat a me calix iste*, ut dicit Augustinus e„ pist. CXL., cap. 6. *In eo quippe derelinquitur* „ *deprecans, in quo non exauditur*. „ Similiter hunc locum explicarunt bene multi alii Patres, inter quos sufficiat laudare S. Leonem magnum, qui in Serm. XVII. de Passione, postquam dixisset, *in tantam unitatem Dei, & hominis naturam convenisse, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi*, subdit: „ Ideo ergo Jesus vo„ ce magna clamabat dicens: *Quare me derelii„ quisti?* Ut notum omnibus faceret, quam oportuerit, eum non erui, non defendi, sed sævientium manibus derelinqui. “

480. Atque hac eadem ratione explicari possunt, & debent objecta Sanctorum Patrum testimonia; scilicet non de dissolutione unionis hypostaticæ, sed de subtractione protectionis, ut Jesus Christus pati, & mori posset. Epiphanius quidem aliquanto obscurius loquitur, ejus tamen doctrina orthodoxa est (c). Etenim & ex ejus contextu, & ex aliis ejusdem S. Patris verbis liquido constat, nihil aliud voluisse exprimere, quam subtractionem divinæ protectionis a Christi humanitate, ut pati, & mori posset. Ibidem enim paulo antea dixerat, „ ex hominis persona, *atque humano mo*„ *re, & affectu* usurpatum hunc esse sermonem „ *Deus, Deus meus* &c. “: scilicet non quasi abesset divinitas, ut blasphemabant Ariani, quos ibi refellit, sed humano more, atque affectu ex humanitate orto; unde etiam ita concludit: *Restat igitur, ut ex humanæ naturæ persona, & affectu quodam humano dictum illud rideatur*.

481. Hanc nostram verborum Epiphanii interpretationem possumus ex similibus plane verbis S. Ambrosii illustrare, qui in Psalm. XLIII. n. 31. „ Illud, inquit, quod secundum hominem dictum „ est, & hominis affectum, huic sententiæ non „ repugnat, quia dixit Dominus: *Deus, Deus* „ *meus, respice in me, quare me dereliquisti?* „ Non quod derelictus sit Dominus, qui alibi ait: „ *Quoniam solus non sum, quia Pater mecum* „ *est;* sed quia *secundum carnem hominis, &* „ *affectum*, qui in certamine gravi est constitu„ tus, *derelictus videtur a Domino*. “

482. Verum orthodoxam S. Epiphanii mentem, & doctrinam facile possumus ex aliis ejusdem S. Patris locis colligere. Ille apertissimus est in *Anacephalæosi*, seu *Panarii Epitome* (d) num. 9., ubi de anima Christi ad inferos descendente, & de corpore in sepulcro jacente loquens. „ Quæ „ quidem anima, inquit, minime apud inferos „ relicta fuit, neque caro corruptionem vidit, „ quam Divinitas, *quæ cum illa conjuncta sem*„ *per*

(a) Ille Leporii libellus non solum fuit ab Augustino, aliisque Episcopis Africæ comprobatus, sed etiam a Romano Pontifice Leone Magno contra Nestorium allegatus. Et Cassianus Lib. I. *De Incarnat.* c. 4. hanc ejusdem Leporii Confessionem vocat *Catholicorum omnium fidem*.

(b) Doctissimus Petavius Lib. XII. *De Incarnat.* c. 19. hos quinque veteres Scriptores a se allegatos sine ulla explicatione deserit, qua possint cum communi Theologorum sententia eorum dicta conciliari; immo aperte asserit eamdem sententiam *non satis cum Ambrosii & aliorum verbis cohærere*. Doctissimus pariter Jo. Garnerius in Marium Mercatorem Dissert. II. *De Synodis in causa Pelagian.* pag. 230. postquam monuisset, caute legendum locum objectum ex libello Leporii, subdit, *quamquam nonnulli Patres & tres quidem magni nominis, relictum a divinitate corpus triduo * quo jacuit in sepulcro, opinati sunt, Epiphanius Har. XX., & LXIX., Hilarius c. 34. in Matth., Ambrosius in Tract. de Symbolo* c. 16. (Qui tamen Tractatus eruditorum opinione apocryphus est) Non pauci alii Theologi Scholastici putantes objecta eorumdem Patrum verba nulla posse ratione emolliri, ab iis debita reverentia discedendum esse scripserunt.

(c) Epiphanium *virum doctissimum* merito vocavit Facundus Hermian. Lib. VI. c. 2. Hieronymus quoque ipsum laudat *De Scriptor. Eccl.* c. 114.; qui etiam in *Apol.* I. adv. Ruffinum, eumdem ὀρθοδοξότατον appellat, quia Hebraicam, Syriacam, Ægyptiam, Græcam, & Latinam linguas callebat. Sed ejus stylum nec elegantem esse, nec semper clarum, testantur, quotquot in ejus lectione versati sunt. Photius certe Cod. CXXII. hoc de eo judicium tulit: *Infirmus in plurimum est in conflictibus adversus impias hæreses susceptis. Est autem, ubi fortiter aggreditur, atque irruit, quamvis neque verborum ipsius, neque constructionis proprietas ulla ex parte præstantior efficiatur*.

(d) Fuerunt quidam, qui hanc *Anacephalæosim* Epiphanio abjudicarent, quia in illa inveniitur Symbolum, in Concilio Constantinopolitano anno 381. post hanc Anacephalæosim confectum. Sed Rem. Ceillier Tom. VIII. p. 707. observat, ipsam Anacephalæosim nihil esse aliud, quam epistolam ad Paulum & Acacium, præmissam ipsius *Panario*, quod opus post *Ancoratum*, eorumdem Pauli, & Acacii precibus Sanctus Epiphanius eluenbravit, eas hæreses confutans, quarum in *Ancorato* solam mentionem fecerat. Quidquid vero sit, cum Epiphanius ad extremam senectutem pervenerit, & versus finem Sæc. IV. obierit, potuit suis operibus Symbolum illud addere.

„ *per erat*, excitavit. " Quæ verba nullo indigent nostro glossemate. Nec minus clara sunt, quæ idem S. Pater habet in *Ancorato* n. 51.: ubi allata similitudine Imperatoris, qui simul cum solio suo adoratur, ita dicit a nobis adorari unigenitum Filium Dei *cum corpore, hoc est increatum illum cum sanctissimo templo, quod sibi adveniens adjunxit*, utique unione hypostatica; & postea subjungit, *cum sepulto, excitatoque corpore Christum adorari*. Si adoratione dignus fuit Christus *cum sepulto corpore*, manifestum est, corpus non fuisse a divinitate sejunctum.

483. Dices. Idem S. Epiphanius Hæresi XX., quæ est *Herodianorum*, hæc de Christo habet (ex versione Petaviana): „ Tertio die cum sanctissimo suo corpore ad vitam excitatur. Quod „ quidem corpus neque dissolvendum amplius, „ nec passurum, nec sub mortis dominatum po„ stea cessurum *cum sua Divinitate conjunxit*." Porro qui dicit: corpus Christi fuisse in resurrectione *Divinitati conjunctum*, supponit, illud fuisse ab eadem Divinitate sejunctum.

484. Resp., illam conjunctionem cum divinitate, de qua loquitur Epiphanius, non esse unionem hypostaticam, sed novam quamdam unionem per majora, & uberiora dona corpori collata, ut *non amplius esset passionibus obnoxium, nec sub dominatu mortis*. Seipsum clare explicat in subsequentibus, ita pergens: „ Hoc igitur ipsum „ corpus, carnem ipsam, & animam, ipsa, qui„ bus constabat, omnia non aliud quidquam præ„ ter verum corpus, sed ipsummet illud vi cæle„ sti perfudit, *& in unum, idemque, in unam „ inquam Divinitatem consociavit*, ut carne con„ stans, & incorruptum, corporeum simul & spi„ rituale, concretum ac tenue, mortale pariter „ atque immortale illud esset." Haud equidem putaverim, adversarios hæc verba, quæ primis simillima sunt, de unione hypostatica intelligere; quasi scilicet etiam animam in unam Divinitatem consociaverit, cum plusquam certum sit in doctrina S. Epiphanii, divinitatem nunquam fuisse ab anima Christi separatam (*a*). Solum itaque indicare potuit S. Epiphanius in utroque loco novas illas præclarissimas dotes, quas Divinitas corpori, & animæ post resurrectionem a mortuis, & ascensionem in cælum communicavit. Et de Epiphanio hactenus, nunc de aliis.

485. S. Ambrosius eodem prorsus sensu accipit *secessionem*, vel *separationem*, scilicet pro subtractione protectionis, non pro solutione unionis hypostaticæ; quod aliis in locis diserte exponit. Nam in Psalm. CXVII. num. 19. expendens illa verba *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* „ Ille quidem, inquit, nunquam derelictus est a „ Patre .... sed secundum corpus, in quo est tra„ ditus passioni, vox ista processit .... Dereliquis„ se videtur, quia non pepercit, qui tradidit mor„ ti. Sed non penitus derelictus dicitur: *Quia „ non derelinques animam meam in inferno, „ nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*." En quænam sit illa secessio, separatio, & derelictio, de qua loquitur Ambrosius. Addi potest & illud fragmentum, quod legitur apud Theodoretum in Dialogo *Poliphormis*, & tertio Tomo operum ejusdem S. Ambrosii insertum est, ubi de Filio Dei sic loquitur: *Numquam post unionem ... vel a suo templo recedens, vel propter ineffabilem benignitatem recedere valens*. Vide etiam quæ supra num. 481. de eodem S. Doctore retulimus.

486. Dices. In laud. superius loco num. 475. hanc separationis divinitatis rationem addit: *Cum Divinitas mortis libera sit, utique mors esse non poterat, nisi vita discederet, quia vita Divinitas est*. Quam rationem allegat etiam in Tract. *de Symbolo Apost.*, seu *de Trinit. cap.* 13.

487. Resp. Si allatam rationem rigide accipiamus, S. Ambrosium, qui unus fuit ex illustrioribus Ecclesiæ latinæ Doctoribus, stultissimi juxta ac absurdissimi illius Arianorum erroris reum facimus (quem supra Dissert. II. cap. 2. explosimus) dicentium, divinitatem fuisse animam, & vitam Jesu Christi, ut nonnisi ea recedente mori posset. Debet ergo illa ratio accipi de subtractione protectionis divinitatis, nempe non potuisse Christum a Judæis occidi, nisi subtracta divinitatis protectione.

488. Tractatus autem *de Symbolo Apostolorum* non est genuinus S. Ambrosii fœtus; sed cum sit ex operibus ejusdem S. Doctoris confectus, potest ex ipso sensu, quo allatam rationem explicuimus, disertius exponi; ita enim subdit: „ Deus autem „ carnem humanam, animamque non deseruit *in„ vitus*; sed quia voluit, ubi voluit, quomodo „ voluit, & quando voluit, relinquens posuit eam.. „ *Nam qui potuit non mori, si noluisset, pro„ cul dubio quia voluit mortuus est*."

489. S. Hilarii vindicias adornavit cl. ejus Editor Maurinus Petrus Constantius in Præfat. §. 4., duplici utens responsione; scilicet S. Hilarium esse intelligendum de subtractione protectionis, non autem de dissolutione unionis; vel etiam de occultatione virtutis divinæ in illo triduo mortis, perinde ac si nulla amplius in eo esset Divinitas. Quidquid vero sit de hoc loco obscuro, in aliis locis S. Hilarius apertissime fatetur indissolubilem unionem hypostaticam Verbi cum humanitate. Sufficiant ea quæ habet Lib. III. *de Trinit.* num. 15. *Dei Filius*, inquit, *crucifigitur, sed in cruce hominis*

(a) In eodem loco Hæresi XX. paulo antea dixerat de Jesu Christo: *In cruce suspenditur, sepelitur, ad inferos cum Divinitate sua, animaque descendit*; & in Hæresi LXXIX. num. 68. *Neque Dei Verbum animam destituit, nec illius anima apud inferos est relicta*.

minis mortem Deus vincit, Christus Dei Filius moritur, sed omnis caro vivificatur in Christo: Dei Filius in inferis est, sed homo refertur ad cœlum.

490. Dices. Idem S. Hilarius in Ps. LV. num. 12. de Filio Dei ait: *Ipse huic emortuo, & intra sepulcrum relicto corpori divinæ naturæ suæ tribuit consortium:* nempe Divinitas corpus Christi resuscitatum in sui consortium iterum recepit.

491. Resp., hæc esse referenda ad gloriam, quam corpori Christi resuscitato Divinitas tribuit; quam antea in ignominia mortuo subtraxerat.

492. Ad quartum. Leporii explicandi curam non ita prideni suscepit elegantissimus Scriptor e Sodalitio Piarum Scholarum P. Liberatus Fassonius a S. Jo. Baptista (*a*). Qui primo scite observat, nullo modo credibile esse in hac Fidei professione, tam diligenter examinata, & tanto omnium consensu probata, hunc reperiri errorem, aliorum Patrum doctrinæ prorsus oppositum, eumque a nemine neque in Africa, neque in Gallia fuisse animadversum; præcipue autem ab Augustino, qui clarissime, & nitidissime indissolutam fuisse in triduo mortis hypostaticam unionem pluribus in locis professus est. Vid. sup. num. 463.

493. Secundo eadem insistit via ad explicandum Leporium, qua nos post Magistrum Sententiarum, Hugonem a S. Victore, & Præceptorem nostrum S. Thomam incessimus ad alios Patres explicandos, nempe necessisse divinitatem a Christi corpore subtractione protectionis, ut posset mori; non autem solutione unionis hypostaticæ; ita ut *carnem exanimem deserere* nihil sit aliud, quam permittere, ut caro sejungeretur ab anima. Id patet luculentissime ex verbis, quæ Leporius immediate subdit, dicens: *Et tam Christus Filius Dei tunc mortuus jacuit in sepulcro, quam idem Christus Filius Dei ad inferna descendit.* Quis autem, rogo, est Filius Dei, qui jacuit in sepulcro, & qui ad inferna descendit, nisi persona divina corpori, & animæ unita?

494. Restat demum explicandum testimonium Hispanorum Constantii, & Vitalis. Hi autem non tam asserendo, quam interrogando suos sensus Capreolo Carthaginensi exponunt, ab eo edoceri cupientes. „ Provoluti, inquiunt, genibus exora- „ mus humiles servi tui Sanctum Apostolatum ve- „ strum, ut informetis parvitatem nostram in his, „ quod rectum habet fides catholica, & detis ve- „ niam insipientiæ, vel imperitiæ nostræ, si quid „ per ignorantiam incedimus.“ Cum autem respondisset Capreolus, Divinitatem Jesu Christo, *nec in cruce, nec in morte, nec in sepulcro, nec in inferis defuisse*, eaque verba, *Deus, Deus meus* &c. sensu orthodoxo exposuisset, dubitandum non est, hos duos fideles Hispanos ab errore, si quem admiserant, resipuisse. (*b*).

495. Dices. Tertullianus in postremo libro contra Praxeam de Christo dicit: *Denique Spiritum suum posuit, & statim obiit; Spiritu enim manente in carne, caro omnino mori non potest: ita relinqui a Patre, mori fuit Filio.* Nomine autem *Spiritus* non potuit Africanus Doctor intelligere, nisi divinitatem, tum propter verba adjecta; tum etiam, quia putida esset battologia, *si animam* intellexisset; nemo enim ignorat, carnem sine anima non posse vivere.

496. Resp., Tertullianum a communi sententia de indissolubili nexu duarum naturarum non recessisse, ex pluribus ejus verbis ostendi posse. Et quidem in cap. 2. ejusdem libri dicit, *hunc Filium Dei passum, hunc mortuum, & sepultum, secundum Scripturas nos credere;* at vero ut recte monebat S. Leo in celebri epist. ad Flavianum cap. 5., *propter unitatem personæ... Filius Dei crucifixus dicitur, ac sepultus.* Sed etiam in

(*a*) In Dissert. Apologetica *De Leporii libello, atque ejus sententia super conjunctione Divinitatis cum corpore tridao mortis Christi*; ubi P. II. arbitratur viros præstantissimos Petavium *De Incarn.* Lib. XII. c. 19. Lud. Tomassinum *De Incarn.* Lib. IV. c. 9. num. 29., Nat. Alexandrum *Sæc.* IV. c. 6. art. num. 7., P. Constant. S. Hilarii editorem in Præf. §. 4., Tournelium, Serrium, alios de Leporii sententia tulisse judicium, *re non satis, at oportuit, animadversa; nec cognita.*

(*b*) Perperam hi duo Hispani a Tournelio *De Incarn.* Quæst. VII. art. 3., & post ipsum a P. Matt. Natali in epist. I. *De morte Jesu Christi, ejusque descensu ad inferos* pag. 12., *Episcopi* appellantur; ut enim ostendit supra laud. P. Fassonius *de Libello Leporii* P. II. not. ad n. 16. nusquam hoc insigni titulo decorati inveniuntur.

P. Hyacinthus Serry in *Præologo galeato* ad Opera Melch. Cani c. 8. aliam explicandorum Patrum, qui objecti sunt, viam indicat ex doctrina ejusdem Theologi sapientissimi in Lib. XII. *De Inc. Theolog.* ad finem cap. 13., quod *sicut per totam vitam Dominus gloria animam quasi premebat, ne in corpus effluret; sic saltem in cruce retinuit gaudium, quod suapte natura ex clara Dei notitia prodierit.* Ex hac autem doctrina, quam ab injustis quorumdam censuris vindicat Serius, haud improbabiliter colligitur, Sanctos Patres, qui Divinitatem a Christo moriente recessisse asserunt, nomine hujus recessionis, ac separationis non intellexisse, nisi illam retentionem gaudii, quod ex visione Dei promanare debebat. Et quamquam explicationem Magistri sententiarum a nobis datam minime contemnendam dicat, censet tamen, solutionem ex doctrina Cani petitam opportuniorem videri posse. „ Nam „ priori modo, subdit, exposita separatio Divinitatis, „ de qua laudati Patres, non ad mortis tantum ago- „ nem referenda foret, sed ad totum mortalis vitæ „ tempus, quo certe Divinitas separata est foris, ne „ non adesset ad defensionem.“ Ita Serrius; cui tamen facile responderi potest, Christum ante passionem, & crucem, etsi fuisset doloribus, ac passionibus obnoxius, non tamen dici potuisse a Divinitatis protectione desertum, quia eodem tempore stupenda edebat miracula; secus a tempore passionis, & mortis, quo humanitas quasi sibi ipsi soli relicta videri poterat.

in eodem ipsissimo loco sic mentem suam aperit, explicans illa verba *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* „ Hæc vox, inquit, carnis, & „ animæ, idest hominis ..... propteréa emissa est, „ ut impassibilem Deum ostenderet, *qui sic fi-* „ *lium dereliquit, dum hominem ejus tradidit in* „ *mortem ... Sic relinquit, dum non parcit; sic* „ *relinquit, dum tradit.*“ En Tertulliano sui ipsius, immo & aliorum interprete, nihil aliud esse Christum a Patre *derelinqui*, quam non adjuvari, sed trædi ad mortem.

497. Dices iterum. S. Athanasius allatus a Magistro Sententiarum in III. dist. 21. §. 2. „ *ma-* „ *ledictum* dicit, qui totum hominem, quem as- „ sumpsit Dei Filius, *denuo assumptum, vel li-* „ *beratum*, tertia die a mortuis resurrexisse non „ confitetur. “ Non potuit autem totus homo, scilicet corpus, & anima, *denuo assumi*, nisi aliquando fuisset a divinitate separatus.

498. Resp., primo hæc verba apud Athanasium non inveniri; unde suspicio est, Petrum Lombardum fuisse a vitiato aliquo Codice deceptum. Deinde, etiamsi S. Athanasii essent, ita intelligi debere, ut maledictio super illos cadat, qui imprudenter negarent, totum, & integrum hominem fuisse iterum assumptum per iteratam unionem animæ, & corporis. Ita hæc verba exponit S. Thomas art. 3. ad 2.

499. Obj. secundo. Christus Joan. X. 18. inquit: *Nemo tollit animam meam a me; sed ego pono eam, & iterum sumo eam.* Jam vero hæc non possunt intelligi, nisi de persona divina, quæ ponat pro sua voluntate, & sumat animam. Non enim intelligi possunt de ipsa anima, quod ponat seipsam; nec de carne, quæ est inferior animæ: ergo intelligi debent de Verbo divino, quod ponat, & sumat animam, eam dimittendo & resumendo, adeoque &c.

500. Resp. cum S. Augustino Tract. XLVII. in Joan., quod caro Christi posuit animam in morte, eamdemque in resurrectione resumpsit, non tamen potestate sua propria, sed ex potestate Verbi, cui semper conjuncta fuit. Aliquanto prolixior est locus S. Patris; quamobrem ex eo pauca tantum delibabimus. Primo enim non putat esse dicendum, *quod Verbum Dei posuit animam suam, & iterum sumpsit eam; ne nobis dicatur, ergo aliquando anima illa separata est a Verbo;* quod falsum esse pronunciat. Post autem adducit exemplum hominum, qui etiam dicuntur potestatem habere ponendi animam suam, quomodo Martyres eam posuerunt pro Christo, & quomodo Petrus dicebat Domino: *Animam meam pro te ponam;* licet homines potestatem non habeant iterum sumendi eam. Sic ergo Christus animam posuit, eamdemque resumpsit, moriendo, & resurgendo. Tertio obviam difficultatem movet, an Christus possit dici caro? Respondet autem: *Et caro Christus, & anima Christus, & Verbum Christus; nec tamen tria hæc tres Christi, sed unus Christus.* Quod ut intelligatur, vel *saltem credatur*, iterum humanum ponit exemplum. Si enim quæratur; ubi est Paulus Apostolus modo? Et quis respondeat: *in requie cum Christo: verum dicit.* Si alius respondeat: *Romæ in sepulcro: & ipse verum dicit;* quia primus de anima, alter de carne respondet, *nec tamen duos dicimus Apostolos Paulos.* His autem declaratis ita demum concludit: „ Nemo ergo titubet, quan- „ do audit, Dominum dixisse, *Pono animam* „ *meam, & iterum sumo eam.* Ponit eam ca- „ ro, sed ex potestate Verbi: sumit eam caro, „ sed ex potestate Verbi. Et ipse Dominus dictus „ est sola caro .... Aude dicere, *& sola caro* „ *Christi dictus est Christus:* “ quod probat ex Symbolo, quo profitemur credere in Jesum Christum *crucifixum, & sepultum.*

501. Obj. tertio. Ad Coloss. III. 15. ubi in nostris Bibliis legitur *Expolians principatus*, antiqui legerunt *expolians se carne.* Ita Paraphrastes Syrus, inquiens: *Et per expollationem corporis sui diffamavit principatus.* Ita etiam S. Ambrosius Lib. III. *de fide* cap. 2. *exuens se carne;* tum S. Hilarius Lib. IX. *de Trinitate* legit *exutus carne*, & iterum *se carne spolians.* Ita demum S. Augustinus in epist. CXLIX. num. 26. legit *exuens se carne, principatus, & potestates exemplavit.* Quam lectionem nonnullis aliis in locis retinuit. Verbum itaque divinum se a carne sejunxit.

502. Resp., omnino servandam esse lectionem nostri vulgati interpretis, tum quia accurate respondet textui græco ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς *Expolians principatus:* tum etiam quia rectius fluit S. Pauli sensus: Expolians *principatus*, & *potestates*, nempe Dæmones, illo imperio, quod exercebant in homines sibi captivos. Sed retenta etiam lectione aliquorum veterum, non sequitur, Verbum exuisse humanam carnem, quam assumpserat, sed Christum exuisse carnem hoc sensu, quatenus eam ab anima moriendo sejunxit (quemadmodum a nobis supra explicatum est), & morte sua de inferno triumphavit.

503. Obj. quarto. Filius Dei dicitur vere homo, quia assumpsit naturam humanam, quæ constat ex anima & corpore, simul substantialiter conjunctis: si ergo soluta hac unione Verbum remansisset adhuc hypostatice unitum tam animæ, quam corpori, dici potuisse *Filius Dei est anima*, & *Filius Dei est corpus.* Hoc autem est falsum: ergo &c.

504. Respondet S. Thomas ad 3. „ Verbum „ Dei propter unionem humanæ naturæ non di- „ citur *humana natura*, sed dicitur *homo*, quod „ est habens humanam naturam. Anima autem „ & corpus sunt partes essentiales humanæ natu- „ ræ; unde propter unionem Verbi ad utrumque „ eorum, non sequitur, quod Verbum Dei sit a- „ nima, vel corpus; sed quod sit habens animam, „ vel corpus. “

505. Inst. Anima & corpus ab invicem separata, & divino Verbo unita, non efficient unam hypostasim, sed duas; quod dici nequit.

506. Respondet S. Joannes Damascenus Lib. III. *de fide orthod.* cap. 27., non fuisse unam Verbi personam in duas divisam. „ Siquidem & corpus, „ & anima simul ab initio in Verbi persona e„ xistentiam habuerunt, ac licet in morte divisa „ sint, utrumque tamen eorum unam Verbi per„ sonam, qua subsisteret, semper habuit ... Ta„ metsi autem quoad locum anima a corpore se„ juncta erat, hypostatice nihilominus per Ver„ bum uniebatur.“

507. Inst. secundo. Remoto medio separantur extrema; sed divinitas unita est carni mediante anima: ergo in morte cum anima Christi fuerit a carne sejuncta, etiam divinitas ab eadem carne sejungi debuit. Minor multis Sanctorum Patrum testimoniis probatur a Dion. Petavio Libro IV. *de Incarn.* cap. 13., & a Laud. Thomassino Lib. IV. *de Incarn.* cap. 9., qui n. 18. hæc fideuter scribere non dubitavit: „ Non potuit cohærere „ carni Verbum, nisi media mente *ex omnium Ecclesiæ Patrum adstipulatione*.“

508. Respondet S. Thomas art. 2. ad 2. „ quod „ Verbum Dei dicitur unitum carni mediante a„ nima, inquantum caro per animam pertinet ad „ humanam naturam, quam Filius Dei assumere „ attendebat; non autem ita quod anima sit qua„ si medium ligans unita. Habet autem caro ab „ anima, quod pertineat ad humanam naturam, „ etiam postquam anima separata est, inquantum „ scilicet in carne mortua remanet ex divina or„ dinatione quidam ordo ad resurrectionem. Et „ ideo non tollitur unio divinitatis ad carnem.“

509. Item quæst. 7. art. 1. de ordine assumptionis humanæ naturæ agens, data opera inquirit, *utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima?* Respondet autem: „ Si attendamus gra„ dum dignitatis, anima media invenitur inter „ Deum, & carnem; & secundum hoc potest di„ ci, quod Filius Dei univit sibi carnem *me„ diante anima*. Sed & secundum ordinem cau„ salitatis ipsa anima est aliqualiter causa carnis „ uniendæ Filio Dei. Non enim esset assumpti„ bilis, nisi per ordinem, quem habet, *quod sit caro humana*.“ Ita Angelicus, Estius tamen in Lib. III. *Sent.* Dist. 2. §. 6. in fine non dubitavit asserere, solum naturæ, vel dignitatis ordinem hic esse intelligendum, ut ita per animam *veluti mediam* caro hypostaticæ unionis capacior efficeretur.

510. Quantum vero attinet ad illos Patres, qui asserunt, carnem fuisse assumptam *mediante anima*, possunt facile explicari ex doctrina ejusdem Angelici ibidem ad 3. „ quod nihil prohibet, a„ liquid esse causam alicujus quantum ad aptitu„ dinem, & congruitatem; quo tamen remoto, „ illud non tollitur; quia etsi fieri alicujus de„ pendet ex aliquo, postquam tamen est in facto „ esse, ab eo non dependet .... Et similiter sepa„ rata anima remanet unio Verbi ad carnem.“ Certe ii ipsi Patres, qui carnem mediante anima Verbo unitam fuisse dixerunt, constanter, & firmissime crediderunt, ea etiam recedente indissolutam mansisse hypostaticam unionem. Non itaque crediderunt, animam esse necessarium hujus unionis vinculum (a).

511. Inst. tertio. Major est vis Verbi Divini ad corpus vivificandum, quam animæ: ergo corpus Christi mori non poterat, quando unio Verbo manebat unitum.

512. Resp. cum Angelico ibid. art. 2. ad 3., animam habere vim corpus vivificandi *formaliter*, cum sit ejus forma, & ideo ea præsente, & unita corpus mori non potest. Divinitas autem non habet vim vivificandi *formaliter*, sed *effective*: non enim potest esse corporis forma: & ideo non est necesse, ut manente unione divinitatis ad carnem, caro sit viva; quia Deus non ex necessitate agit, sed ex voluntate.

Quæres, utrum Christus in triduo mortis fuerit homo?

513. Respondet S. Thomas art. 3., esse articulum fidei, quod Christus fuerit mortuus; pertinet autem ad veritatem mortis hominis, quod per mortem desinat esse homo; mors enim provenit ex separatione animæ, quæ complet rationem hominis: *& ideo dicere, Christum in triduo mortis hominem fuisse simpliciter, & absolute loquendo, erroneum est*. Potest tamen dici, quod Christus in triduo fuit *homo mortuus*: homo autem mortuus non est *homo*, nisi æquivoce. Unde Themistius Lib. II. de anima: *Socrates*, inquit, *mortuus post cicutæ haustum, non est homo, nisi æquivoce*.

514. Prosequitur autem ibidem Angelicus, & duas opiniones confutat Hugonis de S. Victore, & Petri Lombardi Magistri Sententiarum. Quorum prior in Lib. II. *de Sacramentis fidei* Part. I. cap. 7. ex Platonicis principiis ea ratione docebat, Christum in triduo mortis fuisse hominem, quia anima est homo. *Nam si homo*, inquit, *rationalis substantia esse dicitur, non propter totum dicitur, sed propter animam solam, quæ proprie rationalis substantia dicitur*. Quæ tamen ratio contra bonæ Philosophiæ principia peccat, quæ docet, animam esse quidem hominis præcipuam partem, non autem totum hominem constituere.

515. Magister autem Sententiarum Lib. III. Dist. 22. alia ratione posuit, Christum in triduo mortis

(a) Vid. de hac difficultate laudatus supra Pius Veneroni in epist. II. suæ *Analysis*, ubi eam copiosa eruditione dissolvit.

tis fuisse hominem, quia credebat, unionem animæ & corporis non esse necessariam, ut Christus esset homo, sed sufficere, ut animam, & corpus haberet sive conjuncta, sive disjuncta. Cum autem urgeretur, an Christus mortuus dici deberet mortalis, an vero immortalis; respondebat, nec mortalem fuisse, nec immortalem; vere tamen fuisse hominem; *atque hujusmodi argutias in creaturis locum habere, sed fidei Sacramentum a philosophicis argumentis esse liberum.* De his videri potest post Sanctum Thomam Dion. Petavius Lib. XII. de *Incarnat.* cap. postremo.

PROPOSITIO III.

Divinitas non fuit separata a Sanguine Jesu Christi in passione fuso.

516. Prob. primo, quia in sacris litteris nostra redemptio tribuitur speciali quadam ratione pretioso Christi Sanguini. Matth. XXVI. 28. dicebat ipse Christus: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Paulus Apostolus ad Hebr. IX. 13. seq. *Si enim*, ait, *sanguis hircorum, & taurorum ... inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis Sanguis Christi ... emundabit conscientiam nostram?* Et Sanctus Petrus in prima epist. cap. I. 28. *Scientes*, inquit, *quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis ... sed pretioso Sanguine, quasi agni immaculati Christi, & inconsumpti.* Ita Sanctus Joannes in epist. cap. I. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Ac denique tota Ecclesia ita Jesum Christum orat: *Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.* Jam vero cum nostra redemptio sit repetenda ab infinita illa virtute, & efficacia, quæ ex unione hypostatica in operationes Jesu Christi promanabat, non posset hæc ipsa redemptio Sanguini Jesu Christi tribui, nisi ipse fuisset divinitati hypostatice unitus. Quod si erat unitus ante effusionem, & in ipsa effusione, non apparet, cur post effusionem debuerit separari, & iterum resumi.

517. Sancti Patres, quamvis de hac re aperte & manifeste locuti non sint, quia nulla iis sese obtulit de ea disserendi occasio, cum tamen sæpe commendaverint arctissimum illud, & indissolubile vinculum, quo tota natura humana divinæ personæ conjuncta est, & numquam ab ea sejuncta, consequenter etiam docuisse videntur, sanguinem quoque, sive quo natura humana consistere nequit, fuisse hypostatica unione a divino Verbo inseparabiliter assumptum, & numquam dimissum.

518. Accedit denique auctoritas Apostolicæ Romanæ Sedis. Nam Clemens VI. Pontifex Maximus in sua Extravaganti *Unigenitus* de Christo sic loquitur: *In ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficisset, sed velut quoddam profluvium noscitur effudisse.* Qui etiam Concionatorem Hispanum coegit ad ea revocanda, quæ contra nostram sententiam publice pronunciaverat, ut supra in not. ad n. 456. ex Nicolao Eymerico inseruimus.

519. Objectio præcipua contra hanc nostram sententiam ex eo petitur, quod Sanguis non videatur pertinere ad integritatem humanæ naturæ, quemadmodum pertinent *caro*, *ossa*, & corporis membra, sed potius ad nutritionem; unde Aristoteles Lib. III. de *Hist. Animalium* cap. 10. eum vocat *ultimum viventis alimentum*. Accedit, quod proprie sanguis non est corpori *continuus*, sed potius *contiguus*; fluit enim, & refluit in venis, arteriisque contentus, atque a carne distinctus. Demum sanguis nullo sensu præditus est; quo tamen sensu non careant partes corporis animatæ: non ergo fuit Sanguis a divino Verbo assumptus.

520. Resp., quæstionem proprie non esse, an Sanguis fuerit simul cum aliis naturæ humanæ partibus a Verbo assumptus; hoc enim tanquam indubitatum supponitur. Sed controversia exorta tantummodo est, an fuerit tunc a Divinitate sejunctus, quando separatus a corpore, in terra, vel in ligne crucis effusus jacebat.

521. Verumtamen certissimum esse debet, sanguinem ad naturæ humanæ integritatem pertinere, utpote quia homo sine sanguine vivere nequit; quamvis aliqua ejus pars in nutritionem corporis convertatur. Hinc certissimum etiam est, Sanguinem in passione fusum fuisse a Jesu Christo in resurrectione resumptum, atque in ejus glorioso Corpore. *Totus sanguis*, inquit Sanctus Thomas 3. P. qu. 54. art. 2. ad 3., *qui de Corpore Christi fluxit*, cum ad veritatem humanæ naturæ pertineat, *in Corpore Christi resurrexit*. Nemo autem dixerit, illum Sanguinem ad Corporis nutrimentum fuisse assumptum: ergo ad ejusdem Corporis integritatem duntaxat resumi potuit (a). Hinc etiam Sacrosancta Tridentina Synodus Sess. XIII.

(a) Haud clam me est, quanta sit eruditorum hac de re, imo & ile recta S. Thomæ intelligentia dissensio. Quidam, ut apparentes quasdam antilogias tollant, ea seponi volunt, quæ in *Lib. Sentent.*, & *Quodlibetis* ex aliorum potius, quam ex propria mente disputavit: & uni *Theologicæ* ejus *Summæ* inhærendum. Card. Cajetanus in Comment. in 3. P. qu. 54. art. 2. omnia facile conciliari putat, duplicem in homine distinguendo sanguinis speciem. Alium enim vult esse vitalem, & substantialem, sine quo vita hominis consistere nequit; & hunc partem esse integralem naturæ humanæ non dubitat; quem proinde a Verbo Divino unione hypostatica assumptum, ut assumptæ ab eo fuerunt ceteræ partes integrales, certissimum est. Alium vero dicit esse sanguinem *alimentarium*, qui nempe in partium omnium nutrimentum cedit; & hunc ad partes

XIII. c. 3. postquam definivit, *statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis, & vini specie, una cum ipsius anima, & divinitate existere; sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub vini specie ex vi verborum*, subdit: *ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque*, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini ... inter se copulantur. Existimavit ergo Sacrosancta Synodus, Sanguinem esse *partem* naturæ humanæ Christi, quæ profecto pars erat, sicut aliæ, Verbo hypostatice unita (*a*).

522. Nihil autem officit, quod Sanguis non sit continua serie carni copulatus, sed ab ea distinctus per venas, & arterias fluat, & refluat; neque enim hæc unio *continua* exigitur, ut Sanguis inter partes naturæ humanæ numeretur; nam etiam ossa carni tantummodo contigua, & conglutinata sunt; quæ tamen sine dubio ad physicam hominis integritatem pertinent.

523. Sic etiam ossa sensu prædita non sunt, ut communis est Physicorum opinio, ab ipso Aristotele ducta; quamquam nemo dubitet, eadem ad corporis humani integritatem esse necessaria. Et hæc sufficiant de hac quæstione, quæ modo non admodum necessaria videtur; postquam enim Christus resurgendo totum suum Sanguinem resumpsit, nemini dubium est, eumdem, utpote divinitati hypostatice unitum, esse cultu latriæ adorandum; ut revera a piis fidelibus in calice consecrato adoratur.

Quæres, an aliquæ particulæ pretiosi Sanguinis Christi remanserint in terris?

524. Innocentius III. in Lib. *de Mysteriis Missæ* c. 30. totum Sanguinem a Jesu Christo in resurrectionem fuisse resumptum docet. Quam sententiam adoptavit S. Thomas 3. P. qu. 54. art. 2. ad 3. dicens: *Totus Sanguis, qui de Corpore Christi fluxit, cum ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in Corpore Christi resurrexit*; & post S. Thomam idem communiter fere asserunt Theologi Scholastici. Eamdem tamen sententiam plerique sic limitant, ut minime inficientur, aliquas guttulas relictas fuisse ad Fidelium devotionem excitandam, & fovendam. Ita inter ceteros Card. Cajetanus in comment. ad locum cit., Barthol. Medina in eumdem locum, Sylvester de Perierio Tract. III. *Quæst. Evangelic.* quæst. 32. & alii.

525. Reipsa multæ hujusmodi Sanguinis Reliquiæ magna populorum devotione adoratæ memorantur, ut in iis spinis, quæ Parisiis in Regio Sacello, aliisque in locis sacro conspersæ cruore visuntur, tum potissimum in sacra Syndone, qua Christi Corpus involutum, & sepultum fuit, & Taurini, tum etiam Treviris ostenditur. Item aliquæ sanguinis guttæ in quibusdam ampullis a B. Maria Virgine, a Sanct. Joanne Evangelista, atque a S. Maria Magdalena pie collectæ, & conservatæ creduntur; ut ampulla illa celebris, quam Patres Dominicani ad Sanct. Maximum in Provincia, ut cœlestem thesaurum a S. Maria Magdalena allatum magna religione custodiunt; de quo thesauro legi meretur Sylvester Prierius in *Aurea Rosa* Quæst. 31. tract. 3.; ac denique, ut de ceteris sileam, omnium celeberrimus est ille Sanguis, qui Mantuæ in templo Sancti Andreæ multis prodigiis claret; & cujus veritatem multi Pontifices confirmarunt; quique dicitur ab ipsa B. Virgine Maria, una cum S. Joanne Evangelista ex cruce desumptus. Sed de his, ac de tota hac quæstione legendus Franc. Collius Collegii Ambrosiani Doctor in copiosissimo opere inscripto *de Sanguine Christi* Mediol. anno 1617. in quo nihil eorum, quæ ad hanc materiam spectare possunt, auctor eruditus desiderandum reliquit. Videri etiam potest Leon. Matthæi Utinensis Tract. *de Sanguine Christi in triduo mortis* Venetiis 1617. in 4.

CAPUT V.

De Communicatione Idiomatum.

526. Ex iis, quæ hactenus fusiori calamo ut gravitas rei postulabat, de unione hypostatica duarum naturarum in Christo, tam contra Nestorii, quam contra Eutychetis nefarias hæreses disputavimus, necessario fluit catholicæ Ecclesiæ doctrina de communicatione idiomatum scitu perneccessaria; de qua agit S. Thomas 3. quæst. 16.

527. Est autem hæc communicatio idiomatum *mutua prædicatio proprietatum* (hoc enim significat græca vox *ἰδίωμα*) *unius naturæ de alia in concreto, non autem in abstracto*; ut nempe de

---

corporis integrales non pertinere; adeoque nec privilegio unionis hypostaticæ gaudere. Contra Barthol. Medina, nobilis S. Thomæ Commentator, ad 3. P. 5. omnem sanguinem, veram, animatamque Corporis Christi partem fuisse arbitratur: quamquam successive mutetur, aliquibus partibus in nutrimentum corporis cedentibus, & aliis continue generatis; quemadmodum & caro hominis mutatur, quibusdam ejus partibus consumptis, aliis autem successive generatis. De Sanguinis etiam animatione disputatum fuit, quam inficiatur Jo. Capreolus in IV. *Sentent.* Dist. 10. qu. 2. art. 3. Nobis necesse non est, in has difficiles Philosophiæ controversias ingredi. Satis enim est, illum Sanguinem sacratissimum, quem Salvator noster in sua passione pro nobis effudit, & quem postea in sua gloriosa resurrectione resumpsit, partem ejusdem corporis integralem fuisse: neque enim eum resumpsisset, nisi ad ejus corporis integritatem pertimuisset.

(*a*) Qui contrariam sententiam defendunt, asserere coguntur, si in triduo mortis Christi Sacrificium Missæ celebrari contigisset, quod *Verbum Divinum non fuisset in illo sanguine consecrato*. Ita Alph. Tostatus Episcopus Abulensis Parad. II. cap. 40.

de concreto naturæ divinæ prædicetur idioma humanum, & vicissim de concreto naturæ humanæ idioma divinum. Unde dici potest in concreto: *Deus est homo.* (prout tamen hoc nomen *Deus* significat secundam divinæ Trinitatis Personam), & *homo est Deus*; non tamen dici potest in abstracto, *Divinitas est humanitas*; ut e converso, *humanitas est divinitas*. Cujus hæc ratio est, quod nomina concreta propriæ significant suppositum, sive personam; unde cum dicimus *Deus est homo*, idem est ac si dicamus: *Illa persona, quæ subsistit in natura divina, subsistit etiam in natura humana*, quod est verissimum. Contra vero nomina abstracta significant formam, seu naturam; unde si quis diceret: *Deitas est humanitas*, significaret, *naturam divinam esse naturam humanam*; quod est falsum, & absurdum (*a*).

528. Hanc idiomatum communicationem prorsus negarunt Nestoriani, qui ut S. Thomas bene advertit art. 4. „ voces, quæ dicuntur de Christo, dividere volebant hoc modo, ut ea, quæ „ pertinent ad humanam naturam, non dicerentur de Deo, nec quæ pertinent ad divinam naturam, dicerentur de homine". Unde Nestorius dixit: *Si quis Dei Verbo tentat passiones tribuere, anathema sit* ... Catholici vero posuerunt, hujusmodi, quæ dicuntur de Christo, sive secundum naturam divinam sive secundum humanam, dici posse tam de Deo, quam de homine. Unde Cyrillus dicit in Epist. ad Nestorium: *Si quis duabus personis, sive hypostasibus eas, quæ in Evangelicis, & Apostolicis conscriptionibus sunt, dividit voces, vel ea, quæ de Christo, a Sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de semetipso; & aliquas quidem ex his homini applicandas crediderit, aliquas vero soli Verbo deputaverit, anathema sit* " (*b*).

529. Eutychiani contra, cum in oppositum errorem incidissent, unicam tantummodo in Christo naturam admittentes ex duabus permixtam, & confusam, hanc communicationem idiomatum tam *in concreto*, quam in *abstracto* admittere cogebantur. Quamobrem non solum dicendum esse putabant: *Deus natus, passus, & mortuus est*; sed etiam *divinitas nata, passa, & mortua est*.

530. In hunc tam crassum errorem lapsus est Lutherus, docens, non solum idiomatum in concreto, sed etiam in abstracto factam esse communicationem; ita ut quædam attributa, quæ soli naturæ divinæ conveniunt, fuerint etiam naturæ humanæ communicata, atque inter alia *ubiquitatem*, seu ut magis amant, *omnipræsentiam*. Ita hic Hæresiarcha aperte tradidit *Sermone*, seu *Confessione in Cœna Domini*. Quem postea errorem inultis argumentis defendere nisus est Jo. Brentius, aliique rigidiores Lutheri asseclæ, contendentes totum fundamentum communicationis idiomatum in concreto esse *communicationem naturarum in abstracto*. Immo in ipsa celebri apud eos *Concordiæ formula* anno 1580. ad tollenda multa, & magna dissidia, quæ in Secta Lutherana ex ipsius ejusdem sectæ principiis necessario oriri debebant, & reipsa exorta sunt, incredibili studio, & labore (quem inutilem fuisse infelix ejusdem Concordiæ exitus demonstravit) confecta; fuit in Art. VIII. hic idem error insertus (*c*).

531. Verum ut erronea hæc sententia aliquo-

(*a*) Aliqui majoris perspicinitatis gratia hanc communicationem dividunt in *verbalem*, ac *realem*. Prima est ait per tropum: ut cum Christus Herodem vocavit *vulpem*. Luc. XIII. 32., aut per honorem, ut cum uxor mariti timlis honoratur. *Realis* est primo inter substantiam, & substantiam, ut in ferro ignito; secundo inter substantiam, & accidens, ut in aqua calida; tertio inter accidens & accidens, ut in Philosopho Musico. In ordine etiam supernaturali alia est communicatio substantialis, ut inter personas Trinitatis, quarum una est natura; alia personalis, ut in Christo Jesu; alia denique accidentalis, ut in justis, qui Deo per gratiam sanctificantem uniuntur, & vocantur *Filii Dei*.

(*b*) Si credimus Luthero, Zwinglius hanc idiomatum communicationem non minus negavit, quam Nestorius, loco ipsius suam. ἀλλοίωτν *diversitatem*, de qua ita Martinus loquitur. (Zwinglium vocans Cinglium) in majori sua *de cœna Domini Confessione* Tom. II. Oper. edit. Witterberg. „ Hoc Cinglius vocat *alloeosin*, „ cum aliquid de Divinitate Christi dicitur, quod tamen humanitatis proprium est; & contra: verbi gratia, ubi in Scriptura dicitur: *Omne hoc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*: ibi nugatur Cinglius, quod vocabulum *Christus* hoc loco pro humana natura sumatur. Cave tibi, cave inquam tibi ab isto *alloeosi*. " Sed? solemne erat Lutheranis notam Nestorianismi tribuere Zwinglianis, & Calvinianis, qui vicissim par pari reddentes Lutheri doctrinam non immerito Eutychianismi accusabant, ut postea videbimus.

(*c*) Hujus controversiæ prima origo reperitur ab Andrea Bodestein, seu *Carlostadio*, qui dum Lutherus in arce Wartenbergensi lateret, ipsius doctrinam palam impugnare cœpit; sed eo rursus comparente diris persecutionibus vexatus, atque exulare a Saxonia coactus, ad Ulricum Zwinglium in Helvetia se recepit, unaque simul Lutheranorum sententiam de Omnipræsentia humanitatis Christi, qua voce, qua scriptis impugnavit, atque de hoc doctrinæ capite non minus, quam de alia præsertim realis Corporis Christi in Eucharistia acerrima inter Zwinglianos, ac Lutheranos controversia excitata est, quæ adhuc inter eos viget, ut viget omnes alias controversiæ bene multæ, nipote quæ sine vivo, & infallibili Judice, quem obstinate admittere nolunt, finiri nequeunt. Pro Lutheri sententia tuenda innumeri Protestantes infeliciter desudarunt, præcipue autem duo Theologi Witembergici, Jo. Brentius edito opere, quod maxime a Lutheranis celebratur, *De personali unione duarum naturarum in Christo*, &c. Tubingæ 1561. & Jac. Andreæ pluribus libris, quos Pasfius recenset. in *Instruct. in Hist. theol. litt.* Part. II. pag. 414. seq. Ad lites fopiendas, quæ non parum Protestantium factioni oberat, institutum fuit colloquium Maulbronnense coram Friderico III. Electore Saxonico, & Christophoro Duce Wirtembergico,

modo probabilis redderetur, multis opus fuit uti argutiis, ac subtilitatibus. Primo enim aliqui tria distinxerunt communicationis idiomatum genera, quorum primum est illud quod apud Sanctos Patres, omnesque Theologos semper obtinuit, nempe communicatio reciproca *proprietatum* utrinsque naturæ. Alterum genus vocarunt communionem *ἀγχιστείας*, seu *dignitatum*, qua volunt naturæ humanæ Christi fuisse communicatam ipsam Dei majestatem, ut attributa, quæ vocant *ἐνεργητικὰ*, *activa*, nempe *omnipotentiam*, *omniscientiam*, *& omnipræsentiam*. Tertia idiomata naturæ humanæ communicata appellant *ἀποτελέσματα*, seu *efficientia*; quatenus una natura agit cum communicatione alterius. Et cum hæc duo postrema nomina essent Theologis prorsus inusitata, multum laboravit Chemnitius in *Lib. de duabus naturis in Christo* cap. 12., ut ostenderet, sin minus nomina, saltem res ipsas nec Sanctis Patribus, nec veteribus Theologis fuisse ignotas.

532. Sed multo magis laboravunt, ut notam Eutychianismi a se amolirentur, quam non solum Catholici, sed etiam Calviniani, & Zwingliani ipsis merito appingebant, quod scilicet duarum naturarum permixtionem, ac confusionem in una Christi persona inducerent. Suos ad hoc conatus maxime contulit Joan. Schroederus in multis Libris de hac materia editis, præcipue autem in illo inscripto de *Nestorianismo*, *& Eutychianismo*. Atque hac in re ad invidiam declinandam nonnumquam iis locutionibus usi sunt, quibus non videbantur a communi sententia multum abesse. Unde aliqui contenderunt, hanc controversiam, tantis animorum motibus diu agitatam, puram fuisse, putamque logomachiam, ad quam sopiendam nihil intentatum reliquerunt ii, quos supra (in not.) nominavimus, Sam. Pufendorfius, duo Calixti, Psaffius, & alii, ceteris omnibus acriter & pertinacissime resistentibus.

533. Inter recentiores Lutheranos, hanc Majorum suorum doctrinam magno conatu defendere aggressus est Jo. Franc. Buddeus in *Inst. Theol. dog.* Lib. IV. cap. 2. §. 16., & seq., ubi primo monet, non esse eamdem rationem idiomatum, quæ a divina natura communicantur humanæ, atque eorum, quæ ab humana in divinam derivantur: *Sola quippe divina natura permeat, & perficit humanam*. Deinde ita prosequitur: *Si quæeras, quid illud sit, quod hocce modo humanæ naturæ est communicatum? Respondeturr tota majestas divina, hoc est, omnes proprietates divinæ naturæ essentiales, cum operationibus ex iis fluentibus, itemque cum dignitate & eminentia, quæ istam Majestatem semper comitatur*. Quam in rem verba ex Libro *Concordiæ* huc spectantia allegat, quibus asseritur, in *humana Christi natura* præter humanas proprietates inveniri etiam *singulares, excellentissimas, maximas, supernaturales, impervestigabiles, ineffabiles, atque cœlestes prærogativas majestatis, gloriæ, virtutis, ac potentiæ*.

534. Post autem distinguit attributa divinitatis in-

quod per aliquot dies protractum est, & tandem sine ullo fructu diremptum. Hujus colloquii historiam suppeditat Joan. Andreas Schmidius in Tom. II. *Sagittariana Introduct.* pag. 1541. seq. Post hoc colloquium turbæ auctæ sunt inter ipsos Lutheranos, quorum aliqui accusabantur, tamquam ad Calvinismum propenderent, & qui propterea vocari solebant *Crypto-Calviniani*, inter quos primus repenebatur Phil. Melanthon. Cum autem illorum numerus quotidie augeretur, ut huic malo se opponeret Jacobus Andreæ alterum in Saxonia colloquium enm Theologis Wirtembergensibus habuit; sed cum isti novos semper, ut novos rigidis Lutheranis errores objicerent, dissidia multiplicata sunt, atque innumera ex utraque parte scripta prodierunt; quibus ut finis tandem imponeretur, famosus confectus est an. 1580. *Liber Concordiæ*, (seu ut verius a pluribus appellatus fuit *Liber Discordiæ*, vel *Concordia Discors*), atque art. 8. insertum fuit absurdum dogma *Omnipræsentia carnis Christi*. Sed iste potissimum articulus, immo tota doctrina Lutherana de communicatione idiomatum validissime impugnata fuit, nedum a Catholicis, sed etiam a Calvinistis; contra quos eam mordicus defendere non destitere Lutheri assecłæ, potissimum vero Mart. Chemnitius in Libro *de duabus naturis in Christo* &c. Lipsiæ 1580., quem illico impugnavit Lamb. Danæus, defendit vero Frider. Petri: atque ita bellum hoc Theologicum continuatum est usque ad nostram ætatem, novis semper sibi succedentibus ad pugnam utrinsque partis Scriptoribus; ut omnis jam evanneirit illius profligandi spes apud illarum sectarum homines, qui omnia nostræ Religionis dogmata in sacris litteris clarissime, potentissimeque contineri jactant, ut *sola* sint quarumcumque controversiarum Judices sufficientes.

Anno 1661. iterum Cassellis colloquium habitum est, præsentibus tribus Conciliariis Serenissimi Wihelmi VI. Hassiæ Langravii, ubi speciatim de *persona Christi*, *& idiomatum communicatione* disputatum fuit, in quo tamen nihil aliud definiri potuit, nisi ut altera pars, non obstante multo dissensu, alteram toleret, nec damnet: cujus historiam exhibet memoratus supra Jo. Andreas Schmidius. Atque ex eo tempore coeperunt nonnulli hanc quæstionem *non fundamentalem* reputare, ut Sam. Pufendorfius *in Jure feciali Divino*, duo Callixti, Georgius, & Ulricus, pater, & filius, aliique, multis, & inutilibus editis ad pacem inter Protestantes restaurandam. Immo ut hæc facilius restitueretur, aliqui eo progressi sunt, ut contendant, totam hanc controversiam, quæ per duo, & amplius sæcula præcipuorum inter Heterodoxos Theologorum ingenia torsit, & ad quam definiendam tot Libri conscripti sunt, & tot disputationes institutæ, putidam esse *logomachiam*. Hoc imprimis ostendere conatus est Christoph. Matthias Pfaffius Universitatis Tubingensis Cancellarius in *Alloquio ironico ad Protestantes* Tubingæ 1720. (quod opus statim refutavit Mart. Chadenius). Pfaffium Lutheranum præcesserant Jo. Lud. Fabricius, & Jo. Alph. Turretinus Calvinistæ. Sed hnic sopiendæ diutinæ concertationi nullum aliud inveniri potuit remedium, quam *Tolerantismus*, *& Indifferentismus Religionis*; quem apud Heterodoxos nunc dominari ostendimus T. I. pag. 294. seq.

ἀπρόσιτα, quæ operationem denotant, qualia sunt *omniscientia*, *omnipræsentia*, *potestas judicium exercendi &c.* & *ἀνενέργητα quiescientia*, seu quæ operationem divinam non denotant, qualia sunt *infinitas*, *immensitas*, *æternitas*, *simplicitas*; & postea sine ullis ambagibus pronunciat, quæ ad priorem classem pertinent, *immediate de humana Christi natura prædicari possse*; non autem quæ posterioris ordinis sunt. Citra enim controversiam recte dicitur, *humanam Christi naturam*, vel quod perinde est, *Christum qua hominem*, esse *omniscium*, *omnipræsentem* &c., at infinitam esse humanam Christi naturam, immensam, æternam, simplicem, seu omnis compositionis expertem, nemo dixerit. Cujus diversitatis rationem aliquam afferre conatur, sed non talem, quæ possit ab accuratis Theologis probari. Quibus autem, & qualibus momentis evincere satagat, attributa divina *energitica immediate* naturæ Christi convenire, examinabimus diligenter, postquam catholicum dogma communicationis idiomatum contra Nestorianos vindicaverimus.

PROPOSITIO I.

Admittenda est in Christo communicatio idiomatum in concreto.

535. Prob. primo ex sacris litteris, in quibus frequentissime Jesu Christo Filio Dei ea tribuuntur, quæ sunt hominis propria, non alia certe de causa, nisi propter hypostaticam duarum naturarum unionem. Sic Roman. I. 3. Filius Dei dicitur *factus ex semine David secundum carnem*. Cap. VIII. 32. *pro nobis traditus*. Ad Galat. IV. 5. idem Filius Dei dicitur *factus ex muliere*, 1. ad Coriuth. II. 8. *Dominus gloriæ crucifixus*; & Act. III. 15. *Auctor vitæ interfectus*. Sic pariter de Christo, ut homine, divina attributa prædicantur; ut cum Christus de se ipso dicit Joann. III. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo*. Æternitatem quoque sibi idem Christus attribuit, dicens Joann. VIII. 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Et alia multa hujusmodi sæpe occurrunt, quæ nullo alio sensu explicari possunt, quam per communicationem idiomatum; ut scilicet illa ipsa persona Jesu Christi, quæ secundum divinitatem dicitur, & reipsa est Filius Dei unigenitus, secundum humanitatem dicatur *ex semine David secundum carnem*, *facta ex muliere pro nobis tradita*, *crucifixa*, *& interfecta*. Et rursus quæ secundum divinitatem recte dicatur *descendisse de cælo*, *& ab æterno fuisse*.

536. Præterea eadem idiomatum communicatio manifeste expressa est in Symbolo tam Nicæno, quam Apostolorum; in utroque enim dicitur Filius Dei unigenitus *natus ex Maria Virgine*, *passus*, *& sepultus*; quæ dici utique non posseut, nisi mutua esset utriusque naturæ idiomatum communicatio. Hoc argumento S. Cyrillus Nestorium premebat in sua secunda epistola, quæ fuit in Synodo Ephesina, aliisque posterioribus probata, inquiebat enim: *Sacra*, *& magna illa Synodus*, (Nicæna) *tradit*, *ipsum unigenitum Filium*, *naturaliter ex Deo Patre natum*, *Deum verum de Deo vero*, *lumen de lumine*, *per quem Pater omnia condidit*, *descendisse*, *incarnatum*, *& hominem factum*, *passum esse*, *tertia die resurrexisse*, *& ad cælos ascendisse*. Et in anathemat. 4., eidem epistolæ inserto, *Si quis*, ait, *duabus personis*, *sive hypostasibus*, *eas*, *quæ in evangelicis*, *& apostolicis conscriptionibus sunt*, *dividit voces*, *vel ea*, *quæ de Christo a Sanctis dicuntur*, *vel ab ipso Christo de semetipso*, *& aliquas quidem ex his homini applicandas crediderit*, *aliquas vero soli Verbo deputaverit*, *anathema sit*.

537. Quorum omnium hanc Sanctus Thomas reddit rationem 2. Part. qu. 16. art. 4. „ Quia „ cum sit eadem hypostasis utriusque naturæ, „ eadem hypostasis supponitur nomine utriusque „ naturæ. Sive ergo dicatur homo, sive Deus, „ supponitur hypostasis divinæ, & humanæ. „ Et ideo de homine possunt dici ea, quæ sunt „ divinæ naturæ, *tamquam de hypostasi divinæ naturæ*; & de Deo possunt dici ea, „ quæ sunt humanæ naturæ, *tamquam de hypostasi humanæ naturæ*, "

538. Ad omne autem erroris periculum præcavendum ita subdit Angelicus: „ Sciendum, quod „ in propositione, in qua aliquid de aliquo prædicatur, non solum attenditur, quid sit illud, „ de quo prædicatur prædicatum, sed etiam secundum quid de illo prædicetur. Quamvis ergo non distinguantur ea, quæ prædicantur de „ Christo, distinguuntur tamen secundum id, secundum quod utrumque prædicatur. Nam ea, „ quæ sunt divinæ naturæ, prædicantur in Christo secundum divinam naturam; ea autem, quæ „ sunt humanæ, prædicantur de eo secundum humanam naturam. Unde Augustinus dicit Lib. „ *de Trinit.* cap. 11.: *Distinguamus*, *quid in* „ *Scripturis sonet*, *secundum formam Dei*, *in qua æqualis est Patri*, *& quid secundum formam servi*, *quam accepit*, *in qua minor est* „ *Patre*. Et infra c. 13. *Quid propter quid & quid secundum quid dicatur*, *prudens*, *& diligens*, *& pius lector intelligit* ". Hactenus Angelicus cum magistro suo Augustino.

539. Obj. primo. Omnis propositio affirmativa in materia remota est falsa; pinta si dicamus, Petrum esse Joannem; quamvis ambo simul conjungantur remote in natura humana; atqui duæ naturæ, humana, & divina infinite a seipsis distant: non ergo quæ conveniunt uni, possunt de altera affirmari.

540. Resp. cum Sancto Thoma art. 1. ad 1. majorem propositionem esse veram, quando illa

duo

duo remota non conjunguntur in uno supposito, sicut in exemplo allato Petri, & Joannis, quorum suppositа sunt diversa; esse autem falsum, quando illæ duæ formæ in uno supposito conjunguntur, ut in una persona Christi conjunguntur duæ naturæ, divina & humana. „ Et ideo, inquit „ Sanct. Doctor, hæc propositio *Deus est homo*, „ non est neque in materia remota, neque in ma„ teria contingenti, sed in materia naturali, & „ prædicatur homo de Deo non per accidens, sed „ per se, sicut species de sua hypostasi, non ra„ tione formæ significatæ per hoc nomen *Deus*, „ sed ratione suppositi (nempe divinæ personæ), „ quod est hypostasis humanæ naturæ. "

541. Inst. Magis conveniunt tres personæ divinæ ad invicem, quam humana natura, & divina: sed in Mysterio Trinitatis una persona non prædicatur de alia; non enim dici potest: *Pater est Filius*: ergo &c.

542. Respondet Augelicus ad 2. „ Tres perso„ nas divinas convenire in natura, distingui ta„ men in supposito: & ideo non posse de se in„ vicem prædicari. In Mysterio autem Incarna„ tionis naturæ quidem, quia distinctæ sunt, de „ se invicem non prædicantur, secundum quod „ significantur in abstracto (non enim natura di„ vina est humana), sed quia conveniunt in sup„ posito, prædicantur de se invicem in concreto. „

543. Obj. secundo. Unio duarum naturarum in Christo comparatur unioni animæ, & corporis in una hominis persona; dicitur enim in Symbolo *Quicumque*, vulgo Athanasiano: *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus*; sed de homine dici non potest, *Anima est corpus*, & reciproce, *Corpus est anima*: ergo &c.

544. Resp. semper cum Augelico ad 3.: „ Quod „ Anima, & caro significatur *ut in abstracto*, „ sicut divinitas, & humanitas: *in concreto* vero „ dicuntur *animatum*, & *carneum*, sive *corpo„ reum*, sicut & ex alia parte *Deus*, & *homo*; „ unde utrobique *abstractum* non prædicatur de „ *abstracto*, sed solum *concretum de concreto*".

545. Obj. tertio. Quod prædicatur de Deo, non *relative*, sed *absolute*, convenit toti Trinitati, & singulis personis; sed hoc nomen *homo* non est *relativum*, sed *absolutum*; si ergo vere prædicatur de Deo, consequens erit, de tota Trinitate, & singulis personis illud posse prædicari; quod est manifeste falsum.

546. Respond. Sanctus Thomas. „ Hoc nomen „ *homo* prædicari de Deo ratione unionis in per„ sona, quæ quidem unio relationem importat; „ & ideo non sequitur regulam eorum nominum, „ quæ absolute prædicantur de Deo ab æterno".

547. Inst. Si vera est hæc propositio: *Homo est Deus*, hæc quoque erit vera; *Homo est Pater æternus*, vel etiam hæc alia: *Homo est Trinitas*; potest enim sic efformari Syllogismus: *Homo est Deus, sed Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: ergo homo est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*. Quod nemo non videt, quam sit absurdum.

548. Resp. cum S. Thoma, hoc nomen *Deus* quando prædicatur de Patre, sumi non pro natura divina absolute, sed pro prima Trinitatis persona; & sic etiam quando prædicatur de Filio, ac de Spiritu Sancto. Cum autem nec prima, nec tertia Trinitatis persona humanitatem assumpserit, nec de prima, nec de tertia dici potest: *Homo est Deus*. Bene vero dici potest *Homo est Deus*, quando *Deus* sumitur pro secunda persona, quæ in natura humana subsistit.

549. Obj. quarto. Ea, quæ conveniunt humanæ naturæ, directe, & omnino iis opponuntur, quæ divinæ naturæ propria sunt: priora enim sunt finita, & imperfecta, alia vero infinita, & perfectissima: oporteret igitur simul misceri finitum & infinitum, perfectum, & imperfectum; quod est impossibile.

550. Resp. Quamquam ratione personæ, quæ unica in Christo est, proprietates diversæ, & oppositæ de eodem Christo enuncientur, enunciantur tamen secundum diversas ejusdem Christi naturas: unde nulla est contradictio, si dicatur: *Christus secundum divinam naturam est infinitus, secundum autem naturam humanam assumptam est finitus &c.* Vera enim oppositio est solum, quando de aliquo enunciantur contraria *secundum eamdem rationem*, non autem quando hæc enunciatio procedit secundum diversas rationes. Sic nulla est contradictio, quando dicimus: *Homo secundum animam est spiritualis, & secundum corpus est carnalis*.

551. Dices: Assumi ita convenit humanæ naturæ, ut de Deo nullatenus prædicari possit: non ergo omnia idiomata communicantur.

552. Respond. cum S. Thoma art. 4. ad 3. „ quod „ assumi convenit humanæ naturæ, *non ratione* „ *suppositi*, sed *ratione sui ipsius*, & ideo non „ convenit Deo. "

PROPOSITIO II.

Non est admittenda in Jesu Christo communicatio idiomatum in abstracto; *nec propterea attribui potest humanæ Christi naturæ omnipotentia, omniscientia, immensitas, seu ubiquitas, vel* omnipræsentia (a).

553. Prob. primo ex S. Joanne Damasceno, qui Lib. III. *de fide orthod.* cap. 4. doctrinam com-

(a) Aliqui Lutheranorum conquesti sunt de his vocabulis *ubiquitatis*, vel *immensitatis*, & nonnullis subtilibus cavillationibus persuadere voluerunt, se admittere quidem omnipræsentiam, non autem *ubiquitatem*,

communicationis idiomatum accurate, & dilucide exponit. Et primo communicationem in abstracto his verbis inficiatur: *Divinitatem itaque nominantes, ea quæ humanitati propria sunt, ipsi minime assignamus. Non enim passibilem, aut creatam Deitatem dicimus. Nec rursus carni, sive humanitati ea tribuimus, quæ Deitati proprie conveniunt. Neque enim carnem, sive humanitatem increatam dicimus.* Post autem qualis sit hæc idiomatum communicatio, ita pergit docere: *At vero cum de persona sermo est, sive ab utraque parte simul, sive ab altera tantum eam appellemus, utriusque naturæ proprietates ipsi imponimus &c.*

554. Id ipsum probatur hac evidenti ratione S. Thomæ 3. P. qu. 16. art. 3. „ Ea, quæ sunt propria unius, non possunt vere de alio prædicari, nisi de eo, quod est idem illi (de quo proprie prædicantur), sicut risibile non convenit (proprie) nisi ei, quod est homo. In Mysterio autem Incarnationis non est eadem natura divina, & humana, sed eadem est hypostasis utriusque naturæ, & ideo quæ sunt unius naturæ, non possunt de alia prædicari, secundum quod in abstracto significantur. Nomina vero concreta supponunt hypostasim naturæ; & ideo indifferenter prædicari possunt ea, quæ ad utramque naturam pertinent, de nominibus concretis: sive illud nomen, de quo dicuntur, det intelligere utramque naturam, sicut hoc nomen *Christus*, in quo intelligitur, & divinitas ungens, & humanitas uncta, sive solam divinam naturam, sicut hoc nomen *Deus*, vel *Filius Dei*: sive solum naturam humanam, sicut hoc nomen *homo*, vel *Jesus*. Unde Leo Papa dicit in epist. ad Palæstinos: *Non interest, ex qua Christus substantia nominetur, cum inseparabiliter manente unitate personæ, idem sit & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter unam cum Patre Deitatem*". Ita Angelicus utramque nostram propositionem theologica ratione luculenter demonstrat.

555. Sed quantum pertinet ad immensitatem, ubiquitatem, vel omnipræsentiam Corporis Christi, facile est demonstratu, ea aperte sacris litteris opponi, quæ idem corpus, suæ divinitati cõnjunctum, certis tamen locis fuisse circumscriptum ostendunt. Celebris est historia suscitationis Lazari, Jo. XI., ubi primo Christus annuncians Discipulis mortem Lazari, inquit: *Gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum.* Deinde Martha dixit ad Jesum: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus;* quod etiam soror ejus Maria iterum repetivit. Demum Jesus venit ad monumentum, ex quo Lazarum evocatum resuscitavit. Marci item XVI. 6. mulieribus sollicitis de corpore Jesu Angelus dixit: *Surrexit, non est hic: ecce locus, ubi posuerunt eum.* Postea sæpius Discipulis apparuit in cœnaculo, & quibusdam aliis locis; & tandem ab ipsis discipulis *recessit, & ferebatur in cælum* Lucæ ultim. 51.; vel ut dicitur Act. I. 9., *videntibus illis, elevatus est, & nubes suscepit eum.* Quibus postea dictum est: *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis euntem in cælum.* Ex quibus locis evidenter apparet, Christi humanitatem, non solum in statu exinanitionis ante resurrectionem, sed etiam in statu exaltationis post resurrectionem fuisse certis locis circumscriptam (a).

556. Facile est etiam, luculentis Sacr. Scripturarum testimoniis addere Sanctorum Patrum traditionem; quorum aliqui ut divinam Christi naturam immensam, ita ejusdem corpus circumscriptum dixerunt, ut Sanctus Hyppolitus Martyr (apud Anastasium Bibliothecarium in *Collectaneis*), qui Christum ait, *simul & immensum esse, intelligique Deum, & circumscriptum hominem;* & Sanctus Gregorius Nazianzenus in epistola prima ad Cledonium, Christum vocat *corpore circumscriptum, incircumscriptum spiritu;* ac denique Sanctus Joannes Damascenus Lib. III. *de fide orthod.* cap. 3. probat, duas Christi naturas fuisse inconfusas, & impermixtas, quia fieri non potest, ut eadem natura simul sit *mortalis, & immortalis, circumscripta, & incircumscripta.*

557. Alii vero Patres motum localem vere, & proprie Christo tribuunt secundum humanitatem, qui certe non potest cum immensitate, & omni præsentia componi. Sanctus Ambrosius Lib. II. *de fide* cap. 4. expendens illa verba Joann. XVI. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Neque enim Deus*, inquit, *de loco ad locum transit, qui ubique semper est. Ut homo est, qui vadit, i-*

vel *immensitatem*. Inanis profecto est hæc distinctio; sed ne controversia vergat ad voces, utemur & nos vocabulo *omnipræsentiæ* ab ipsis adoptato.

(a) Ut hæc testimonia cum sententia *ubiquitatis* conciliarent Theologi Tubingenses distinxerunt inter ejusdem κρίσιν, & χρῆσιν, scilicet *possessionem & usum*. Illam semper in Christi humanitate: ab usu vero istius divinæ proprietatis Christum abstinuisse in statu *exinanitionis*. Quæ distinctio, ut prorsus commentitia, merito ab aliis *Ubiquistis* rejiciebatur. Ulterius Tubingenses distinguebant omnipræsentiam ab operatione, ac primam admittentes negabant humanitatem *ubique* operari, sed certis tantummodo in locis. Contra vero Theologi Giessenses ideam *operationis* ingredi dicebant ipsam definitionem omnipræsentiæ; quorum nomine Canzius *De una Philosophiæ Leibnitianæ, in Theologia* Tom. I. cap. 7. §. 138. dicebant, *operationem a præsentia tam non posse divelli, quam definitio a suo definito separari nequit*. Nimis autem longum esset omnes subtiles, otiosasque controversias recensere, in quas defensores *omnipræsentiæ* delapsi sunt.

Ipse qui venit. Denique & alibi dicit: Surgite, eamus hinc. In eo ergo vadit, & venit, quod est commune nobiscum.

558. Ab aliis testimoniis Patrum afferendis supersedemus (videri possunt apud diligentissimum Petavium Lib. X. cap. 8. & 9.), unum addentes Sanctum Augustinum, qui in epistola 187. alias 57. illam Christi promissionem Latroni factam *Hodie mecum eris in paradiso*, intelligendam esse vult non *secundum id, quod homo erat, sed secundum id, quod Deus erat*, propter hanc rationem: *Homo quippe Christus*, ait, *illo die secundum carnem in sepulcro, secundum animam in inferno futurus erat; Deus vero ideo ipse Christus ubique semper est.* Et rursus: „ Secun„ dum hominem in terra erat, non in cælo, u„ bi nunc est, quando dicebat: *Nemo ascendit* „ *in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius* „ *hominis, qui est in cælo*". Nonnulla alia opposita afferentur, ad rectam intelligentiam quorundam verborum Sacræ Scripturæ, quæ ab Adversariis objiciuntur.

559. Objic. primo. Sanctus Paulus ab Coloss. II. 9. dicit, in Christo inhabitare *omnem plenitudinem Divinitatis corporaliter*. Nil clarius, inquiunt Lutherani, ad significandum, totam divinitatem esse in Christo cum omnibus attributis divinis, quæ neque ab essentia, neque a se invicem separari possunt. Præterea ipse Salvator noster idem confirmat apud Matth. XI. 27. inquiens: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, quæ quidem verba debent referri ad naturam humanam, quia secundum divinam nihil ei poterat a Patre tradi. Cujus simile est, quod idem Christus dicit Joann. XVI. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Ita Buddeus loco cit. §. 17.

560. Resp. Hæc omnia, & si quæ sunt alia his similia, intelligi debere non de sola natura humana, sed de Christo, hoc est de persona divina subsistente in utraque natura, divina, & humana. Hinc non sine causa S. Paulus masculino genere utens dixit *in ipso*, idest Christo, habitare plenitudinem Deitatis; cum in Lutheranorum sententia debuisset uti genere feminino *in ipsa*, idest natura humana. Illud autem adverbium *corporaliter* explicat S. Augustinus in Ps. LXVII. num. 25., ut intelligatur, unionem divinæ naturæ, & humanæ factam esse, non *umbraliter*, sed *corporaliter*, *idest solide, atque veraciter*.

561. Ea autem Christi verba Matth. XI. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, intelliguntur de æterna Verbi generatione, per quam habuit a Patre essentiam, & omnia attributa divina. Sed si quis velit ea detorquere etiam ad ipsum Christum, ut subsistentem in natura humana, debent hæc intelligi non de attributis divinis communicatis humanitati; sed potius de iis, quæ spectant ad reginem, & gubernationem Ecclesiæ, cujus erat caput; quo eodem sensu dicebat apud eumdem Matth. XXVIII. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes &c. ..... Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

562. Postrema Jesu Christi verba Joan. XVI. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, inepte prorsus ad Jesu Christi humanitatem referuntur; nam plusquam manifestum est, ibi Christum loqui de sua divinitate. Promittit enim Apostolis, se missurum Spiritum sanctum, quem a se quoque procedere docet, sicut procedit a Patre, quia, inquit, *omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*; unde infert: *Propterea dixi, quia de meo accipiet*; idest de meo esse, ac de mea substantia, ut alibi fusius a nobis explicatum est Tom. III. num. 103. séq.

563. Obj. secundo. Christus secundum humanam naturam fuit omniscius; atqui omniscientia est attributum divinæ naturæ; ergo etiam alia attributa, omnipotentiæ, omnipræsentiæ &c. habuit. Major prob. primo ex S. Paulo, qui de Christo ad Coloss. II. 3. inquit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*. Secundo Jo. I⁸ 24. dicitur Christus noviisse internas hominum cogitationes; unde subditur: *Opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine*. Tertio Petrus ap. Joannem XXI. 17. ita Christum allocutus est: *Tu nosti omnia*. Et multa alia reperiuntur in sacris eloquiis, quibus omnium rerum scientia Christo tribuitur.

564. Resp. vel hæc testimonia accipi posse de Christo secundum naturam divinam, & tunc certe iodicant scientiam infinitam, & comprehensivam, quæ est Dei essentiale attributum; vel etiam accipi posse de scientia animæ Christi, quæ etsi perfectissima fuit in suo genere, non fuit tamen infinita. Anima enim Christi a primo suæ creationis momento unita Verbo, in ipso omnia videbat, quæ vident Beati Comprehensores, & multo perfectius, quam alii, utpote majori lumine gloriæ perfusa, ut enim recte docet Angelicus hac 3. P. quæst. 10. art. 2., *unusquisque intellectus creatus in verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura, quanto perfectius videt Verbum* .... „ Ad Christum autem, & ad „ ejus dignitatem spectant quodammodo omnia, „ inquantum ei subjecta sunt omnia. Ipse etiam „ est omnium judex constitutus a Deo, *Dedit ei* „ *Pater potestatem judicium facere, quia filius* „ *hominis est* Joan. V. 27., & ideo anima Chri„ sti in Verbo cognoscit omnia existentia, secun„ dum quodcumque tempus, & etiam hominum „ cogitatus, quorum est judex."

565. Quod autem dicit Paulus ad Coloss. II. communiter a sanctis Patribus intelligitur de Christo secundum naturam divinam, quamvis possit etiam intelligi de scientia animæ Christi. Si secundum naturam divinam intelligatur, tunc significat *altitudinem divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*, de qua loquitur idem Apostolus ad Roman.

nam. XI. 33., & quæ animæ Christi communicari non potuit. Si vero intelligatur de Christo secundum naturam humanam, scientiam animæ Christi significat perfectissimam quidem, sed finitam.

566. Aliud ex Joan. II. *Ipse sciebat, quid esset in homine* ab Angelico loco mox cit. ita explicatur, *ut possit intelligi, non solum quantum ad scientiam divinam, sed etiam quantum ad scientiam animæ ejus, quam habebat in Verbo.* Et certe non repugnat, tantam animæ Christi fuisse scientiam communicatam, ut etiam corda hominum scrutari posset: repugnat vero in anima creata infinitam recipi omniscientiam.

567. Postremum ex confessione S. Petri *Tu nosti omnia* manifeste spectat ad naturam divinam, quam paullo antea confessus fuerat, dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Quamvis si etiam referatur ad naturam humanam, minime probat, in ea fuisse scientiam infinitam omnium prorsus rerum, sed omnium eorum, quæ ad Christi regnum pertinebant.

568. Objicit tertio Budæus multa Scripturarum loca ad probandum, humanæ natur. Christi fuisse communicatam *omnipotentiam*. Matth. XXVIII. 18. Christus dicit, sibi *datam fuisse omnem potestatem in cœlo, & in terra*; quæ certe potestas intelligi nequit de divina natura, cui nihil datum est; debet ergo intelligi de Christi natura humana. Hinc & Paulus ad Philipp. III. 21. illi tribuit *efficacitam operationis* (ἐνεργείαν) *qua possit subjicere sibi omnia*; quod perinde est, ac si illi tribuisset omnipotentiam. Pari etiam ratione Apocal. V. 12. Agnus occisus, inest Christus secundum humanam naturam, *dignus* dicitur *accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, seu omnia attributa naturæ divinæ. Maxime autem notari debet potestas judicandi communicata Jesu Christo, prout homo est. Joan. V. 27. *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis. est.* Hæc autem judicandi potestas summo Deo convenit, de quo dicitur Genes. XVIII. 24.: *qui judicas omnem terram*; & infinitam rerum omnium notitiam exigit, ut judicium sit justum. Demum Christo homini collata quoque fuit potestas vivificandi: Joan. V. 21. *Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius, quos vult, vivificat*; & vers. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*; ut scilicet intelligamus ipsissima æterni Patris attributa fuisse Filio communicata.

569. Resp. Hæc, & alia quædam, quæ Protestantes operose agglomerant, minime sufficere, ut credamus, finitæ, & creatæ Jesu Christi humanitati fuisse communicatum infinitum omnipotentiæ divinæ attributum. Primum enim de potestate, quam Christus sibi datam fuisse dicit in cœlo, & in terra Matth. XXVIII. jam supra explicatum est num. 561., de iis quæ spectant ad institutionem, & gubernationem Ecclesiæ, cujus factus est caput, prout dicit Apostolus ad Coloss. I. 18. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ .... ut sit in omnibus primatum tenens.*

570. Quod vero additum est ex S. Pauli epistola ad Philipp., explicatur a S. Thoma in Comment. *de virtute divinitatis*, quæ in Christo inhabitat; & de qua etiam intelligitur illud Psalmi: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, quod S. Paulus asserit in epist. ad Corinth. XV. 26., ut ostendat, omnia subjecta esse Christo propter potentiam Patris, quæ eadem est etiam in Filio, prout ipse Christus testatur Joan. V. 19. *Quæcumque ille* (Pater) *fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Ita etiam hunc locum de divina Christi natura, cui utique competit omnipotentia, sancti Patres interpretati sunt. Quod si aliquis pertinaciter velit, id de humana Christi natura esse intelligendum, minime repugnabo, dummodo per amplissimam potestatem eidem communicatam non veniat ipsa divina omnipotentia, cujus creata Christi humanitas capax non erat, sed alia finita, scilicet tanta quantam humana Christi natura accipere poterat.

571. Eumdemque sensum reddunt verba Apocalypsis, videlicet agnus, qui occisus est, fuisse a Deo Patre omnia ea dona liberaliter concessa, quorum erat capax, *virtutem* scilicet, *divinitatem*; seu potius, ut græcus textus habet, σθένος, *divinitas*; quomodo etiam Primasius, & aliqui veteres legerunt &c.; non autem ipsa attributa divina, quæ infinite superant omnem creatam capacitatem.

572. Potestas judicandi homines potuit utique Christo ut homini communicari; & æquum etiam videbatur, ut in extremo judicio homines judicandi suum judicem propriis oculis viderent: sed hæc potestas in Christo ut homine non est infinita, quemadmodum est infinita in Christo, ut Deo. Nec etiam exigit scientiam infinitam, sed solum eam, qua omnia cognoscantur, quæ ad judicium pertinent. Sane Christus Jesus hanc judicandi potestatem contulit Apostolis, qui sedebunt super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel; quin tamen aliquis suspicetur, eis fuisse collatam, ipsam supremam, & infinitam Dei potestatem, cujus nulla creatura est capax. Ceterum S. Augustinus Tract. XXI. in Joan. num. 13. T. III. P. II. bene observat, non filium hominis solum nos judicaturum, sed etiam Patrem; sed *Pater occultus erit, Filius manifestus.*

573. Item S. Augustinus in eodem Tract. XXI. num. 10. agens de virtute Christi *vivificandi mortuos*, illam refert ad divinam Christi naturam, a Patre ipsi communicatam; qua sola poterat Christus miracula facere. *Sicut homo, invocat Patrem: sicut Deus, facit cum Patre.* Et sic etiam idem S. Doctor Tract. XXII. num. 9. explicat verba illa: *Sicut Pater habet vitam in semetipso,* &c.

&c., de Christi natura divina, inquiens: *Christus in semetipso habet vitam, sicut Pater, quia est Verbum Dei.* Et num. 10. „ Quod dicitur, de„ *dit Filio*, tale est, ac si diceretur: *genuit Fi*„ *lium*; generando enim dedit. "

574. Dices. In Christo secundum humanam naturam fuit potestas diuittendi peccata. Ipse enim Christus Matth. IX. 6. dicebat quibusdam Scribis: *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata &c.* Atqui dimittere peccata est attributum proprium Dei, qui Isaiæ XLIII. 25. dicit: *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*: ergo &c.

575. Resp. cum S. Thoma 3. P. quæst. 10. art. 11. ad 2., Filium hominis, nempe Christum habere potestatem dimittendi peccata, *non virtute humanæ naturæ*, sed *virtute naturæ divinæ*; in qua quidem natura divina consistit potestas dimittendi peccata *per auctoritatem*; in humana autem natura consistit *instrumentaliter*, & *per ministerium*. Hinc sancti Patres contra Arianos ex hac ipsa Christi potestate recte colligebant, ipsum esse verum Deum. Ita S. Irenæus Lib. V. *contr. Hær.* cap. 17. Christum Deum simul & hominem fuisse ostendebat, *ut quomodo homo, compassus est nobis; tamquam Deus misereatur nostri, & remittat nobis debita nostra.*

576. Objicit quarto Buddeus quæcumque ex Scripturis contradere potuit ad omnipræsentiam humanitatis Christi comprobandam, declarans, se non loqui de omnipotentia *absoluta*, prout nullam *actuarem* præsentiam importat; sed de omnipræsentia *modificata* cum *ubiquitate*, se operatione divina connexa (*a*). Primo celebris est illa promissio Christi Domini Matth. XVIII. 20. *Ubi sunt duo, vel tres congregati ... ibi sum in medio eorum.* Secundo alia est promissio ejusdem Jesu Christi facta Apostolis apud eumdem Matth. XXVIII. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Tertio S. Paulus Ephes. I. 22. seq. dicit, Christum datum esse *caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Et clarius cap. IV. 10. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.* Demum & a sessione Christi ad dexteram Dei Buddeus argumentum trahit pro stabilienda omnipræsentia; per dexteram enim Dei non certus aliquis locus, sed divina, atque infinita majestas significatur; ut quando Matth. XXVI. 64. dicit Christus: *Videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei.* Et ipsa S. Stephanus Act. VII. 55. *vidit gloriam Dei, & Jesum stantem a dextris Dei.*

577. Resp. ad primum, & secundum, illam præsentiam, quam Christus iis promisit, qui fuerint in nomine ejus congregati, tum Apostolis missis ad docendum omnes gentes, non esse corpoream, sed spiritualem, & virtutis, quia nempe Christus audit orationes eorum, qui in nomine ejus congregantur, eisque præsto est sua protectione, & præsidio, ut in primo loco objecto ex Matth. XVI. In alio autem loco manifeste significare voluit eam assistentiam, quam Apostolis, eorumque successoribus præstiturus erat, ne in verbi Dei prædicatione errarent; quemadmodum explicuimus in I. Tom.

578. Ad tertium. Non apparet, quid Ubiquistæ extundere possint ex iis Apostoli verbis: *Et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Obscurus quidem est ille locus, & intellectu difficilis, ut fatentur Interpretes; sed nullo modo indicat, aut indicare potest omnipræsentiam naturæ humanæ Christi, cujus ibi nec vola est, nec vestigium. Ibi enim Apostolus agit de Christo capite Ecclesiæ, *quæ est corpus ejus* mysticum: postrema autem illa verba: *Plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur*, vel possunt intelligi *active* hoc modo: *Quæ eadem Ecclesia est plenitudo, & complementum ejus*, scilicet Christi, capitis, *qui omnia in omnibus adimplet*, nempe influxu suo. Vel *passive* hoc sensu, qui Christus in omnibus suis membris adimpletur. *Nisi enim*, ut inquit Chrysostomus hunc locum explicans, *nisi multi in Ecclesiæ mystico corpore numerentur; & sit alius quidem manus, alius vero pes, alius denique aliqua alia corporis pars, neque est integrum corpus, neque impletur, aut perficitur caput.* Hinc etiam idem Apostolus infra cap. III. 18. optat, ut fideles *impleantur in omnem plenitudinem Dei.*

579. Facilior est explicatio aliorum verborum cap. IV. ejusdem epistolæ, ubi dicit Apostolus, Christum ascendisse super omnes cœlos, *ut impleret omnia*, scilicet quæ de eo fuerant a Prophetis prænunciata; unde etiam Lucæ XXIV. 44. Christus jam jam ascensurus in cœlum dicebat

Di-

(*a*) Non quasi natura humana Christi sit ubique *per solam operationem*, seu per scientiam, & potentiam, prout omnia cognoscit, & omnia ubique operatur. Sed vult, Christum secundum humanam naturam *in se, & qua ipsam substantiam spectatam, omnibus rebus creatis actu præsentem esse.* Memorat post controversiam natam inter Protestantes, an *adsentia ista humanæ Christi naturæ* (omnibus rebus) *cum divinæ essentiæ adsentia numero eadem sit an diversa?* Eamdem numero esse dicatur, etiam natura humana idem sit cum natura divina, ut Eutychiani deliranut. Cum enim immensitas, seu omnipræsentia divina idem prorsus sit cum essentia, si omnipræsentia humanæ naturæ Christi eadem numero sit, ac divina omnipræsentia, etiam idem erit cum natura divina. Contra vero alii dicebant, si omnipræsentia humanæ naturæ non eadem numero sit, ac omnipræsentia divinæ naturæ, sequetur in Christo duplicem esse omnipræsentiam, aliam nempe divinæ naturæ, aliam humanæ. Ex iu quas ambages incidernt assertores ubiquitatis naturæ humanæ Christi. Quæ tamen difficultates etiam militant. de aliis attributis divinis omnisciential, omnipotentia &c. i. quæ naturæ humanæ Christi communicata esse volunt.

Discipulis suis: *Necesse est, impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Ita S. Thomas. Veruntamen si quis velit hæc verba intelligere etiam de omnibus locis, de quibus in præcedentibus versiculis Apostolus locutus fuerat, non abnuam; duminodo hæc impletio non intelligatur de corporali omnipræsentia, sed quod Christus repleat omnia potentia dominationis suæ.

580. Postremum de sessione Jesu Christi ad dexteram Patris ita explicatur a S. Thoma 3. P. quæst. 56., quæ tota est de hac materia, ut possit primo dici de Christo secundum naturam divinam; & tunc una cum Jo. Damasceno vocabulo *paternæ dexteræ* intelligitur *divinitatis honor, & gloria*, in qua Filius Dei, Patri consubstantialis, a tota æternitate sedet. Secundo autem de Christi natura humana, quæ *sedet ad dexteram Patris, idest in bonis paternis prioribus præ ceteris creaturis, idest in majori beatitudine, & habens judiciariam potestatem.* Hæc est etiam expositio, quam tradit S. Augustinus, tum in Lib. *de Symbolo* cap. 4. Tom. VI., tum in Psalmum CIX. Tom. IV. Digna est, quæ legatur tota illa quæstio 58. S. Thomæ.

581. Obj. quinto ex sanctis Patribus. S. Cyrillus in epist. prima ad Successum, *Dei*, inquit, *ut dixi, proprium corpus existens, omnia humana transcendit*, non alia ratione, nisi per divinorum attributorum communicationem. Item Lib. XII. in Joanu. cap. 32. de Christo ita loquitur: *In singulis partibiliter transiens Unigenitus, & animas, & corpora eorum per carnem suam sanctificans impartibiliter, atque integre in omnibus est, cum unus ubique sit, nullo modo divisus.* Nil clarius ad significandam Christi ubiquitatem. Secundo S. Hieronymus in Lib. contra Vigilantium Tom. II. ait, *Agnum Dei Christum ubique esse;* & in epist. 50. ad Marcellam, quæ ab ipso fuerat scisscitata, an Christus post resurrectionem per illud 40. dierum intervallum aliquando ascenderit ad cœlum, scribit, non opus habuisse ascendere, & descendere, *quia ubique est.* Tertio S. Ambrosius Lib. VII. in Lucam n. 83. Christum alloquens: *Licet*, inquit, *ubique sis semper, & stans in medio nostrum, non cerneris a nobis: erit tamen tempus, quo universa caro te aspiciat revertentem.* Ac denique S. Jo. Damascenus Lib. III. *de fide orthod.* cap. 14. *Divinitatem* dicit *corpori prærogativas suas impertitam fuisse.*

582. Resp., In primo loco S. Cyrillum tribuere Christi humanitati dona particularia, & eminentiora, quæ nulli creatæ naturæ concessa unquam fuere, ac propterea vere dicere, corpus Christi talibus donis exornatum *omnia humana transcendere.*

583. In alio autem loco S. Pater explicat Jesu Christi præsentiam in Sacramento Eucharistiæ, quæ præsentia non oritur ex Lutheranorum *ubiquitate*, sed ex speciali virtute verborum consecrationis (a).

584. Ad S. Hieronymum. Primo loco Doctor maximus refutabat impium Jovinianum, qui Sanctorum reliquiis debitum denegabat cultum, quia vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei eorum animæ considebant, nec poterant de suis tumulis exire, & ubi voluerint, esse præsentes. Ad quam insaniam refellendam affert ea verba Apocalypsis XIV. 3.: *Sequuntur agnum, quocumque vadit*, & postea subdit: *Si agnus ubique, ergo & hi, qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt.* Jam vero si his verbis voluisset Hieronymus Christi ubiquitatem significare, sequeretur, hanc ubiquitatem etiam Sanctis concedere, quod nemo somniavit. Nihil ergo aliud voluit S. Doctor, quam animas Sanctorum, sicut & Christum Dominum, esse nobis præsentes ad excipiendas orationes nostras, non præsentia reali, sed spirituali.

585. In alio autem loco Hieronymus manifeste loquitur de natura divina Jesu Christi, quam ubique esse pluribus veteris testamenti locis luculenter demonstrat; unde infert, ambigendum non esse, *etiam ante resurrectionem sic in Dominico corpore habitasse Deum Verbum, ut & in Patre esset, & cœli circulum clauderet, atque in omnibus infusus esset, & circumfusus, idest ut cuncta penetraret interior, & contineret exterior. Stultum est igitur illius potentiam unius corpusculi parvitate finire, quam non capit cœlum &c.*

586. Etiam S. Ambrosius de divina Christi natura est intelligendus, secundum quam ubique est, & licet invisibilis, *non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur, & sumus* Act. XVII. 27. seq.

587. Demum Sanct. Jo. Damascenus nihil aliud vult, quam humanæ Christi naturæ fuisse vim, & efficaciam ad nos redimendos in passione impertitam; dixerat enim quasi immediate antea: *patienti carni conjuncta erat divinitas, impassibilis*

(a) Prima causa statuendi ubiquitatem corporis Christi Luthero videtur fuisse dissidium exortum inter eum, ac Zwinglium de præsentia reali ejusdem corporis Christi in sacra cœna. Cum enim Zwingliani objicerent, impossibile prorsus esse, ut Christi corpus eodem tempore in cœlo esset, & in cœna, Lutherus reponit, Christi corpus beneficio unionis hypostaticæ esse ubique. Postea tamen Lutheri asseclæ a Zwinglianis pressi dixerunt, Christi corpus esse in sacra cœna, non propter attributum omnipræsentiæ, sed ex vi verborum consecrationis, & conquesti sunt ile Hospiniano, Jac. Basnagio, aliisque Calvinistis, quod Lutheri doctrina fraudulenter explicaverint. Ita inter alios Matth. Christoph. Pfaffius in *Animadversionibus in Jac. Basnagii historiam religionis Ecclesiarum*. Sed de suis privatis dissidiis ipsi viderint.

lis perseverans passionesque salutares reddens, & perficiens. Vide sup. n. 529.

588. Obj. sexto ex ratione. Quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de Filio Dei in concreto, ut probatum est Propos. 1.; sed Deus est ipsa sua natura: ergo ea quæ prædicantur de Filio Dei in concreto, possunt etiam de ejus natura prædicari in abstracto. Sic etiam recte concludi potest: *Christus est Verbum divinum; sed Verbum divinum est ubique: ergo etiam Christus est ubique.*

589. Respondet S. Thomas art. 5. ad 1.: „ In „ divinis realiter est idem persona cum natura; „ & ratione hujus identitatis divinæ natura præ„ dicatur de Filio Dei, non tamen est idem mo„ dus significandi: & ideo quædam dicuntur de „ Filio Dei, quæ non dicuntur de divina natu„ ra, sicut dicimus, quod Filius Dei est genitus; „ non tamen dicimus, quod natura divina sit ge„ nita. Et similiter in mysterio incarnationis di„ cimus, quod Filius Dei passus est; non autem „ dicimus, quod divina natura sit passa". Ex qua S. Thomæ doctrina facile solvitur parallogismus objectus. Christus enim est Verbum divinum secundum divinam naturam, & personam, & secundum hanc est ubique; non autem est Verbum divinum secundum naturam humanam; quamobrem neque secundum hanc est ubique.

590. Hinc etiam quædam explicanda sunt, quæ apud Patres nonnumquam occurrunt: ut illud Fulgentii: *Divinitatem esse crucifixam secundum carnem;* quod ipse ita explicat in respons. 2. ad Ferrandum, quia *Christus est sua divinitas.* Eodemque sensu Ecclesia canit: *Mors mortua tunc est, quod mortua vita fuit;* quia Christus propter identitatem naturæ divinæ cum persona appellatur *vita.*

591. Sic pariter a S. Cyrillo, Athanasio, & aliis nonnullis dicta est natura divina *incarnata*, non quasi sit in carnem conversa, aut carni sint ejus attributa communicata; sed quia natura divina unita est alteri *in persona*, *& ratione hujus unionis & divina natura dicitur incarnata*, *& natura humana deificata*, ut ait S. Thomas hic ad 2. Vide etiam q. 2. art. 2.

592. Inst. primo. Ea, quæ sunt divinæ naturæ, conveniunt humanæ naturæ in Christo, sicut cognoscere futura, & habere salutiferam virtutem; pari ergo ratione ea, quæ sunt humanæ naturæ, poterunt dici de divina: adeoque &c.

593. Resp. cum S. Thoma ad 3. „ Ea, quæ „ sunt divinæ naturæ, dici de humana natura, „ non secundum quod essentialiter competunt di„ vinæ naturæ; sed secundum quod *participa*„ *tive* derivantur ad humanam naturam: unde ea, „ quæ participari non possunt a natura humana „ (sicut esse increatam, aut omnipotentem) *nul*„ *lo modo de humana natura dicuntur*. Divina „ autem nihil *participative* recipit ab humana na„ tura, & ideo ea, quæ sunt humanæ naturæ, „ nullo modo possunt dici de divina natura".

594. Inst. secundo. Nihil obstat, proprietates naturæ divinæ communicari naturæ humanæ, quin tamen utraque natura misceatur, aut confundatur. S. Jo. Damascenus Lib. III. *de fide orthod.* cap. 15. ex Basilio, Maximo, aliisque veteribus affert simile exemplum ferri igniti, cui proprietates ignis communicantur, quin tamen ejusdem ignis natura cum natura ferri commisceatur, aut confundatur.

595. Resp. Ineptum esse hoc ferri igniti exemplum ad id comprobandum, quod Heterodoxi contendunt; neque enim omnes ferri proprietates remanent, quando ab igne intime pervaditur; ut patet in nigredine, puritie, frigiditate, quæ igne penetrante recedunt. Aptissimum autem est illud exemplum, prout fuit a Sanctis Patribus adhibitum, ad ostendendum modum, quo utraque natura in Christo cum communione alterius suas operationes exercebat. Audiatur Damascenus loco laud. „ Sed & in candenti gladio, inquit, uti tum „ ignis, tum ferri naturæ servantur, ita & duæ „ actiones, & earum effecta. Nam & ferrum se„ candi, & ignis urendi vim habent; ut sectio „ quidem actionis ferri opus sit, ustio autem ig„ nis: ac discrimen eum in ferri ardenti sectio„ ne, tum in secta ustione servatur; tametsi post „ hujusmodi unionem, nec ustio citra sectionem „ sit, nec sectio sine ustione. Nec quia duplex „ est naturalis actio, duos proinde candentes gla„ dios dicimus; nec rursus quia unus duntaxat „ incensus est gladius, ob eam causam substan„ tialem horum distinctionem confundimus. Eo„ dem modo in Christo quoque &c."

596. Inst. tertio. Christi humanitas hypostatice est unita naturæ divinæ: ergo fieri nequit, ut alicubi sit natura divina, ubi non sit etiam humana; alias non esset unita toti naturæ divinæ, sed ejusdem parti, quod dici nequit.

597. Resp. Quamvis natura humana unita sit nodo indissolubili naturæ divinæ, non tamen hæc unio talis est, ut natura humana totam permeet naturam divinam, sic natura divina totam permeat humanam, eamque infinite excedit. Hinc dici quidem potest, ubicumque est natura humana, ibi esse etiam divinam, non tamen e converso. Præclare S. Augustinus ep. 187. ad Dardanum cap. 3. postquam probasset, Christi humanitatem nunc esse in cœlo, subdit: *Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus ... Una enim persona Deus, & homo est, & utrumque est unus Christus Jesus: ubique per id, quod Deus est, in cœlo autem per id, quod homo.*

598. Ergo, inferunt Lutherani, alicubi dici poterit, divinitatem non esse humanitati conjunctam, scilicet in omnibus iis locis, ubi non invenitur humanitas.

599. Resp. neg. cons.; & in eo falluntur Adversarii, quod hypostaticam unionem intelligant, qua-

quasi per localem coexistentiam; ut propterea ubicumque non existit humanitas, neque existat illa indissolubilis unio. Sed recta fides docet, illam unionem ineffabilem ita in persona factam esse, ut natura humana nullibi existere possit; nisi conjuncta personæ Verbi; quamvis persona Verbi immensitate sua ibi etiam inveniatur, ubi non est humanitas, eidem tamen humanitati semper conjuncta, quam nunquam dimisit. Hujus rei aliquam imperfectam similitudinem habere possumus in anima nostra; cum enim sit forma substantialis corporis, corpus nullibi esse potest sine anima; anima tamen cogitationibus suis quodammodo immensa, extra corpus longe, lateque intelligendo vagatur, quin aliquando suum corpus deserat.

CAPUT VI.

De regulis quibusdam ad doctrinam communicationis idiomatum recte intelligendam; & de nonnullis quæstiunculis.

600. Quamquam aliqui plures, alii pauciores hujusmodi regulas constituant, omnes tamen in iis consentiunt, quæ præcipuæ sunt. Harum prima & fundamentalis est, ut utriusque naturæ proprietates, seu idiomata semper prædicentur de hypostasi, seu persona Christi; non autem proprietates unius naturæ tribuantur alteri naturæ: unde vera est hæc propositio: *Deus est homo, & homo est Deus;* non autem hæc: *Deitas est humanitas*, vel contra. Cavendum tamen est, ne in istis propositionibus suppositum *creatum* significetur, quod in mysterio Incarnationis nullum est. Quamobrem hæc propositio admitti non potest *Homo factus est Deus;* quia fieret sensus, humanam personam assumpsisse naturam divinam, quod falsum est.

601. Secunda regula est, ut persona possit etiam ab una tantum natura denominari; ut Christus recte dicitur in quibusdam locis S. Scripturæ *Filius hominis;* in aliis *Filius Dei;* & propter hanc regulam veræ sunt etiam propositiones, quæ videntur contradictoriæ, ut cum dicitur Christus *passibilis*, & *impassibilis*, *creatus*, & *increatus* &c. Neque enim hujusmodi propositiones proprie sunt contradictoriæ; quia enunciantur quidem de eadem persona, sed non secundum eamdem naturam. De Christo inquit S. Ambrosius *de Incarnat.* cap. 5.: *Idem patiebatur, & non patiebatur: moriebatur, & non moriebatur: sepeliebatur, & non sepeliebatur: resurgebat, & non resurgebat.* Et Sanctorum Patrum libri pleni sunt hujusmodi locutionibus, quæ non aliam quam verborum contradictionem exprimunt. Vide supra num. 526.

602. Tertia regula, ut nomina abstracta unius naturæ non possint prædicari de alia neque in abstracto, neque in concreto. Sic dici nequit: *Homo est divinitas;* vel *divinitas est homo;* quia fieret sensus, unam Christi naturam esse in aliam conversam.

603. Quarta regula est, ut cum idiomata utriusque naturæ attribuuntur personæ, propositiones *affirmativæ* semper veræ sint; non autem semper veræ sint, quando negantur; ut si quis dicat: *Filius Dei passus non est.* Quamvis enim verum sit, Filium Dei non esse passum secundum naturam divinam, propositio tamen absolute prolata, removet attributum passionis a persona Christi; quod est falsum. Hujus discriminis illa est ratio, omnibus nota, quod particulæ negativæ sint *malignantis naturæ*, ut prædicatum totum removeant a subjecto; ut cum absolute dicitur *Filius Dei passus non est*, obvius sensus resultat, ut neque in divina, nec in humana natura sit passus; quod est falsum. Quapropter similes propositiones exponendæ sunt cum aliqua modificatione, ex. gr. *Filius Dei non est passus, mortuus, sepultus in natura divina.* Quæ regula addendæ claras expositiones etiam in iis propositionibus adhibenda est, quæ licet in se veræ sint, possunt tamen, & solent ab hæreticis in pravum sensum trahi, ut istæ *Christus est creatura*, vel *est servus*. Vide, quæ de illa propositione *unus de Trinitate passus est* dicta sunt supra n. 96. seq.

604. Quinta regula præcipit, ut distinguantur idiomata, quæ per se conveniunt naturis & propterea dicuntur *naturalia*, ab aliis, quæ non conveniunt Christo, nisi secundum quamdam habitudinem, ut cum dicitur factus pro nobis *maledictum*, aut *peccatum:* hæc enim prædicata non sumuntur proprie, sed Christo attribuuntur per quamdam habitudinem, quatenus Christus pœnas nostris peccatis debitas luit.

605. Sextam regulam Scholasticis suppeditavit Scotus in III., respondens huic subtili cavillationi. *Si Deus est factus homo: ergo Deus est factus Deus. Consequentia prob., quia propter unionem naturarum est communicatio idiomatum, & ita sicut occidens hominem, occidit Deum, ita si factus est homo, factus est Deus* ... Nempe regula est, ut communicatio idiomatum solum locum habeat posita unione naturarum; quæcumque igitur exprimunt ipsam unionem, ut in opposita subtili cavillatione, a lege communicationis excipiuntur; ut proinde colligi nequeat, *si Deus factus est homo*, hoc est unitus homini, *Deus factus est Deus*, nempe unitus Deo.

606. Postrema regula est, ut communicatio idiomatum intelligatur substantialiter, quia unio utrinsque naturæ fuit substantialis: non autem *moraliter*, aut *accidentaliter*, quo sensu etiam Nestorius idiomatum communicationem facile admisisset. His autem præmissis quædam quæstiones breviter resolvendæ sunt, quas noster S. Præceptor proponit, & quarum explicatio mirifice inservit ad hanc difficilem materiam illustrandam.

Quærit primo Angelicus Præceptor in art. 1. q. 16.

16., an sit vera hæc propositio, *Deus est homo?*

607. Respondet autem, hanc propositionem ab omnibus Christianis concedi, non tamen ab omnibus secundum eamdem rationem. Quidam enim, ut Manichæi, Verbum Dei hominem esse dixerunt, non verum, sed *similitudinarium*, ponentes Filium Dei assumpsisse carnem phantasticam. Alii, ut Photiniani, veritatem carnis admittentes in Christo, veram negabant Divinitatem. Alii demum, ut Nestoriani, concedebant veritatem propositionis, quantum ad utrumque terminum, non tamen salvabant veritatem *prædicationis*, quia volebant, hominem prædicari de Deo solum per quamdam conjunctionem vel dignitatis, vel auctoritatis, vel etiam affectionis, aut inhabitationis.

608. „ In similem errorem, subdit Angelicus, „ incidunt quicumque ponnut duas hypostases, „ vel duo supposita in Christo. " Vide supra n. 92. (*a*).

609. His autem explosis erroribus ita quæstioni respondet: „ Supponendo secundum veritatem catholicæ fidei, quod vera natura divina unita est „ cum vera natura humana, non solum in per„ soua, sed etiam in supposito, vel hypostasi, „ dicimus, hanc propositionem esse veram, & „ propriam, *Deus est homo*, non solum propter „ veritatem terminorum (quia scilicet Christus „ est verus Deus, & verus homo), sed etiam „ propter veritatem prædicationis &c. "

Quæres secundo, an sit vera hæc propositio *Homo est Deus?*

610. Respondet Angelicus quæst. 16. artic. 2., hanc propositionem esse *veram*, *& propriam*. „ Hoc enim nomen *homo* potest supponere pro „ qualibet hypostasi humana; & ita potest sup„ ponere pro persona Filii Dei, quam dicimus „ esse hypostasim humanæ naturæ. Manifestum „ est autem, quod de persona Filii Dei *vere*, *&* „ *proprie* prædicatur hoc nomen *Deus:* unde re„ linquitur, quod hæc sit vera, & propria; *Ho*„ *mo est Deus* ". Hoc tamen nomen *Deus*, quod sensu jam explicato prædicatur de homine, debet restringi ad personam Verbi, quia solum *Verbum caro factum est*.

611. Neque vero quis inferat, ex hoc sequi, nobis recentem esse Deum; quod & per se absurdum est, & opponitur illis verbis Psalmi LXXX. 9. *Non erit in te Deus recens*. Non inquam; ex doctrina enim hactenus exposita, non admittimus Deum recentem; sed dicimus, Verbum quod *erat in principio*, idest ab æterno, carnem esse factum, ac propterea verum esse, quod *homo est Deus*: ut tota novitas, & mutatio sit in natura assumpta in consortium divinitatis, non in natura, aut persona divina.

„ Quæres tertio, utrum Christus possit dici *ho*„ *mo Dominicus?* "

612. Negat S. Thomas art. 3., ubi ita ratiocinatur: „ Cum dicitur homo Christus Jesus, desi„ gnatur suppositum æternum, quod est persona „ Filii Dei, propter hoc, quod est unum suppo„ situm utriusque naturæ. De persona autem Fi„ lii Dei prædicatur *Deus*, *& Dominus essen„ tialiter;* & ideo non debet prædicari *denomi*„ *native*, quia hoc derogat veritati unionis. "

613. Dices: S. Augustinus in Lib. LXXXIII. *Quæstionum* qu. 33. T. VI., & in Lib. II. *de Sermone Domini in monte* c. 6. T. III., Jesum Christum non dubitavit appellare *hominem Dominicum*. Eodem etiam nomine eum appellarunt nonnulli veteres, ut Athanasius in *Exposit. fidei*, Chrysostomus in Homilia *de Cruce*, Didymus Lib. III. *de Spiritu S.*, quem S. Hieronymus latine vertit, Epiphanius in *Ancorato*, & alii.

614. Resp. S. Augustinum in Lib. I. *Retractationum* cap. 19. hujus dicti pœnituisse. Ibi enim revocans, quæ in Lib. II. *de Serm. Domini in monte* scripserat: „ Non video, inquit, utrum „ recte dicatur *homo Dominicus*, qui est me„ diator Dei, & hominum homo Christus Jesus, „ cum sit utique *Dominus* ... Et hoc quidem ut „ dicerem, apud quosdam legi Tractatores catho„ licos divinorum eloquiorum. Sed ubicumque „ hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vi„ di, non esse dicendum, quamvis nonnulla pos„ sit ratione defendi. " Hanc autem rationem explicat S. Thomas, quia scilicet posset aliquis dicere Christum *hominem Dominicum*, propter humanam naturam, quam significat hoc nomen *homo*, non autem *ratione suppositi*. Et sic explicari possunt veteres illi, qui minus proprie Jesum Christum appellarunt *hominem Dominicum*. Ad hæreticorum autem versutias cavendas præstat ab hujusmodi locutionibus abstinere, quæ facile possunt in pravum sensum detorqueri.

615. Dices secundo. Jesus Christus appellari potest *homo divinus*, quemadmodum eum appellavit Dionysius vulgo Areopagita c. 3. *de Ecclesiast. Hierarchia:* ergo etiam &c.

616. Respondet Angelicus ad 3. „ Hoc nomen „ *divinum* consuevit prædicari etiam de his, de „ quibus prædicatur essentialiter hoc nomen *Deus*, „ dicimus enim, quod *divina* essentia est Deus, „ ratione identitatis, & quod essentia est Dei, si„ ve *divina* propter diversum modum significan„ di, & Verbum *divinum*, cum tamen Verbum „ sit Deus. Et similiter dicimus *personam divi*„ *nam*, sicut & personam Platonis, propter di„ versum modum significandi. Sed *Dominicus* „ non dicitur de his, de quibus Dominus præ„ dicatur. Non enim consuevit dici, quod aliquis „ homo, qui est *Dominus*, [sit *Dominicus;* sed „ illud, quod qualitercumque est Domini, *Do*„ *minicum* dicitur: sicut dominica voluntas, vel „ do-

(*a*) Id negavit Petavius Lib. IV. *De Incarn.* c. 12. num. 3. Sed vindiciis Sancti Thomæ egit P. Bern. de Rubeis in Dissert. prævia ad Tom. I. 3. P. c. 1.

„ dominica manus, vel dominica passio. Et ideo „ ipse homo Christus, qui est Dominus, non po„ test dici *Dominicus*. Sed potest caro ejus dici „ caro dominica, & passio ejus potest dici *pas*„ *sio dominica*. “

Quæres IV. utrum Christus dici possit *Creatura?*

617. Resp., Id *absolute* dicendum non esse, sed solum cum aliqua expositione, ut intelligatur, id referri ad humanam Christi naturam, quæ reipsa creata a Deo fuit, & in consortium divinitatis assumpta. Non debet autem id *absolute* dici, ne suspicio oriatur hæresis Arianæ, quæ Christum creaturam esse, & Patri inferiorem asserebat, non solum quantum ad naturam humanam, sed etiam quantum ad personam. Exemplum affert S. Thomas ex humanis rebus; ea enim, de quibus dubitari potest, an conveniant toti, vel solum parti, non proferimus *absolute*, *& simpliciter*, *sine determinatione*; non enim dicimus, quod *Æthiops est albus*, sed quod sit albus *secundum dentes:* dicimus autem sine determinatione, *quod est crispus*, quia hoc non potest ei convenire, nisi secundum capillos.

618. Hæc quidem locutio *Christus est creatura* fuit aliquando a sanctis Patribus usurpata, ut a S. Leone Papa in Serm. III. Pentecostes dicente, *creatorem mundi factum esse creaturam*, item a S. Gregorio Nazianzeno Orat. XXXVI. atque ab ipso S. Augustino, qui Serm. VI. de Nativitate dicit: *Factus est, qui fecerat*. Verumtamen bene advertit S. Thomas, aliquando sanctos Doctores *causa brevitatis*, determinatione omissa, nomine *creaturæ* usos fuisse, loquendo de Christo; ex eorum tamen aliis verbis liquido constare, illam determinationem, *quatenus est homo*, fuisse ab ipsis subintellectam.

619. Hujus rei documentum possumus sumere ex S. Jo. Damasceno, qui cum Lib. III. *de orthod.* c. 4. dixisset absolute de Christo, quod sit *creatus*, *& increatus*, *passibilis*, *& impassibilis*, alio in loco, nempe Lib. IV. c. 5. clarius loquitur, inquiens: *Ipsa una hypostasis* (Christi) *& increata est divinitate*, *& creata est humanitate*.

620. Art. autem 10. monet Angelicus, dici quidem posse, *Christum*, *secundum quod est homo*, *esse creaturam*, si reduplicatio cadat supra naturam humanam, quæ reipsa creata est; non autem si reduplicatio cadat supra suppositum ejusdem humanæ naturæ: ut si quis diceret: *Christus*, *secundum quod hic homo*, *est creatura*.

Quæres quinto, utrum hæc propositio sit vera: *Iste homo*, demonstrato Christo, *incepit esse?*

621. Negat Angelicus art. 9. ob duplicem rationem. Primo, quia dicendo *Hic homo*, demonstrato Christo, designatur suppositum æternum, cujus æternitati repugnat incipere esse: unde hæc falsa est: *Hic homo incepit esse*. „ Nec obstat, „ quod incipere esse convenit humanæ naturæ, „ quæ significatur per hoc nomen *homo:* quia ter„ minus in subjecto positus non tenetur *formali*„ *ter* pro natura, sed magis materialiter pro sup„ posito. “ Secundo, quia etiamsi propositio esset in aliquo sensu vera, non deberet sine aliqua determinatione usurpari, propter periculum hæresis Arianæ, quæ Christi personam aliquando non fuisse, blasphemando dicebat.

622. Si quæ autem sunt veterum Patrum locutiones, quæ videantur id asserere; ut cum S. Augustinus Tract. CV. in Joann. dicit, *Priusquam mundus esset*, *nec nos eramus*, *nec ipse mediator Dei & hominum homo Jesus Christus*. Si quæ, inquam, sunt similia, debent semper intelligi cum determinatione *secundum humanitatem*, licet expressa non inveniatur. Monet denique Angelicus, quod licet hæc propositio sit falsa: *Homo Christus esse incepit*, alia tamen est vera: *Christus incepit esse homo;* fit enim sensus manifestus, suppositum divinum, quod a tota æternitate existebat, in tempore suscepisse carnem, & factum esse hominem; ita tamen ut tota mutatio sit ex parte humanæ naturæ, ut sæpius jam diximus.

Quæres sexto, utrum hæc propositio sit vera: *Christus*, *secundum quod homo*, *est Deus?*

623. Respondet S. Thomas art. 11. „ Quod i„ ste terminus *homo* in reduplicatione positus, „ potest dupliciter accipi. Uno modo quantum ad „ naturam; & sic non est verum, quod Christus, „ secundum quod homo, sit Deus; quia humana „ natura est distincta a divina secundum differen„ tiam naturæ. Alio modo potest accipi *ratione* „ *suppositi*; & sic cum suppositum naturæ humanæ in Christo sit persona Filii Dei, cui per „ se convenit esse Deum, verum est quod Chri„ stus, secundum quod homo, sit Deus. Quia ta„ men terminus in reduplicatione positus magis „ proprie tenetur pro natura, quam pro suppositio, ideo magis est ista negauda *Christus secun*„ *dum quod homo*, *est Deus*, quam affirmanda. “

624. Atque eadem ratione idem S. Doctor art. 12. aliam quæstionem resolvit, an vera sit hæc propositio: *Christus secundum quod homo*, *est hypostasis*, *vel persona?* inquiens: „ Cum dici„ tur, *Christus*, *secundum quod homo*, *est per*„ *sona*, si accipiatur ratione suppositi, manife„ stum est, quod Christus, secundum quod ho„ mo, est persona; quia suppositum humanæ na„ turæ nihil est aliud “ quam persona Filii Dei. „ Si autem accipiatur ratione naturæ, sic potest „ intelligi dupliciter. Uno modo ut intelligatur, „ quod naturæ humanæ competat esse in aliqua „ persona; & hoc etiam modo verum est ... Alio „ modo potest intelligi, ut naturæ humanæ in „ Christo propria personalitas debeatur causata ex „ principiis humanæ naturæ: & sic Christus, se„ cundum quod homo, non est persona &c. “

625. Quamquam vero quæ hactenus de com-

mu-

municatione idiomatum, de regulis in ea tenendis, & de quibusdam propositionibus ex S. Thoma, aliisque Scholasticis attulimus, nimis subtilia, & etiam difficilia videantur, contemnenda tamen non sunt, plurimum enim inserviunt, ac plane dixerim, necessaria videntur ad puram, & defæcatam ineffabilis hujus Mysterii doctrinam.

CAPUT VII.

De Hæresi Monothelitarum.

626. Si non penitus extinctæ, saltem compressæ in Oriente videbantur duæ pestiferæ hæreses Novatiana, atque Eutychiana, cum nova quædam sæculo VII. ineunte erupit, dicta *Monothelitarum*, quia nonnisi unicam in Christo divinitatis, atque humanitatis voluntatem admitebat, & unicam proinde ejusdem operationem. Primus hujus erroris architectus dicitur fuisse Theodorus, Pharanites in Arabia Episcopus, docens, personæ Verbi itaque omnia tribuenda esse, ut ipsum solum in natura humana ageret, tamquam in omnium suarum operationum instrumento; qua de re an. 626. librum a se elucubratum ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum misit. Sergius verò errorem statim approbans, Theodoro remisit quoddam scriptum, quod a prædecessore suo Menna ad Vigilium R. Pontificem directum fuisse dicebat, & in quo idem error confirmabatur; quod tamen scriptum, ut supposititium & a Sergio ipso exaratum in Sess. XIV. Concilii VI. œcumenici inventum fuit (*a*). Postea idem Sergius adeo pro hac hæresi laboravit, ut ejusdem Patriarcha communiter habeatur. Nam & Paulum Severianorum caput, & Gregorium Arsamum Paulianistam litteris sollicitavit: deinde Cyrum Phasidis Episcopum, & quod Catholicorum causæ plurimum nocuit, ipsum Heraclium Imperatorem, ejus gratia, ac potentia ibutens, in Monothelitarum partem pertraxit. Hinc in VI. Synodo act. XIII. Sergius primus de impio hoc dogmate scripsisse dicitur.

627. Porro Cyrus, cum postea ad Patriarchalem Alexandrinam sedem evectus fuisset, Synodum habuit an. 633. in qua ut hæreticos Eutychianos, qui Theodosiani vocabantur, sibi conciliaret, novem proposuit articulos, in quorum septimo asserebatur, unum esse Christum *operante Deo decibilia, & humana, una Dei & viri operatione* (*Μιᾶς θεικῆ ἐνεργείᾳ*); ita ut nonnisi per intellectum possent duæ operationes distingui (V. T. VII. Concil. p. 282.). In suæ autem assertionis patrocinium advocare ausus est auctoritatem S. Dionysii; sed hujus textum adulteravit; cum Sanctus dixisset *novam Deivirilem operationem*, Cyrus dixit *unam*. Post autem hos cum Theodosianis concordiæ articulos ad Sergium misit, a quo gratulatorias, atque approbatorias litteras recepit, quæ Actione seu Secretario III. Concilii Lateranensis insertæ sunt (*b*).

628. Qui tanto malo occurreret, unus in Oriente inventus est Sophronius, tunc quidem simplex Monachus, sed postea ad Thronum Jerosolymitanum merito evectus. Hic primo Tyrum enixe obsecravit, ne articulum illum septimum evulgaret; cum autem nihil proficeret, Constantinopolim profectus ad Sergium conversus est; cui etiam plurima Sanctorum Patrum testimonia ostendit, quibus luculenter duæ Christi voluntates, & operationes distinguebantur. Sergius autem caussatus, nolle se unionem cum Theodosianis jam peractam turbare, hoc unum præstitit, ut litteris ad Cyrum datis præciperet, silentio hanc controversiam sopiendam, & tantummodo prædicandum, unum, eumdemque Jesum Christum tam divina, quam humana operari. Atque hanc suam œconomiam exposuit etiam Honorio Pontifici maximo litteris ad ipsum datis an. 634. quæ Actioni XII. Synodi VI. insertæ fuerunt (Tom. VII. Concil. pag. 951.).

629. In his autem litteris Sergius mira arte primo ea referebat, quæ Cyrus, cum Lazorum esset Episcopus, ad Persas convertendos egerat, tum ea, quæ ad Patriarchatum Alexandrinum exaltatus pro schismate Eutychianorum tollendo feliciter præstiterat; ejusque opera totum Ægypti populum factum fuisse unum gregem Christi. Post autem enarrat dissensionem natam cum Sophronio propter capitulum de una operatione Christi quod inter Concordiæ initæ cum Hæreticis resipiscentibus capitula septimum erat. Tertio dicit, dnrum sibi vi-

(*a*) Non solum hoc scriptum Mennæ suppositi tium inventum est Act. XIV. Concilii VI., sed etiam nonnulla alia opuscula fuisse dolo a Monothelitis vitiata manu Georgii Monachi, probatum fuit. Imuo ipse Georgius Concilio præsens id fassus est, nempe duos libellos Vigilii Rom. Pontificis, alterum ad Justinianum Imper. alterum ad Theodorum a se conscriptos, atque Codicibus Synodi V. additos. Sed de libris a Monothelitis, ac Monophysis, falso quibusdam Sanctis Patribus adscriptis legatur P. Mich. Le-Quein Dissert. II. *Damascenica* §. 19. seq. Theodorum Pharanitem ut primum novæ istius hæresis auctorem Sanctus Martinus Papa nominavit in Synodo Romana. Sed Theophantes, Cedrenus, & alii Græci ejusdem primum initium repetunt ab Athanasio, Jacobitarum Patriarcha, qui Heraclio quæstionem proposuit, duplexne, an una esset in Christo volnntas, & operatio? Heraclius autem Sergium consuluit, qui unicam esse respondit.

(*b*) Ss. Papa Martinus jussit afferri codicem Sancti Dionysii, ex quo locus indicatus a Cyro lectus fuit. Hæc autem S. Dionysii verba in epist. ad Cajum: „ Etiam non secundum Deum divina operatus, neque „ humana secundum hominem, sed Deo homine facto, „ *novam quamdam Dei virilem*, idest *theandricam*, operationem nobis ostendens. " Tunc Sanct. Martinus dolosas Hæreticorum artes aperuit, & hunc locum S. Dionysii etiam a Sergio corruptum fuisse affirmavit.

visum fuisse, & valde onerosum, propter hanc controversiam destruere omnem istam concordiam, atque unitatem, quæ fuerat effecta. Quarto mentitur, Sophronium rogatum, ut clara testimonia orthodoxorum Patrum proferret, quibus duæ in Christo operationes distinguerentur, id efficere non potuisse. Demum, ne novis altercationibus pax stabilita rumperetur, scripsisse Cyro Patriarchæ Alexandrino. „ Ut postquam unitatem cum his, „ qui pridem separabantur, Deo auxiliante composuit, de cetero *nullum permitteret, unam, aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro*, magis autem (sicut Sancta, & universalia tradiderunt Concilia) *unum, eumdemque Filium Unigenitum Dominum* nostrum Jesum „ Christum, verum Deum *operantem, tam divina, quam humana*. Similiter autem & duarum operationum dictio multo scandalizet, utpote a nullo Sanctorum, & probabilium Ecclesiæ institutorum edita. " Quod ipsum postea subdit de prædicatione unius, aut duarum voluntatum.

630. His autem litteris Honorius respondit, laudans prudentiam Sergii *novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare*, & subjicit: „ Nos perventuros *ad mensuram rectæ fidei* ... confitentes Dominum Jesum Christum, mediatorem Dei & hominum, „ *operatum divina, media humanitate Verbo Deo naturaliter unita*, eumdemque operatum humana ineffabiliter, atque singulariter assumpta carne " &c. Pergit postea inquiens. Unde *& unam voluntatem* fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a Divinitate *assumpta est nostra natura, non culpa*; illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata. " Demum post multa Sergio consentiens sic concludit: „ Quia Dominus J. C. ... sit unus operator divinitatis, „ atque humanitatis, plenæ sunt sacræ litteræ luculentius demonstrantes. Utrum autem propter opera divinitatis *una an geminæ operationes debeant derivatæ dici, vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent*, relinquentes ea Grammaticis, qui solent parvulis exquisita nomina venditare .... Hæc nobiscum Fraternitas vestra prædicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter prædicamus, *hortantes* vos, ut unius, vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum *in duabus naturis operatum divinitus, atque humanitus*, sed orthodoxa, atque unitate „ catholica prædicetis. " Hæ sunt illæ litteræ Honorii, quæ fundamentum de recta, atque orthodoxa ejus fide suspicandi aliquibus præbuerant, contra quos tamen haud difficile nobis erit, hujus summi Pontificis vindicias agere.

631. Interea Sophronius Patriarchalem dignitatem adeptus Synodum congregavit, in qua doctrinam duplicis in Christo voluntatis, & operationis confirmavit, atque epistolam Synodicam ad Honorium Rom. Pontificem misit. Sed is fraudibus Sergii jam præventus Sophronio respondit, haud esse adhibendum vocabulum duplicis operationis, aut voluntatis, sed potius esse confitendum unum Jesum Christum in duabus naturis tam divina, quam humana operantem. His tamen Honorii litteris, quas dolose a Sergio extortas fuisse probe noverat, minime acquievit Sophronius, sed duobus voluminibus sexcentas Sanctorum Patrum sententias collegit, quibus duæ in Christo voluntates, & operationes manifeste prædicabantur. Romam insuper misit Stephanum Episcopum Dorensem, ut Pontificem Maximum de his, quæ in Oriente agebantur, certiorem redderet (*a*).

632. Sergius vero, ut periculosam suam silentii œconomiam magis magisque confirmaret anno 639. snb nomine Imperatoris Heraclii celebre edictum promulgavit, quod *Ecthesis* nominatum fuit, & cujus hic erat titulus: *Expositio orthodoxæ fidei facta a magno Principe Heraclio* &c. In ea autem *Ecthesi* vetabatur, ne quis *unam*, aut duas in Christo operationes assereret, ut dissidiorum, ac scandalorum causa tolleretur; postea tamen satis aperte una tantummodo in Christo voluntas statuebatur. Atque hanc Imperatoris *Ecthesin* Sergius in Conciliabulo Constantinopolitano confirmandam curavit. Contrariam tamen fortunam Honoriæ illa *Ecthesis* experta est, primum a Severino, qui Honorio successerat, deinde a Joanne IV. condemnata. Extat illa *Ecthesis* in Secretario III., seu act. III. Concilii Lateranensis sub Martino I. (*b*).

633. Sergio eodem anno 639. vita functo Sedem Constantinopolitanam occupavit Pyrrhus Chrysopoli-

(*a*) Stephanus iste Dorensis hæc de Sophronio exposuit in Synodo Lateranensi Secret. II. „ Beatæ memoriæ Sophronius ... zelo Dei, & fiducia repletus duxit me indignum, & statuit in Sancto Calvariæ loco .... & ibi affigavit me vinculis indissolubilibus dicens: *Tu dabis nationem ipsi, qui propter nos secundum carnem in hoc Sancto loco exponte crucifixus est Deus ... Quantocius ergo de finibus terræ ad terminos ejus deambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, perveniat. Non semel, non bis, sed multo sapius aperiens sacris viris ibidem consistentibus omnia secundum veritatem, quæ in istis partibus mota sunt; & non quiescat instantius expetens, atque exorans eos, donec ex apostolica prudentia, qua in Deo est, ad victoriam judicium perducere debeant, & noviter introductorum dogmatum perfeotum faciant secundum canones destructionem.* "

(*b*) Heraclius in epist. ad Joannem IV., quam S. Maximus refert, aperte testatus est, *Ecthesin* non a se, sed a Sergio fuisse compositam. Unde etiam S. Martinus Papa in Secretario III. Concilii Lateranensis eumdem Sergium, etiam ut illius *Ecthesis* impium auctorem, condemnavit.

Itanus Monachus, & Presbyter, Monothelitarum factioni addictus, qui propterea illico Heraclii *Ecthesim* aprobavit, & ab aliis Episcopis approbandum curavit; qua de causa Joannes IV., eamdem iterum Romæ proscripsit. Sed paulo post mortuo Heraclii, & Constantino ejus filio insidiis Martinæ Novercæ sublato, cum Pyrrhus in suspicionem tanti facinoris non imminito veniisset, fugere coactus est (*a*), ejusque locum obtinuit Paulus, Constante II. Constantini filio Imperante. Novus Patriarcha Monotheliticam perfidiam tegens litteras synodicas catholicam doctrinam specietenus redolentes ad Theodorum R. Pontificem direxit. Non tamen diu internum hæreseos virus occulere potuit; sollicitatus enim ab eodem Theodoro, ut Heraclii Ecthesim condemnaret, obtemperare detrectavit: immo Imperatori Constantinopolitano auctor fuit, ut suum *Typum* ederet an. 648.

634. In hoc autem *Typo*, qui prostat in Secret. seu Act. IV. Concilii Lateranensis, primo exponebatur dissensionum exortarum status; postea ad illas finiendas omnibus præcipiebatur, *de una voluntate, aut una operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum qualemcunque afferre altercationem, aut contentionem, aut rixam;* comminata transgressoribus gravissima pœna. Tum *Typum* improbavit Synodus Lateranensis, eo quod simul cum hæretica pravitate etiam orthodoxam doctrinam silentio suppriemendam ediceret; quod Sanctis Ecclesiæ regulis opponitur (*b*).

635. Hæc Lateranensis Synodus habita est sub Martino I. Theodori successore a. 649.; cui Episcopi quinque supra centum adfuere. Rebus omnibus quamdiligentissime in quinque Sessionibus, seu *Secretariis* absolutis, demum 20. Canones conditi sunt, in quorum decimo ita dicitur: *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie, secundum veritatem, duas unius, ejusdem Christi Dei nostri voluntates cohærenter unitas, divinam, & humanam ... condemnatus sit.* Et Can. undecimo: *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem duas unius, ejusdemque Christi Dei nostri operationes cohærenter unitas, divinam, & humanam ... condemnatus sit.* Quæ dogmata in sequentibus canonibus, verbis paulo diversis iterum definita fuere.

636. In canone autem XVIII. Patres anathematizarunt omnes hæreticos, nominatim vero Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Constantinopolitanum, ejusque successores Pyrrhum & Paulum: *& super hæc impiissimam Ecthesim, quæ persuasione ejusdem Sergii facta est ab Heraclio quondam Imperatore adversus orthodoxam fidem .... & scelerosum Typum, qui ex suasione prædicti Pauli nuper factus est a Serenissimo Principe Constantino* (leg. Constante) *Imperatore contra Catholicam Ecclesiam* &c. Quæ condemnatio iterum repetitur in epistola Synodica (c). Hæc Synodus Lateranensis quamquam œcumenica non fuerit, tantum nihilominus auctoritatem obtinuit, ut teste Baronio ad annum 644., Professionibus fidei post quin-

(*a*) Defuncto Heraclio successit ejus filius Constantinus, *paterni imperii, non perversæ opinionis hæres*, ut ile eo scripsit Zonaras; ad quem utpote orthodoxum Apologiam pro Honorio inisit Joannes IV.; sed post tertium mensem regno, ac vita privatus est, dolis Martinæ novercæ sublatus, ut ad imperialem thronum filium suum Heracleonem eveheret, conspirante etiam Pyrrho, ne sub Imperatore catholico hæresis supprimeretur. Non diu tamen tam atrox facinus impunitum mansit; nam post sex menses lingua Martinæ abscissa, amputatisque Heracleoni naribus, ac ambobus in exilium missis, Senatus imperium Constantio filio Constantini, atque Heraclii nepoti detulit. Tuno Pyrrhus vitæ suæ memens, Pallio in sacra mensa deposito cum his verbis: *Non Sacerdotio me abdico, sed contumaci populo abrenuntio*, in Africam navigavit, quam Monotheltica peste inficere conatus est. Sed ejus impietati restitit sanctissimus Abbas, re, & nomine Maximus, qui ex Monasterio Chrysopolitano in Africam se recep-rat. Hic in publica disputatione Pyrrhum ita confudit, ut palam *confiteri* debuerit, se, summque prædecessorem Sergium omnino errasse. Post autem Pyrrhus Romam proficiscens, & Theodori pedibus provolutus hæresim ejuravit. Summus Pontifex eumdem Pyrrhum ut Episcopum Constantinopolitanum debitis honoribus prosecutus est; quia nec ipse se sacerdotio abdicaverat, neque in Synodo fuerat legitime depositus. Ficta tamen fuit Pyrrhi conversio; nam paulo post ut canis ad vomitum reversus est; in quem propterea S. Theodorus tremendo, ac vivifico Sanguine Christi in atramentum infuso propria manu sententiam depositionis, ac damnationis scripsit. S. Maximi disputationem cum Pyrrho, aliaque scripta contra Monothelitas edidit noster P. Combefisius duobus Tomis in fol. Parisiis ann. 1675. Pyrrhus tamen Paulo defuncto a Constante fuit denuo in Sedem Constantinopolitanam intrusus, quam nonnisi pancos menses tenuit; cui successit Petrus, & ipse Monothelitica lue infectus; & postea Thomas, Joannes, & Constantinus orthodoxi.

(*b*) Quamquam hæc una ratio damnandi Typum tunc allata fuerit, bene tamen notat Natalis Alexander in Hist. Eccl. Sæc. VII. c. 2. art. 1. §. 2. *Typum vel eo solo nomine rejici potuisse, quod a Laico Principe editus esset, cujus non erat de fide controversiis decernere.*

Sed minime dissimulanda hic est fraus Hæreticorum; videntes enim, suam hæresim omnibus Catholicis execrationi esse, simplices decipere voluerunt, ita verba componentes, quasi non de rebus, sed vocibus solum esset controversia, quæ utrique litigantium parti silentio posito, facile tolli posset. Ita enim in *Dialogo* cum Maximo loquebatur: „ Quemadmodum ex duabus naturis unum quidam dicimus esse compositum, ita „ potest a nobis usurpari ex duabus voluntatibus naturalibus una quædam composita: ut & duas assen„ rentes voluntates, propter naturalem in Christo differentiam naturarum; & unam constituentes, pro„ pter summam unionem, *de meris vocabulis confli„ etari inter se desinant.*“

(*c*) Impiam suam *Ecthesim* Heraclius miserat per I-

quinque generales Synodos olim insereretur.

637. Porro Constans Augustus ira furens per suum Exarchum Theodorum Calliopam S. Martinum Constantiniana Basilica vi ereptum Constantinopolim adduci jussit. Ibi autem tribus, & amplius mensibus durissimo carcere detentus, & postea multis calumniis appetitus, ut læsæ majestatis reus, Pontificiis insignibus exutus extremo supplicio damnatus fuit; sed postea sententia mitigata Chersonam exilio relegatus, ubi post immensas errumnas fortiter toleratas glorioso fidei Martyr occubuit 16. Septembris anno 655. Ejus autem memoria non minus in græca, quam in latina Ecclesia recolitur (*a*).

638. Neque vero inquieta, & sub Imperatorum patrocinio admodum potens, Monothelitarum factio solemni hac damnatione extingui potuit. Sed anno 687. Constantinus *Pogonatus*, idest *Barbatus*, Constantis filius, veram dissidiis tollendis, atque Ecclesiæ pacandæ viam invenit, misso ad Donum Pontificem Maxim., Epiphanio viro illustri, ut cum eo de œcumenica Synodo congreganda ageret, in qua exortæ controversiæ tandem aliquando finirentur. Litteræ Imperatoris ad Agathonem, qui *Dono* jam defuncto successerat, delatæ sunt, quibus Agatho lætanter acceptis, illico suos Legatos destinavit Theodorum, & Georgium Presbyteros, una cum Joanne Diacono; Synodus autem Occidentalis 125. Episcoporum Romæ habita suos Legatos misit Joannem Portuensem, Joannem Regii, & Abundantium Paterniensem Episcopos, quibus etiam Synodicam epistolam dedit Imperatori deferendam.

639. Istis Legatis perhonorifice exceptis Imperator statim Synodum Constantinopoli congregavit, quæ tertia est Constantinopolitana, sexta vero generalis: quæque anno 680. die 7. Novembris ipso Augusto præsente feliciter inchoata fuit, absoluta vero an. 681. die 16. Septembris post XVIII. sessiones, in quarum duabus prostremis Fidei definitio edita, & promulgata fuit, & omnium Episcoporum subscriptionibus constabilita (*b*). In ea autem Fidei definitione, quæ incipit *Unigenitus Dei Patris Filius*, post confirmationem quinque præcedentium generalium Synodorum, ac condemnationem omnium hæresum jam damnatarum, ita demum concluditur: *Confitemur, unum Dei Filium Dominum nostrum Jesum Christum &c.; & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum Sanctorum Patrum doctrinam adæquate prædicamus.* In fine autem renovantur decreta Conciliorum Ephesini, & Chalcedonensis de non alia fide proferenda, conscribenda &c. Vid. sup. pag. 254. in not. Tandem factæ sunt acclamationes Imperatori Constantino, qui post Episcopos Concilii actibus subscripsit.

640. Neque vero silentio prætermittenda debita illorum Episcoporum erga Sanctam Apostolicam Sedem observantia, qui in epistola Synodica ad S. Agathonem directe suæ definitionis confirmationem ab eo postularunt. *Orthodoxæ fidei*, inquiunt, *splendidam lucem clare prædicavimus; quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam Sanctitatem.* Quæ tamen epistola Agathoni tradi non potuit, qui anno 682. ineunte jam obierat. Tradita est ergo una cum litteris Constantini Augusti Leoni II., qui Agathoni in Cathedra Apostolica successerat: & qui Fidei definitionem in Synodo V. communi consensu factam confirmavit, anathemate percutiens nefariæ hæresis auctores, Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, & addit: *necnon Honorium, qui hanc apostolicam Sedem, non apostolicæ traditionis doctrina lustra-*

---

nasium Italiæ Exarchum ad Severinum Rom. Pontificem, ut ab eo quoque subscriberetur. Sed eamdem fuisse apostolica auctoritate rejectam, condemnatam, & anathematizatam, testatur S. Martinus in fine Secret. III. Concilii Lateranensis. Quod iterum factum est a Joanne IV. Severini successore. Exemplum Apostolicæ Sedis secuti sunt pene omnes Africani Episcopi. *Typum* vero Constantis damnarunt Martinus I. in Concilio Lateranensi, & Agatho in Synodo VI. œcumenica; & lapsus est, insignis alioquin Teologus, Gabr. Vasquez, dum in 3. Part. S. Thomæ Disp. 63. c. 1. putavit, *Typum* fuisse hominem quemdam hæreticum, discipulum Pauli Constantinopolitani; contra quem vid. Petrus Constantius in *Vindiciis ceterum codicum* c. 16.

(*a*) Cum Imperator Paulum Patriarcham lethali morbo correptum invisens, quæ cum Martino acta fuerant, illi narrasset, Paulus jam moriens *Hei mihi!* exclamavit, *& hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum est.* Imperator autem perconctanti, quare id diceret, subdidit: *Nunquid, Domine, non est miserabile talia pati Pontificem?* Qua Pauli morientis voce Imperator commotus Martini sanguini pepercit. Post autem Constans nullum in orthodoxos sævicndi finem faciens, tres alios gloriosos fidei athletas, S. Abbatem Maximum, Anastasium ejus discipulum, & aliam Anastasium Apocrisiarium Romanum flagris cæsos, lingua avulsa, & dextera abscisa sempiterno exilio damnavit. Ipse tamen Imperator suorum scelerum non multo post promeritas pœnas luit; veluti enim profugus Constantinopoli discedens, & loca sæpe mutans, tandem Syracusis in Sicilia occisus fuit anno 668. Fertur, ubique Imperatori visum fuisse in somno videre fratrem suum Theodosium, quem primo Diaconum ordinari, post autem trucidari crudeliter jusserat, Dalmatica indutum cum poculo sanguine pleno, sibique dicentem: *Bibe frater, Bibe frater;* atque hanc fuisse præcipuam causam, cur sedem tamquam alter Cainus irrequietus mutaret.

(*b*) Uno repugnante Macario Patriarcha Antiocheno, cujus illa pertinacissima vox fuit, sæpius repetita: *Etiamsi membratim incidar, & pariter in mare, ego neque duas voluntates, neque duas operationes dicam in Domino nostro Jesu Christo.* Quamobrem pallio exutus, ac omni sacerdotali dignitate privatus in exilium amandatus fuit.

etravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit.

641. Hæresim jam æterno anathemate ita proscriptam iterum suscitare nisus est initio sæc. VIII. Philippicus Bardanes Imperator conciliabulo Constantinopoli coacto anno 712., in quo sextam Synodum œcumenicam abrogare ausus est, ut Monachi hæretici, & præstigiatoris, qui ipsi imperium prædixerat, votis satisfaceret. Joannem autem Monothelitam in Sedem Constantinopolitanam intrusit; sed Deo catholicam fidem protegente, vani ejus conatus fuere; & ipse anno sequenti 713., qui fuit infelicis ejus imperii tertius, Conjuratorum conspiratione oculis, & regno privatus fuit. Sed jam de fidei dogmate contra Hæreticos agendum nobis est.

PROPOSITIO II.

In Christo duplex naturalis voluntas est admittenda, divina & humana (a).

642. Prob. perspicuis Sacrarum Scripturarum verbis, quæ in Synodo VI. ex epist. Sancti Agathonis Act. IV. recitata fuere. Matthæus XXVI. 50. ita Jesus Christus suum Patrem orabat: *Pater mi, si possibile est; transeat a me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, Lucæ item XXI. 42. *Pater, si vis, transfer calicem istum a me; veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Ac demum duplicem suam voluntatem manifestavit Christus iis verbis Jo. VI. 38. *Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Quibus in locis fit mentio voluntatis humanæ Christi, prout distinguitur a voluntate Patris: ergo etiam prout distinguitur a voluntate sua divina, quæ eadem omnino est cum voluntate sui Patris. Multa alia similia loca ex novo Testamento colligit Sanctus Maximus in Disp. cum Pyrrho, recte observans, etiam David Prophetam ex Christi persona dixisse in Psalmo XXXIX. 9. *In capite Libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui.* Unde & Apostolus ad Philipp. II. 8. de Christo dicit, quod *factus est obediens usque ad mortem; mortem autem crucis.* Voleus utique factus est obediens; non obedivit autem, ut Deus; ergo ut homo volens obedivit.

643. Multis etiam Sanctorum Patrum testimoniis catholicam veritatem confirmavit Agatho in sua epistola ad Synodum VI., potissimum vero Sancti Augustini, qui Lib. III. contra Maximum cap. 20. Tom. VII. ita ex laudatis supra Jesu Christi verbis duplicem in eo adstruit voluntatem inquiens: „ Homine quippe non assumpto, nullo „ modo Patri diceret unicum Verbum, *non quod* „ *ego volo;* numquam enim posset immutabilis „ illa natura quidquam aliud velle quam Pater. “ Quæ verba ex se clara ratiocinio nostro non indigent.

664. S. Ambrosius Lib. II. de fide ad Gratianum non minus perspicue humanam Christi voluntatem a divina discernit, inquiens: „ Suscipit „ ergo voluntatem meam, suscipit tristitiam meam „ .... Mea est voluntas, quam suam dixit; quia „ ut homo suscepit tristitiam meam, ut homo locutus, & ideo ait: *Non sicut ego volo, sed* „ *sicut tu vis.* “

645. Denique disertissimus Sanctus Leo in sua epist. CLXV. ad Leonem Augustum: *Secundum quidem formam Dei*, inquit, *ipse & Pater unum sunt: secundum autem servi formam non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus, qui misit eum.* Duplicem ergo Sanctus Leo in Christo agnoscebat voluntatem, non minus quam naturam; alteram divinam, qua unum est cum Patre; alteram servi, qua Patri obediens est.

646. Eadem perspicuitate duplicem in Christo voluntatem agnoverunt Patres Græci. S. Basilius in Lib. *Contradictionum adv. Apollinarem*: „ Quia „ igitur, inquit, alia est humana voluntas, alia „ divina, loquitur quidem, & quasi ex homine, „ quod infirmitati naturæ congruit, qui nostras „ pas-

(a) Sapienter observavit S. Thomas 3. qu. 18. art. 1., hoc fidei nostræ dogma fuisse a pluribus negatum; sed ex diversis motivis. „ Apollinaris enim non ponit „ animam intellectualem in Christo, sed quod Verbum „ esset loco animæ, vel etiam loco intellectus; unde „ cum voluntas sit in ratione, ut Philosophus dicit in „ III. *de anima* textu 42., sequebatur, quod in Chri„ sto non esset voluntas humana, & ita in eo non es„ set, nisi una voluntas. Et similiter Entyches, & „ omnes, qui ponuerunt unam naturam compositam in „ Christo, cogebantur ponere unam voluntatem in eo. „ Nestorius etiam, quia posuit unionem Dei, & ho„ minis esse factam solum secundum affectum, & vo„ luntatem, posuit unam voluntatem in Christo. Post„ modum vero Macarius Antiochenus Patriarcha, & „ Cyrillus Alexandrinus, & Sergius Constantinopoli„ tanus, & quidam eorum sequaces posuerunt in Chri„ sto unam voluntatem, quamvis ponerent duas natu„ ras in Christo secundum hypostasim unitas: quia „ opinabantur, quod humana natura in Christo nun„ quam inovebatur proprio motu, sed solum secun„ dum quod erat mota a divinitate. “

Diximus autem voluntatem *naturalem*, id enim negabant Monothelitæ; quod maxime constat ex omnium pertinacissimo Macario Antiocheno Patriarcha, qui interrogatus in Synodo VI. Act. VIII. „ an duas confi„ teretur *naturales* voluntates, & duas operationes *na„ turales* in Incarnatione Christi Domini? obstinate „ respondit, se neque *naturales* voluntates duas, neque „ duas *naturales* operationes agnoscere. “ Et Patres ejusdem Synodi in Sermone prosphonetico ad Imperatorem post damnationem Monotheliarum, ita locuti sunt. „ Quemadmodum duas esse naturas accepimus, „ ita & duas *naturales* voluntates, & duas *naturales* „ ipsius operationes agnoscimus. “

„ passiones assumpsit; adjungit autem secundam „ vocem, „ sublimem, & Deo decibilem voluntatem, præter humanam firmari pro hominum salute voleus. Qui enim dicit *non mea*, humanam hoc sermone significavit: addente vero *Tua*, ostendit conjunctionem suæ Deitatis ad Patrem ... „ Nam Patris dicens voluntatem, etiam Filii demonstravit. "

647. Sed aliis omissis Patribus Græcis, satis sit laudare Sanct. Joannem Damascenum qui in Oratione *De duabus Christi voluntatibus* (a P. Combefisio latine versa, & *Auctario Bibliothecæ Patrum* inserta) non solum aperte confitetur, sed etiam invicte demonstrat, humanam voluntatem fuisse a Christo assumptam; „ Si enim, inquit, „ non assumpsit humanam voluntatem Christus, „ qua voluntate factus est Patri obediens? Si non „ assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate, factus est sub lege? Si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate implevit omnem justitiam? Si non assumpsit humanam „ voluntatem, non attulit ei remedium: *quod enim non assumptum fuit, non est curatum* (ut „ ait Gregorius Theologus). Quid enim ostenderet, nisi voluntas? . "

648. Id ipsum alia ratione confirmat, quod scilicet voluntas non ad personam pertineat, sed ad naturam; si enim voluntas ad personam pertineret, *sicut Filius diversæ a Patre, ita etiam diversæ erit ab eo voluntatis*, quod plane absurdissimum est: cum igitur duæ sint in Christo naturæ, duæ etiam in eo esse debent voluntates.

649. Cui rationi non absimilis est ea, quam affert S. Thomas, inquiens in art. 1. laud. q. 28. „ Manifestum est, quod Filius Dei assumpsit humanam naturam *perfectam*. Ad perfectionem „ autem humanæ naturæ pertinet voluntas; quæ „ est naturalis ejus potentia, sicut & intellectus ... „ Unde necesse est dicere, quod in Christo sint „ duæ voluntates, una scilicet divina, & alia humana (*a*). "

PROPOSITIO II.

In Christo Jesu duæ fuerunt distinctæ naturales operationes divinitatis, & humanitatis.

650. Prob. auctoritate Sanctorum Patrum, qui sicuti duas in Christo naturas confitebantur, ita etiam duas in eo operationes, utrique naturæ correspondentes, necesse est, ut prædicarent. Nam S. Basilius Lib. IV. adversus Eunomium hoc statuit principium: *Eorum, quæ diversæ sunt substantiæ, non potest esse similis operatio.*

651. Ex eodem principio Sanctus Cyrillus Lib. XXXII. *Thesauri* inferebat: *Non enim unam utique esse dabimus operationem Dei, & opificii; ut autem creaturam ad divinam provehamus substantiam; aut divinæ naturæ præstantiam in eum, qui rebus factis convenit, redigamus locum. Nam quibus operatio, & virtus citra ullum discrimen est una, iis speciebus quoque constare necesse est unitatem.*

652. Et ut brevius rem agamus, nomine omnium Græcorum audiatur Sanctus Joann. Damascenus in supra laud. Oratione: *Actio naturalis*, inquit, *est cujusque substantiæ tam virtus, quam motio. Quid est ergo, quamobrem Christus naturæ humanæ actionem non habeat, cum præsertim sublata naturali cujusque actione, naturæ interitus consequatur? Si ergo non fuit in eo naturæ humanæ naturalis actio, nec natura quidem humana in eo fuit. Quorum enim naturæ diversæ sunt, eorum etiam tam voluntates, quam actiones differunt.*

653. Latinorum etiam nomine unum proferemus S. Leonem Papam, qui in sæpius laudata epistola dogmatica XXIX. ad Flavianum cap. 4. *Sicut Deus*, inquit, *non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate.. Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est.*

U-

(a) Ex his Angelicis Doctoris verbis recte colligit Petavius Lib. VIII. *De Incarn.* cap. 4., Monotheletas Christo adimisse non solum actum volitionis humanæ, sed etiam ipsam voluntatem, seu naturalem volendi facultatem; quæ sententia communiter apud Theologos recepta est, repugnante Vasquezio, qui in III. Part. Disp. 73. cap. 1. §. 73. *Scholasticos Monotheletarum hæresim hactenus recte, ac sincere non intellexisse*, asserit. Ipse autem statuit, non volendi, aut operandi potentiam naturæ humanæ Christi fuisse a Monotheletis denegatam, sed solum actualem volitionem, & actionem, quam unam utriusque naturæ fuisse dicebant. Falli autem hunc magni nominis Theologum demonstrat Petavius loco laud., multis allatis veterum testimoniis. Neque vero nos movere debet potissimum Vasquezii argumentum, quod Monotheletæ, secus ac Eutychiani, duas fatebantur in Christo naturas, divinam, & humanam; perfecta autem non fuisset humana Christi natura, si' illi naturalis volendi, & agendi facultas defuisset. Non, inquam, id movere nos debet: mirum enim nemini videbitur, hos hæreticos fuisse sibi ipsis repugnantes, ut plerumque esse solent, qui veritatem impugnant. Ceterum & Patres, & Concilia, & Theologi hanc ipsam inconstantiam semper exprobrarunt Monotheletis, quod naturam humanam perfectam in Christo verbis faterentur (fortasse ad Eutychianismi invidiam declinandam), reipsa autem tollerent. Sed consulatur laud. Petavius, qui cap. seq. alterum corrigit Vasquezii errorem, scilicet *Evidentia* humanam Christi ab Hæreticis negatam, a Catholicis vero propugnatam, nihil aliud esse, quam voluntatem, seu *volitionem*, cui membrorum motus obsequebantur. *Hic est*, inquit Vasquezius, *legitimus sensus erroris, quem prædicti hæretici docuerunt; quem nullus hactenus Auctorum notavit.*

Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis; & sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit.

654. Hæc Sancti Leonis verba ita ratione theologica confirmat Sanctus Thomas 3. Part. quæst. 19. art. 1. „ *Si* vero esset una tantum operatio „ divinitatis, & humanitatis in Christo, oporteret „ dicere, vel quod humana natura non haberet „ propriam formam, & virtutem ... ex quo sequeretur, quod in Christo esset tantum divina operatio, vel oporteret dicere, quod ex divina virtute, & humana esset conflata in Christo una „ virtus. Quorum utrumque est impossibile. Nam „ per primum horum ponitur natura humana *in* „ Christo esse imperfecta; per secundum vero ponitur confusio naturarum. Et ideo rationabiliter „ *in* Sexta Synodo hæc opinio est condemnata; „ in cujus determinatione dicitur: *Duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter, in eodem Domino Jesu Christo vero Deo nostro glorificamus*, hoc „ est divinam operationem, & humanam operationem. "

655. Obj. 1. contra I. Propositionem. S. Athanasius in Lib. *de salutari adventu Christi* hæc habet: „ Ille vir natus est ex muliere, qui ex „ prima creatione sibi formam hominis erexit, & „ excitavit in ostensione carnis, sed *sine voluntatibus carnalibus*, & sine humanis cogitationibus in imagine novitatis; *Voluntas enim erat solius divinitatis.* " Hoc Sancti Athanasii testimonio, velut decretorio, triumphant Monothelitæ.

656. Respond., duo in objecto testimonio esse distinguenda. Primum, quo innuitur, Verbum divinum sibi induisse formam hominis *sine voluntatibus*, facile explicatur de carnalibus voluntatibus culpabilibus, quas certe Verbum divinum nec assumpsit, nec assumere potuit. Alterum, quod *voluntas fuerit solius Divinitatis*, debet intelligi non de natura humana Christi, quæ fuerit suæ voluntatis expers, sed de ipso opere Incarnationis, quod a sola voluntate divina effectum fuit, prout explicuimus supra num. 61. Qua responsione etiam explicari possunt similia verba Clementis Alexandrini Lib. VI. *Stromatum* dicentis: *Voluntas erat solius divinitatis*, ut nempe Verbum fieret caro; neque enim incarnatio a voluntate humana pendebat.

657. Obj. secundo verba S. Gregorii Nazianzeni, qui in Orat. II. de Filio Dei inquit: *Velle enim illius in nulla re erat Deo contrarium, totum deificatum.*

658. Respond., potius ex iis verbis colligi, duplicem fuisse in Christo voluntatem, quam unam; voluntas enim *deificata* certe non est voluntas divina, quæ nulla prorsus ratione vocari potest *deificata*: est ergo voluntas humana, quæ consensu *deificata* dici potest, quatenus fuit a Divino Verbo assumpta. Certe quando idem Sanctus Gregorius in epist. prima ad Cledonium dixit, *humanam naturam esse deificatam*, eamdem naturam humanam in Christo non negavit: pari ergo ratione &c. Vid. supr. num. 408.

659. Obj. tertio contra eamdem primam propositi. ex ratione. Voluntas est primum movens, & imperans in unoquoque volente; sed in Christo primum movens, & imperans fuit voluntas divina; omnia enim humana movebantur ad nutum voluntatis divinæ; quemadmodum nostrum corpus, quod instrumentum est animæ, ejusdem animæ voluntate movetur: sola ergo hæc voluntas divina fuit in Christo.

660. Respondet S. Thomas quæst. 18. art. 1., ex quo omnia in Christo movebantur ad nutum voluntatis divinæ, non sequi, eam solam fuisse voluntatem; nam etiam piæ voluntates Sanctorum moventur secundum voluntatem Dei „ qui operatur in eis velle, & perficere; ut dicitur Phi„ lipp. II. Licet enim voluntas non possit interius moveri ab aliqua creatura, interius tamen „ movetur a Deo, ut in I. Part. dictum est qu. 105. art. 4. Et sic etiam Christus secundum voluntatem humanam sequebatur voluntatem divi„ nam. "

661. Inst. primo una cum Pyrrho in Collat. cum Maximo. *Impossibile est in una persona duas inesse voluntates, absque contrarietate.* Nemo autem dixerit, in Jesu Christo fuisse hanc voluntatum contrarietatem; adeoque &c. Hoc erat unum ex præcipuis Monothelitarum fundamentis, quo etiam Heraclius in sua *Ecthesi*, Paulus Constantinopolitanus in litteris ad Theodorum Pontificem, ac pertinacissimus Macarius Antiochenus Act. VIII. Synodi VI. usi sunt.

662. Respondet Sanctus Thomas quæst. 18. art. 6., majorem propositionem fuisse a Patribus VI. Synodi omnino negatam; in Symbolo enim dixerunt: *Prædicamus duas naturales voluntates non contrarias, juxta quod impii asserunt hæretici &c.* Et quidem si loquamur de voluntate Christi rationali, hæc erat voluntati divinæ omnino, & perfectissime subjecta, ut nulla inter utramque fingi possit oppositio.

663. „ Licet autem, inquit Angelicus, voluntas naturalis, & voluntas sensualitatis in Chri„ sto aliquid aliud voluerit, quam voluntas divi„ na, & voluntas rationis ipsius; non tamen fuit „ aliqua contrarietas voluntatum. Primo quidem, „ quia neque voluntas *naturalis*, neque voluntas „ *sensualitatis* repudiabat illam rationem, qua „ divina voluntas, & voluntas rationis humanæ „ in Christo passionem volebat ... Secundo, quia „ neque voluntas divina, neque voluntas rationis „ in Christo impediebatur, aut retardabatur per „ voluntatem naturalem, aut per appetitus sen„ sualitatis. Similiter etiam nec e contrario vo„ luntas divina, vel voluntas rationis in Christo „ refugiebat, aut retardabat motum voluntatis na-

 „ tu-

„ turalis humanæ, & motum sensualitatis in Chri-
„ sto. Placebat enim Christo secundum voluntа-
„ tem divinam, & etiam secundum voluntatem
„ rationis, ut voluntas naturalis in ipso, & vo-
„ luntas sensualitatis secundum ordinem suæ na-
„ turæ moverentur " (a).

664. Et cum sibi objecisset Angelicus: Christum secundum voluntatem divinam voluisse mortem, quam refugiebat secundum voluntatem humanam, ita respondet ad 1. „ Hoc ipsum, quod
„ aliqua voluntas humana in Christo aliud vole-
„ bat, quam ejus voluntas divina, procedebat ex
„ ipsa voluntate divina, cujus beneplacito natura
„ humana motibus propriis movebatur in Chri-
„ sto. "

665. Inst. secundo. Duæ voluntates secum inferunt duos volentes; sed Christus unus est: ergo etiam una voluntas.

666. Resp. neg. maj. si enim tot sint voluntes, quot sunt voluntates, erit etiam verum ab opposito, tot esse voluntates, quot sunt volentes; & sic cum in Sacrosancta Trinitate tres sint Personæ volentes, tres etiam erunt voluntates, quod absurdum est. In Christo igitur unus est volens propter unitatem personæ; sed duæ voluntates propter duas diversas naturas. „ Quia una est Chri-
„ sti persona, inquit S. Joannes Damascenus *de*
„ *duabus voluntatibus in Christo* cap. 11., & u-
„ nus Christus: unus est, qui utraque natura vult. "

667. Inst. tertio. Instrumentum non movetur propria voluntate; sed voluntate causæ principalis moventis; atqui natura humana in Christo fuit sicut instrumentum divinitatis, ut eam vocat Damascenus Libro III. *de fide orthod.* 2. 9. Ergo &c.

668. Resp., majorem esse veram de instrumento inanimi, ut est securis, vel serra, quæ ab artifice movetur solo motu corporali; falsam vero esse de instrumento animato ab anima rationali; hoc enim movetur a causa principali per ejusdem voluntatem, sicut per imperium Domini movetur servus, utique per propriam voluntatem. Et sic etiam natura humana Christi movebatur a Verbi persona per propriam ipsius naturæ humanæ voluntatem.

669. Inst. quarto. Voluntas non pertinet ad naturam: ergo ex quo duæ sint in Christo naturæ, non sequitur, etiam duas in eo esse voluntates. Prob. ant. Quæ pertinent ad naturam, sunt necessaria: atqui voluntas non est necessaria, sed libera: ergo &c. Ulterius si voluntas ad naturam pertinet, tot erunt in nobis naturæ, quot volitiones; & quotiescumque voluntas mutatur, mutabitur etiam natura; quod a ratione absonum est. Demum valere debet exemplum humanum; quia enim in nobis una est persona, licet duplex sit natura, anima nempe, & corpus, nonnisi una est voluntas: ergo etiam in Christo &c.

670. Resp. ad primum, ipsam potentiam voluntatis esse naturalem, adeoque necessariam; sed motum, vel actum hujus potentiæ esse liberum.

671. Ad secundum similiter resp., voluntatis actus diversos esse, & infinities mutari; non autem ipsam potentiam, quæ eadem semper manet. „ Sciendum est, inquit S. Joannes Damascenus
„ Lib. II. *de fide orthod.* cap. 14., non idem
„ esse velle, atque hoc, vel illo modo velle. Vel-
„ le siquidem naturæ est, ut & videre: omnibus
„ enim hominibus hoc convenit. At certo modo
„ velle non naturæ est, sed nostri consilii, & sen-
„ tentiæ: quemadmodum & certo modo videre,
„ hoc est bene, vel male; non enim omnes ho-
„ mines eodem modo voluut, neque eodem modo
„ vident. " Confer etiam ejusdem Opuscul. *de duabus in Christo voluntatibus, & operationibus*, Tom. I. edit. P. Mic. Le Quien cap. 10. sequ.

672. Hæc autem Damasceni verba, quod *certo modo velle non naturæ sit, sed nostri consilii*, ita explicat S. Thomas hac qu. 18. art. 1. ad 4.: „ Cum voluntas pertineat naturam, ipsum etiam,
„ quod est *aliqualiter velle*, pertinet ad naturam,
„ non secundum quod est absolute considerata,
„ sed secundum quod est in tali hypostasi. Unde
„ etiam voluntas humana Christi habuit quemdam
„ determinatum modum ex eo, quod fuit in hy-
„ postasi divina, ut silicet moveretur semper se-
„ cundum nutum divinæ voluntatis (b). "

673. Tertia autem difficultas statim evanescit, negando, in nobis animam & corpus duas esse naturas; cum non sint duæ unius naturæ partes: & ulterius corpori sine anima voluntas, quæ potentia est spiritualis, absurde tribueretur.

674. Obj. primo contra II. Proposit. S. Dionysius in epist. IV. ad Cajum aperte asserit, *unam* esse in Christo Deivirilem Θεανδρικὴν operationem. Cum autem convicti fuissent Monothelitæ falsitatis; non enim S. Dionysius dixit *unam*, sed *novam* (Vid. sup. num. 627.) Pyrrhus eorum signifer omissa adulteratione integrum, & sincerum

S.

(a) S. Thomas art. 2. hujus quæst. 18. probat, in Christo fuisse voluntatem *sensualitatis* præter voluntatem *rationis*, „ quia Filius Dei humanam naturam as-
„ sumpsit cum omnibus, quæ pertinent ad perfectio-
„ nem ipsius naturæ. In humana autem natura inclu-
„ ditur natura animalis, sicut in specie includitur ge-
„ nus; unde oportet, quod Filius Dei assumpserit cum
„ humana natura etiam ea, quæ pertinent ad perfe-
„ ctionem naturæ animalis, inter quæ est appetitus
„ sensitivus, qui *sensualitas* dicitur. "

(b) In art. 3. ejusdem quæst. Angelicus docet, quod si voluntas humana Christi accipiatur pro actu ipso volendi, oportet ponere in Christo ex parte rationis duas species actuum voluntatis, scilicet respectu finis, & respectu eorum, quæ sunt ad finem; voluntas enim fertur in finem *simpliciter*, & *absolute*: in ea autem, quæ sunt ad finem, fertur cum quadam comparatione ad ipsum finem. Prima voluntas vocatur a Magistris βούλησις, seu voluntas *ut natura*; altera βούλευσις, seu voluntas *consiliativa*, & *ut ratio*. Sed hæc diversitas actus non diversificat potentiam. Et sic in Christo est una sola voluntas humana *essentialiter*.

S. Dionysii textum protulit, qui sic habet: „ Etenim, ut uno verbo dicamus, ne homo quidem „ erat; non quod non esset homo, sed quod ex „ hominibus ultra homines existeret, ac supra homines revera esset homo, qui non secundum „ Deum divina gessit, nec humana secundum hominem: *Verum Deo viro facto, novam quamdam Deivirilem nobis operationem expressit in vita.*" Hac Dionysii auctoritate passim abutebantur Hæretici, nec aliam, quam *theandricam* operationem Jesu Christi nominabant.

675. Respondet S. Thomas quæst. 19. art. 1. ad 1. „ Dionysium possisse in Christo operationem θεανδρικὴν idest *divinam virilem*, vel *divinam humanam*, non per aliquam confusionem operationum, seu virtutum respectu utriusque naturæ; sed per hoc, quod divina operatio ejus utitur humana, & humana ejus operatio participat virtutem divinæ operationis: " Hoc autem pulcherrimo exemplo illustrat S. Maximus Martyr ferri igniti, inquiens: „ Quemadmodum enim ignis, ac ferri diversa est natura, aliæque, & aliæ amborum actiones: nec enim ignis secat, sed incendit, & illuminat ea vi agendi, quam ei attribuit natura. Neque rursus ferrum sic a natura comparatum est, ut urat, aut illuminet, sed secat, & nigrum est. Cum autem conjuncta ea fuerint, conjuncte, & indivise suum innatus utrumque exequitur, simul enim cum sectione existit ustio, ignisque ferri adminiculo, tum incendit, tum illuminat, cum interim non una sit naturalis actio, sed duæ; una ignis, qua urit, altera ferri qua secat; ac utriusque effectus proprius est; ignis quidem ustio, ferri autem sectio; siquidem sectio talis est, quæ vim habeat urendi; ac ustio, quæ simul secandi. Sic in Domino nostro „ Jesu Christo accidit. Agebat utraque natura cum „ alterius communione, quod proprium erat &c." Atque hac ratione explicat verba magni Dionysii, qui non dixit *unam* theandricam actionem, sed *novam*, sive *inusitatam*. Eadem ferri candentis similitudine utitur Damascenus Lib. III. *de fide orth.* cap. 14. Vid. sup. n. 595.

676. Quod autem S. Dionysius non unam, sed duplicem agnoverit in Christo operationem, colligit S. Thomas ex aliis ejusdem verbis in c. II. *de divinis nominibus*, ubi dicit, *quod in his, quæ pertinent ad humanam ejus operationem, Pater, & Spiritus sanctus nulla ratione communicant, nisi quis dixerit secundum benignissimam, & misericordem voluntatem;* inquantum scilicet Pater, & Spiritus sanctus ex sua misericordia voluerunt, Christum agere & pati humana. „ Sic „ igitur patet, concludit Angelicus, quod alia est „ operatio humana, in qua Pater, & Spiritus sanctus non communicant, nisi secundum acceptionem misericordiæ suæ; & alia est ejus operatio, inquantum est Dei Verbum, in qua communicant Pater, & Spiritus sanctus " (a).

677. Obj. secundo. S. Gregorius Nyssenus contra Eunomium: *Ita operatur*, inquit, *Divinitas per corpus, quod induit, omnium salutem, ut corporis quidem sint passiones, Dei vero operatio.*

678. Resp., apud nonnullos Patres nomine *passionum* intelligi veras Christi operationes secundum naturam humanam; unde S. Jo. Chrysostomus Hom. II. in Act. Apostol. sic loquitur. *Haud quispiam aberraverit, si ipsius quoque* (Christi) *passionem actionem appellaverit. In eo enim, quod omnia professus est, ingens illud, atque mirandum opus patravit, mortem destruens, aliaque omnia operans.* Hinc S. Maximus disputans cum Pyrrho observavit, „ Sanctos Patres variis nominibus affecisse humanæ naturæ motionem, prout ejus diversæ motiones postulabant. Appellarunt ipsam & *facultatem*, & *operationem*, & „ *differentiam*, & *motionem*, & *proprietatem* & „ *passionem*. " Atque hoc sensu explicanda sunt S. Gregorii Nysseni verba. *Etenim omnia*, inquit laud. S. Maximus, *quæ ex Deo sunt, & post Deum, eo ipso patiuntur, quo moventur: utpote quæ non sunt ipsa motio, ipsaque vis, ac virtus.* Hinc etiam Philo Judæus in Libro de Cherubinis dicebat, *proprium Dei esse facere ... proprium creaturæ pati.*

679. Obj. tertio. S. Cyrillus Lib. IV. Commentar. in Joan. dicit Christum *unam cognatam operationem per ambas naturas ostendisse.* Ita Pyrrhus in disput. cum S. Maximo objiciebat.

680. Respondebat autem S. Maximus epist. ad Nicandrum, unam vocari operationem ambarum naturarum, propter arctissimam earum copulationem, propter quam ambæ ad eumdem effectum concurrebant; unde etiam S. Leo in dogmatica sua epistola inquiebat: *Agit utraque forma cum alterius communione* &c. Vide supra num. 653.

S.

(a) Hæc communis est tam veterum, quam recentiorum Theologorum loci illius Dionysiani explicatio, ut necesse non sit ad sententiam P. Mich. Le-Quien confugere, qui in Diss. II. *Damascenica* n. 14. contendit, hunc auctorem, Dionysium Areopagitam vulgo dictum, fuisse aliquem Monophysitam, qui clanculum, & per cuniculos suam hæresim incautis propinare studuerit. Quam suam sententiam præcipue ex laud. ep. IV., quæ *Cajo therapeutæ* inscribitur, confirmare studet, & hanc vocem *novam quamdam Deivirilem operationem* nihil aliud, quam suam Deitatis, humanitatique naturam compositam adstruere, arbitratur. Hanc tamen ipsam vocem in sensu Catholico fuisse postea a compluribus Patribus sequioris ævi adoptatam scribit, qui Areopagitica scripta pro genuinis habebant. Si Le-Quienius tantum vellet, Areopagitica scripta esse supposititia, bene multos Criticos sibi consentientes haberet. Vid. Natalis Alexander Dissert. XXII. in Seculum I., sed haud facile obtinebit aliorum consensum, dum eadem scripta, ab hæretico aliquo Monophysita consarcinata fuisse vult. P. Bern. de Rubeis Dissert. IX. *De gestis & scriptis S. Thomæ.*

S. Maximus ad id clarius explicandum utebatur similitudine gladii candentis, quod simul scindendo urit, & urendo scindit, quamvis diversæ sint urendi, & secandi operationes; quod etiam nos superius attulimus num. 676. Neque obest vox *cognatam συγγενῆ*; nam hæc vox usurpata a Sanctis Patribus aliquando fuit ad designandam arctissimam unionem; ut quando S. Gregorius Nazianzenus in Orat. pro fratre suo Cæsario carnem vocat aniμæ *cognatam*, non alia certe de causa, quam propter intimam utriusque substantiæ unionem.

681. Obj. quarto ex ratione. Natura humana Christi nihil ex se operari poterat, sed solum ut mota a divina persona; ergo duo potius *operata* dici poterant in Christo, quam duæ *operationes* (*b*).

682. Respond. cum S. Thoma quæst. 19. art. 1. actionem ejus, quod movetur ab alio esse duplicem; unam, quam habet secundum propriam formam; aliam autem, quam habet secundum quod movetur ab alio: sicut securis operatio secundum propriam formam est incisio: secundum autem quod movetur ab artifice, operatio ejus est facere scamnum. „ Operatio igitur, concludit Angelicus, quæ est alicujus rei secundum suam „ formam, est propria ejus, nec pertinet ad mo„ ventem, nisi secundum quod utitur hujusmodi „ re ad suam operationem, sicut calefacere est „ propria operatio ignis, non autem fabri, nisi „ quatenus utitur igne ad calefaciendum ferrum. „ Sed illa operatio, quæ est rei solum secundum „ quod movetur ab alio, non est alia præter o„ perationem moventis ipsam: sicut facere sca„ mnum non est seorsum operatio securis ab ope„ ratione artificis; sed securis participat instru„ mentaliter operationem artificis.“

683. Nec omittenda puto, quæ ibidem S. Doctor pro majore hujus rei declaratione subdit, inquiens: „ Ubicumque moveus, & motum habent „ diversas formas, seu virtutes operativas, ibi o„ portet, quod sit alia operatio moventis, & alia „ operatio propria moti; licet motum participet „ operationem moventis, & movens utatur operatione moti, & sic utrumque agat cum communione alterius. Sic igitur in Christo humana „ natura habet propriam formam, & virtutem „ per quam operatur: & similiter divina. Unde „ humana natura habet propriam operationem di„ stinctam ab operatione divina, & e converso, „ Et tamen divina natura utitur operatione naturæ humanæ, sicut operatione sui instrumenti, „ & similiter humana natura participat operatio„ nem divinæ naturæ, sicut instrumentum parti„ cipat operationem principalis agentis.“

684. Et sic etiam idem Angelicus aliam Monotheliarum difficultatem solvit, qua dicebant, naturam humanam non esse nisi instrumentum Verbi divini, instrumentum autem non habet actionem distinctam a causa principali.

685. Nimirum iis, quæ supra num. 682. diximus, hæc addit S. Thomas hic in resp. ad 2., actionem instrumenti, inquantum est instrumentum, non esse aliam ab actione principalis agentis, „ posse tamen habere aliam operationem, „ prout est *res quædam*. Sic igitur operatio, quæ „ est humanæ naturæ in Christo, inquantum est „ instrumentum Divinitatis, non est alia ab ope„ ratione Divinitatis: non enim est alia salvatio „ qua salvat humanitas Christi, & Divinitas ejus; „ habet tamen humana natura in Christo, inquan„ tum est natura quædam, quamdam propriam „ operationem præter divinam.“

686. Inst. primo. Sicuti esse est hypostasis subsistentis, ita etiam operari; sed propter unitatem hypostasis est in Christo unum esse, prout S. Thomas q. 17. art. 2. luculenter demonstrat: ergo etiam propter eamdem unitatem est in Christo una operatio.

687. Respondet S. Thomas hac q. 19. art. 1. ad 3. „ quod esse, & operari est personæ a na„ tura: aliter tamen, & aliter. Nam esse pertinet „ ad ipsam constitutionem personæ, & sic quan„ tum ad hoc se habet in ratione termini, & ideo „ unitas personæ requirit unitatem ipsius esse com„ pleti, & personalis. Sed operatio est quidam „ effectus personæ, secundum aliquam formam, „ vel naturam. Unde pluralitas operationum non „ præjudicat unitati personali.“ Quemadmodum ipsis fatentibus Monotheliti duplex in Christo natura non tollit unitatem esse ejusdem Christi.

688. Inst. secundo. Ubi est unum operatum, ibi una debet esse operatio: sed idem erat operatum divinitatis, & humanitatis, sicut sanatio leprosi, vel suscitatio mortui: ergo &c.

689. Resp. neg. unum esse operatum divinitatis, & humanitatis, sed diversum, quamvis conjun-

(*a*) Ita S. Thomas 3. P. quæst. 19. art. 1. erroneam Monotheliticarum doctrinam exponit. „ Considerandum „ est, quod ubicumque sunt plura agentia ordinata, „ inferius movetur a superiori, sicut in homine cor„ pus movetur ab anima, & inferiores vires a ratio„ ne. Sic igitur actiones, & motus inferioris principii „ sunt magis *operata quadam*. Id autem, quod perti„ net ad supremum principium, est proprie *operatio*; „ puta si dicamus in homine, quod ambulare, quod „ est pedum, & palpare, quod est manuum, sunt „ quædam hominis operata, quorum unum operatur „ anima per pedes, aliud per manus; & quia est ea„ dem anima operans per utrumque ex parte ipsius „ operantis, quod est primum principium movens, „ est una, & indifferens operatio; ex parte autem i„ psorum operatorum differentia inventur. Sicut au„ tem in homine puto corpus movetur ab anima, & „ appetitus sensitivus a rationali, ita in Domino Jesu „ Christo humana natura movebatur, & regebatur a „ divina. Et ideo dicebant (Monothelitæ) quod ea„ dem est operatio, & indifferens ex parte ipsius di„ vinitatis operantis: sunt tamen diversa operata, in „ quantum scilicet divinitas Christi aliud agebat per „ seipsam ... aliud autem per humanam naturam &c.“

jumctum, ut in exemplo allato proprium operatum Divinitatis fuit sanatio leprosi, vel suscitatio mortui; operatum autem proprium humanæ naturæ fuit contactus, vel jussio. Concurrunt autem ambæ operationes ad unum operatum, secundum quod una natura agit cum communione alterius.

690. Inst. tertio. Vetus, & commune est proloquium, *actiones esse suppositorum*: ceu ut loquitur S. Thomas 2. 2. quæst. 58. art. 2. ex Aristotele Lib. I. Metaph., *Actiones sunt suppositorum, & totorum, non autem proprie loquendo partium, & formarum, seu potentiarum: non enim proprie dicitur, quod manus percutiat, sed homo per manum, neque proprie dicitur, quod calor calefaciat, sed ignis per calorem*. Hinc ipse Aristoteles in primo Libro de anima: *Dicere*, inquit, *animam irasci, perinde est, ac si quis dicat animam texere, vel ædificare. Ac forte melius est, non ita loqui, ut dicamus animam misereri, vel discere, vel cogitare; sed hominum anima*. Cum ergo unum tantummodo in Christo sit suppositum, unica etiam erit operatio.

691. Resp. cum S. Thoma hic ad 3. „ Operari esse hypostasis subsistentis (seu operationes esse suppositorum), sed secundum eorum „ formam, & naturam, a qua operatio speciem „ recipit; & ideo a diversitate formarum, seu „ naturarum est diversa species operationum: sed „ ab unitate hypostasis est unitas secundum numerum, quantum ad operationem speciei: sicut „ ignis habet duas operationes specie differentes, „ scilicet illuminare, & calefacere, secundum „ differentiam lucis, & caloris; & tamen est una „ numero illuminatio ignis simul illuminantis. „ Et similiter in Christo oportet, quod sint duæ „ operationes specie differentes, secundum ejus „ duas naturas; quælibet tamen operationum est „ una numero in Christo simul facta, sicut una „ ambulatio, & una sanatio." Cum igitur dicitur, actiones esse suppositorum, nihil aliud significatur, quam actiones esse naturæ, *ut subsistentis*; & sic actiones & supposito, & naturæ tribuuntur, diverso tamen modo: supposito nempe, quatenus natura operari non potest, nisi subsistat; subsistit autem in hypostasi: unde etiam suppositum vocatur principium *quoad* operationem. Naturæ autem tribuuntur operationes, sicut principio, *quo* eædem operationes eliciuntur. Persona itaque Christi terminans duas naturas, divinam, & humanam, secundum utramque operabatur: unde duarum operationum petitur dictinctio (a).

692. Hæc doctrina potest pluribus exemplis ex rebus ipsis naturalibus illustrari. Sed præstat unum afferre ex augusto Trinitatis mysterio depromptum: ubi tres sunt divinæ personæ, sed quoniam una tantum est earumdem natura, unica etiam est ipsarum operatio: ergo ab opposito in mysterio Incarnationis, quoniam duplex est in Christo natura, duplex esse debet operatio: & quoniam unica est persona, unus erit operans.

693. Inst. quarto. Si operatio tribuitur naturæ, cum natura divina Christi sit eadem ipsissima natura Patris, & Spiritus sancti, operationes divinæ naturæ Christi erunt etiam aliis divinis personis tribuendæ.

694. Resp., operationes Christi tribui quidem naturæ, sed prout subsistit in persona divini Verbi, quæ ab aliis duabus distincta est: adeoque tribui non posse Patri, vel Spiritui sancto, quorum una quidem, eademque est natura, sed in propriis personis subsistens.

Quæres, quid sit operatio *Theandrica seu Deivirilis*?

695. Si doctissimo Mich. Le Quien credimus Dissert. II. Damascenica num. 14., hanc vocem omnium primus invexit eruditus auctor Scriptorum Areopagiticorum, & quidem in pravo Monophysitarum sensu: sed postea sequioris ævi Patrum complures, ac Theologi eamdem ad sanum sensum variis interpretamentis transtulerunt, ut modo absque ullo fidei detrimento operatio *Deivirilis* Domino nostro Jesu Christo tribuatur (a). Vid. sup. not. ad n. 676.

696. Hæc doctissimi viri observatio parum verisimilis videtur, quia teste S. Martino R. P. in Concilio Lateranensi Secretario III. Cyrus Alexandrinus, & Sergius Constantinopolitanus, ambo Monothelitarum duces, hanc vocem Dionysii Areopagitæ *novæ operationes theandricæ* sufficientem non esse judicarunt ad Monotheliticam pravitatem confirmandam; quamobrem primus *novam immutando, unam pro nova asseruit*; Sergius vero *immutatum* vocatur principium *quoad* operationem. Naturæ autem tribuuntur operationes, sicut principio, *quo* eædem operationes eliciuntur. Persona itaque Christi terminans duas naturas, divinam, & humanam, secundum utramque operabatur: unde duarum operationum petitur dictinctio (a).

692. Hæc doctrina potest pluribus exemplis ex rebus ipsis naturalibus illustrari. Sed præstat unum afferre ex augusto Trinitatis mysterio depromptum: ubi tres sunt divinæ personæ, sed quoniam una tantum est earumdem natura, unica etiam est ipsarum operatio: ergo ab opposito in mysterio Incarnationis, quoniam duplex est in Christo natura, duplex esse debet operatio: & quoniam unica est persona, unus erit operans.

693. Inst. quarto. Si operatio tribuitur naturæ, cum natura divina Christi sit eadem ipsissima natura Patris, & Spiritus sancti, operationes divinæ naturæ Christi erunt etiam aliis divinis personis tribuendæ.

694. Resp., operationes Christi tribui quidem naturæ, sed prout subsistit in persona divini Verbi, quæ ab aliis duabus distincta est: adeoque tribui non posse Patri, vel Spiritui sancto, quorum una quidem, eademque est natura, sed in propriis personis subsistens.

Quæres, quid sit operatio *Theandrica seu Deivirilis*?

695. Si doctissimo Mich. Le Quien credimus Dissert. II. Damascenica num. 14., hanc vocem omnium primus invexit eruditus auctor Scriptorum Areopagiticorum, & quidem in pravo Monophysitarum sensu: sed postea sequioris ævi Patrum complures, ac Theologi eamdem ad sanum sensum variis interpretamentis transtulerunt, ut modo absque ullo fidei detrimento operatio *Deivirilis* Domino nostro Jesu Christo tribuatur (a). Vid. sup. not. ad n. 676.

696. Hæc doctissimi viri observatio parum verisimilis videtur, quia teste S. Martino R. P. in Concilio Lateranensi Secretario III. Cyrus Alexandrinus, & Sergius Constantinopolitanus, ambo Monothelitarum duces, hanc vocem Dionysii Areopagitæ *novæ operationes theandricæ* sufficientem non esse judicarunt ad Monotheliticam pravitatem confirmandam; quamobrem primus *novam immutando, unam pro nova asseruit*; Sergius vero *immu-*

(a) Petavius Lib. VIII. *De Incarn.* c. 2. illud Scholarum effatum *Actiones sunt suppositorum* perperam tribui Aristoteli asserit. Scholastici tamen non immerito illud Aristotelis tribuunt, quatenus ex ejus doctrina manifeste eruitur, & verissimum est, si intelligatur eo sensu, quo illud explicat S. Thomas; cujus auctoritate, immo & verbis nisi summus quo nemo, meo quidem judicio, tam veterum, quam recentiorum abstrusas, & difficiles Nestorianorum, Eutychianorum, & Monothelitarum objectiones ex Philosophia petitas subtilius, ac solidius enodavit.

(b) Eodem modo putat idem Le-Quienus, ad sanum, & orthodoxum sensum fuisse pertractam illam vocem *Una Dei Verbi natura incarnata*, quæ Apollinaris hæretici fuerat. Cum autem Sanct. Cyrillus eam reperisset in ejusdem Apollinaris Confessione, quæ Sancti Athanasii nomine inscribebatur, eamdem usurpare non dubitavit, sensu prorsus orthodoxo, & post S. Cyrillum alii bene multi, ut supra notavimus. Ceterum etiam doctissimus P. Christianus Lupus in Dissert. *Vb de Synodo* c. 3. observavit, Catholicos potuisse sæpe facile a Monothelitarum objectione ex ep. S. Dionysii petita extricare, respondendo illam epistolam, non minus quam alia scripta Areopagitica, suppositiam esse. Hæc responsione usus antea fuerat Hypatius Ephesinus in Collatione Constantinopolitana, in qua primo ab Eutychianis scripta illa Pseudo Dionysiana allegata fuere.

mutationem novæ confirmans Deivirilem amputavit penitus vocem, unam absolute in Christo Deo dogmatizans operationem.

697. Sed quidquid id sit, Theologi triplex operationum genus in Christo distinguunt: primo earum, quæ solius Dei sunt propriæ, ut mundi, atque animarum creatio; & quod Christus dicebat Jo. XIV. 10. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Secundo earum, quæ soli naturæ humanæ conveniunt, velut edere, bibere, pati, mori: tertio earum, quæ mixtæ quodammodo sunt ex utraque natura, ut quando Christus puellam manu apprehendens suscitavit Matth. IX. 25.; contactus enim erat naturæ humanæ, miraculum vero divinæ. Id declaravit S. Cyrillus Alexandrinus ante ortum hæresis Monotheliticæ in ep. ad Acacium Melitinensem, inquiens: *Alia sunt veces, quæ divinæ maxime conveniunt naturæ: aliæ, quæ in humanam naturam congruunt, aliæ medium quendam ordinem tenent, ac Dei filium pariter & hominem simul, & eadem significatione comprehendunt.*

698. Hac posita trium Christi operationum partitione, quæritur, an omnes appellari possint *theandricæ*, seu *Deiviriles?* Fuerunt enim, qui hoc vocabulum ad solas operationes mixtas restringendum putarent. Reipsa Sophronius Jerosolymitanus laudatus Act. XI. Synodi VI. explicans Dionysii verba a Monotheliti objecta, hanc operationem Deivirilem vult non unam esse, sed diversi generis, *utpote quæ divinum simul, & humanum aliquid complexa sit, & elegantissime composita nuncupatione singularum essentiam, & naturam perfecte significet.* Et quidem si quis velit, has Christi operationes mixtas magis propria, seu peculiari quadam ratione appellari *theandricas*, non repugnaverim.

699. Sed tamen concedendum puto, omnes prorsus Christi operationes hoc nomine appellandas esse; quia a divina hypostasi procedebant, duabus naturis conjuncta, quæ quidem aliquando per unam, aliquando per utramque operabatur; & qui operabatur, semper erat Deus homo. Quamobrem duce S. Thoma dicendum est, non solum operationes humanas, quæ ex ratione, ac voluntate procedebant, sed etiam quæ oriebantur ex natura elementi corporalis, sicut ferri deorsum, vel secundum virtutem animæ vegetabilis, sicut nutriri, & augeri; vel secundum partem sensitivam, sicut videre, & audire, appellari debere *theandricas*. „ Quia, inquit Angelicus q. 19. art. 2. „ in homine Jesu Christo nullus erat motus sen„ sitivæ partis, qui non esset ordinatus a ratio„ ne. Ipsæ etiam operationes naturales, & corpo„ rales aliqualiter ad ejus voluntatem pertinebant, „ inquantum voluntatis ejus erat, ut caro ejus a„ geret, & pateretur, quæ sunt sibi propria.“ Has operationes Auctor librorum Areopagiticorum c. II. *de div. nominibus* §. 6. appellavit *humano divinas ἀφράστως συμβάσεις, in quibus nihil commune habuit Pater, ac Spiritus sanctus; nisi quis dicat secundum benignissimam voluntatem.*

700. Verum hic occurrit aliqua difficultas primo intuitu certe magna, scilicet hinc sequi, operationes Christi, quæ dicuntur *theandricæ*, propter naturæ concursum, non solum personæ Verbi, sed toti plane Trinitati esse tribuendas. Ut enim supra diximus, principium quo operandi est natura; natura autem divina una, eademque est in tribus personis.

701. Respondetur autem, quod quemadmodum sola persona Verbi, non obstante identitate naturæ divinæ, carnem sumpsit, ita etiam soli ejusdem Verbi personæ tribuuntur operationes *theandricæ*, quæ proceduut quidem ab ipsius divina natura, sed quatenus est determinata, & modificata a personali Verbi proprietate. Alia vero est ratio de iis operationibus (*a*), quæ uni naturæ divinæ conveniunt, ut miraculorum patratio; hæc enim operatio etiam Patri, & Spiritui S. communis erat, unde Christus dicebat Joan. XIV. 10. *Pater in me manens, ipse facit opera.* Et de his satis (*a*).

APPENDIX.

Honorius I. ab hæresi Monothelitica vindicatur.

702. Quibus artibus, & dolis Honorius Romanus Pontifex a Sergio Constantinopolitano Monotheliturum omnium vaferrimo circumventus fuerit, exposuimus supra n. 629. seq. Quamobrem nihil Monothelitis solemnius, quam Honorii patrocinio gloriari. Ut illorum ora obstrueret Joannes IV. ejusdem Honorii apologiam adornavit, quam ad Imperatorem Constantinum Heraclii filium an. 641. mi-

Neque etiam liquido constat, quid Monothelitæ per operationem *Deivirilem* intelligerent. Macarius enim a Constantino Augusto interrogatus; *Quomodo intelligis Deivirilem operationem?* respondit: *Ego non super judico.* Erant etiam iidem Monothelitæ in sua doctrina admodum inconstantes; de qua inconstantia ipsos semper redarguit Martinus I. in epist. ad Constantem, tum Agatho scribens ad Constantinum; atque etiam Sanctus Maximus in suis disputationibus. Probabile est tamen, eos non admisisse aliam operationem, & voluntatem in Christo, quam divinam, cujus natura humana nonnisi organum fuerit, unde operationes humanas vocabant *passiones*. Utebantur quoque similitudine corporis humani, quod ab anima nutu movetur. Ad incitas vero redacti, totam hanc controversiam silentio sepeliendam esse dicebant.

(*a*) Qui plura de hac theandrica operatione desiderat, adeat Petavium Lib. VII. *de Incarn.* c. 10., & Lud. Thomassinum *de Incarn.* Lib. V. c. 8. seq., atque etiam P. Jo. Franc. Bera. de Rubeis *De Gestis, & Scriptis S. Thomæ* Diss. IX. c. 14. & seq.

misit. Honorii famam etiam tuitus est contra Monothelitas S. Maximus. His non obstantibus, in VI. Synodo generali Honorii nomen inter Monothelitarum antesignanos anathemate proscriptum fuit. Nec postea hujus Pontificis accusatione, aut vindiciis aliquid actum, vel scriptum inveniturusque ad ea tempora, quibus de infallibili Romanorum Pontificum in definiendis fidei controversiis auctoritate disputari cœptum est. Qui enim eam negabant, Honorii exemplo potissimum imitebantur (a).

703. Non defuerunt autem multi, & graves Auctores, qui hujus S. Pontificis vindicias strenue egerunt; verum diversis viis, quas non inutile erit breviter indigitare. Primo autem duo summi viri, & purpurati Ecclesiæ Patres, Cæsar Baronius ad an. 681., & paulo ante ipsum Bellarminus lib. 4. *de Rom. Pontifice* Synodi VI. Acta corrupta fuisse suspicati sunt, & abraso nomine *Theodori* a falsariis quibusdam, qui nullo unquam tempore, præcipue inter Græcos, defuerunt, fuisse intrusum nomen *Honorii*. Quæ tamen sententia paucos patronos invenit. Immo eam in Alberto Pighio Campensi jam reprehenderat Melchior Canus Lib. VI. de *locis theol.* c. 8. „ Ut enim, „ inquit, Honorium tueretur, sextæ generalis Sy„ nodi exemplaria falsarios corrupisse, multis con„ jecturis suadere nisus est. Deinde etiam in eam „ opinionem inclinavit, ut crederet, epistolam Ho„ norii ad Sergium a Græcis de more fuisse vi„ tiatam, Synodum autem in eo judicio decep„ tam " (b).

704. Eamdem nihilominus alia veluti facie renovatam, multaque eruditione fulcitam in lucem revocavit vir doctus Jo. Bapt. Bartholi, olim in universitate Patavina sacr. Canonum Professor, post autem ad Episcopatum Feltriensem evectus in sua polita, & eleganti *Apologia pro Honorio I. Rom. Pontifice* Ausugii 1750. in 4. Contendit autem primo, vitiatam fuisse epistolam Sergii ad Honorium: secundo duarum epistolarum Honorii, quæ in Synodo VI. lectæ sunt, alteram fuisse interpolatam, alteram plane confictam: tertio Episcopos VI. Synodi officio suo defuisse in causa Honorii expendenda, eosdemque præcipiti, atque injusto Honorium anathemate condemnasse: quarto Leonem II. eorumdem Episcoporum judicium minime probasse: quinto adulteria manu corruptam fuisse hujus S. Pontificis epistolam, qua Synodum VI. confirmavit: sexto eadem ratione corruptas fuisse ejusdem Leonis duas epistolas ad Ervigium Regem, & ad Episcopos Hispaniæ: demum ex Romanis Pontificibus S. Leonis successoribus judicium in VI. Synodo contra Honorium prolatum, atque Honorii damnationem suscepisse; quibus omnibus, ut sibi videtur, evidenter demonstratis, non solum *invictum* illud Bossueti argumentum contra summorum Pontificum infallibilem auctoritatem se dissolvisse gloriatur; sed ulterius Honorium Papam ab omni tum hæreseos, tum etiam imprudentiæ, pravæque dispensationis crimine liberasse.

705. Non desunt Theologi, qui ut Honorium absolvant, Synodum VI. condemnare non dubitant, eam nimirum errasse dicentes, non errore fidei, quod fieri nullo modo potest, sed errore facti, epistolis Honorii male intellectis; quod contingere posse, non pauci docent, quorum catalogum texuit Sar. Witasse *de locis theol.*, ubi de Conciliis, q. 9. & *de Incarn.* ubi de Honorio.

706. Denique pauci alii, ut Stapleto, & Gravina, Honorium a fide errasse concedunt, sed solum ut Doctorem privatum, proprio nomine, nec alio conscio, quam amanuensi ad litteras Sergii respondentem. Hi tamen nullum Romanæ Petri Sedi præjudicium inferri asserunt, in quam privatus Honorii error derivari non potest (c).

707. Nobis magis placet communior Theologorum sententia, cui etiam plurimi subscribunt ex iis, qui infallibilem Romanorum Pontificum in definiendis quæstionibus fidei auctoritatem inficiantur, Honorium scilicet nullatenus posse hæresis Monothelitices accusari; fuisse tamen justa anathematis pœna mulctatum, ob inconsultam, & Re-

(a) Ex hoc Honorii exemplo maxime triumphant Ben. Bossuetus, seu quivis alius auctor *Defensionis Declarat. Cleri Gallicani* Lib. VII. alias XII. c. 15. & seq. *invictum* putans inde argumentum deduci, ad probandum, Romanos Pontifices posse in Fidei definitionibus falli; ut nihil dicam de Lud. Ellies Dupinio, de Edmundo Richerio, de Vigorio, aliisque similibus Romanæ Sedis osoribus. Contra quos tamen integra Theologorum cohors Honorii vindicias suscepit; quem *ab hæresi tam vere, quam pie excusari*, probat Nat. Alexander Diss. II. in sæc. VII. prop. 3.

(b) Eam sententiam validissimis argumentis multi refutarunt præter Jac. Bossuetum loco superius laud., præcipue autem Franc. Combefisius in *Historiam Hæresis Monothelitarum*, quæ in Indicem librorum prohibitorum rejecta fuit Decr. S. Indicis Congregat. 20. Julii 1662. Combefisii Dissertationi apologeticæ pro actis VI. Synodi sinceris subscripserant Christianus Lupus in Diss. de VI. Synodo, Nat. Alexander Diss. II. in Sæc. VII., Jo. Garnerius in notis ad Librum *Diarium*, ac plerique alii eruditi; ita ut eminentiss. Cardinalis Orsi pronunciare non dubitaverit, *hodie vix esse, qui Honorium in VI. Synodo damnatum fuisse neget, aut VI. Synodi acta, aliaque vetera monumenta adulterata fuisse contendat.*

(c) Ita præter alios Card. Sfondratus in Opere anonymo, cui titulus *Gallia vindicata* Diss. III. §. II. inquiens: „ Quis enim nescit, epistolas Honorii ad Pyr„ rhum, & Sergium, ob quas hæresis accusatus dici„ tur, *privatas fuisse, non publicas, nec dogmaticas* " .... In hujusmodi vero epistolis errare Pontifices pos„ se, corrigique, non *inficior &c.* " Privatas fuisse & familiares Honorii epistolas, quibus proprium suum judicium Sergio exponebat, non autem solemnia Sedis Apostolicæ decreta, quæ dogmaticam propositæ controversiæ definitionem continerent, multis argumentis ostendit amplissimus Card. Jos. Augustinus Orsi *De irreformabili Rom. Pontif. judicio &c.* Tom. I. c. 22.

Religioni valde noxiam cæpnomiam, qua Monothelitarum errorem non compescuit, ut debebat, sed toleravit (*a*). Sit itaque

PROPOSITIO I.

Honorius I. Romanus Pontifex hæresis Monotheliticæ jure accusari non potest.

708. Prob. primo luculentissimo testimonio Joannis IV. qui post brevem Severini Pontificatum eidem Honorio successit, & qui ipsius apologiam ad Constantinum Imperatorem Heraclii filium misit. Ibi autem postquam Pyrrhi calumnias contra Honorium disseminatas commemorasset, ad eas diluendas ita rem totam exponit: „ Sergius reverendæ memoriæ Patriarcha prædicto sanct. recond. „ Romæ urbis Pontifici (Honorio) significavit, „ quod quidam in Redemptore nostro Domino Je„ su Christo duas *contrarias dicerent voluntates*. „ Quo præfatus Papa comperto, rescripsit ei, „ quia Salvator noster, sicut esset Monadicus u„ nus, ita & valde inicabiliter super omne genus „ humanum conceptus, & natus esset. De sancta quoque ipsius incarnata dispensatione docebat, quia Redemptor noster, sicut esset Deus „ perfectus, *ita esset & homo perfectus* ..... & „ ideirco unam voluntatem, secundum primam „ formationem Adæ *naturalem humanitatis suæ* „ Dominus noster Jesus Christus habere dignatus „ est; *non duas contrarias*, quemadmodum nunc „ nos habere dignoscimur, qui de peccato sumus „ Adæ geniti “.

709. Hæc Joannis explicatio ex ipsa Honorii epistola desumpta est, ubi ita Honorius loquitur: „ Unde & unam voluntatem fatemur Domini no„ stri Jesu Christi, *quia profecto a Divinitate „ assumpta est nostra natura, non culpa, illa „ profecto, quæ ante peccatum creata est, non „ quæ post prævaricationem vitiata* “. Et postquam explicasset legem peccati, quæ secundum Apostolum est in membris nostris, ita pergit: „ Non est itaque assumpta, sicut præfati sumus, „ a Salvatore vitiata natura, *quæ repugnaret le„ gi mentis ejus* ..... non lex alia in membris, „ *aut voluntas diversa non fuit, vel contraria „ Salvatori*, quia super legem natus est humana „ næ conditionis “. En qualem voluntatem a Salvatore nostro excluserit Honorius, voluntatem scilicet carnis repugnantem *legi mentis*, & quæ ex peccato originis in nobis est; non autem Christo eam *naturalem* voluntatem adesse, quam Adam habuit ante prævaricationem, & sine qua natura humana perfecta non est.

710. Hoc modo mentem Pontificis exposuit etiam S. Maximus in Dialogo cum Pyrrho, & in epist. ad Marinum, addens etiam testimonium Abbatis Joannis viri sanctissimi, qui eamdem epistolam Honorii ipse scripserat, & qui protestabatur, solum fuisse a Jesu Christo exclusum *voluntatem carnis*: quæ voluntati rationis contradicit, & quæ ex Adæ peccato oritur. „ *Unam*, inquiebat Joanna „ Honorii amanuensis, *voluntatem Domini dixi„ mus*, non divinitatis ejus, & humanitatis, *sed „ solius humanitatis*. Cum enim scripsisset Ser„ gius, esse qui dicerent in Christo duas *contra„ rias* voluntates, carnis (inquam), & spiri„ tus; sed unam tantum, quæ naturaliter, hu„ manitatis ejus nota essentialis est. “ Hæc sufficiunt, ut Honorius ab hæresi Monotheliticarum vindicetur, quantum attinet ad unam voluntatem, quam ipsi prædicabant sensu omnino diverso, scilicet excludendo naturalem humanitatis voluntatem, & solum divinam agnoscendo.

711. Multo facilius, ut puto, purgatur Honorius ab altero Monotheliticæ sectæ errore, unius nempe in Christo operationis. Primo enim nullibi in suis litteris dixit, unam esse tantummodo Christi operationem; sed unum voluit prædicari *operatorem*. *Quia*, inquit in *epist. I. ad Segerium* n. 6., *Dominus Jesus Christus, Filius, ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit* unus, & idem operans *divina, & humana plene; sacræ litteræ luculenter demonstrant*. *Utrum autem propter opera divinitatis, & humanitatis una, an geminæ operationes debeant derivatæ dici, vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare*.

712. Deinde duas Christi, & distinctas operationes antea luculenter expresserat, dicens n. 2. *Confitentes Dominum Jsum Christum mediatorem Dei, & hominum*, operatum divina media humanitate, *Verbo Deo hypostatice unita, eumdemque operatum humana ineffabiliter, atque singulariter assumpta carne, discrete, inconfuse, atque inconvertibiliter plena divinitate*. *Et in altera epistola adhuc clarius: Quantum, inquit, ad*

art. 2., ex regulis potissimum, quas doctissimus Petrus Constantius statuit *Præf.* in *Epist. Roman. Pontium.* 33., ut solemnes Apostolicæ Sedis definitiones a Privatis sententiis Pontificium judiciis, & responsis secernantur. Non tamen concedit laudatissimus hic Pontificiæ infallibilitatis Defensor, Honorium in privatis, ac familiaribus hisce epistolis a recta fidei doctrina recessisse, quamvis improvido pacis, & concordiæ conservandæ studio imprudenter erraverit.

(*a*) Hanc sententiam propugnant quamplurimi Ecclesiæ Gallicanæ Theologi, ut Nat. Alexander Diss. II. in Sec. VII., Steph. Baluzius in vita Petri de Marca n. 72. (ubi narrat, eumdem Petrum propter adversam valetudinem non potuisse epistolam scribere, quam promiserat, ad Honorium a labe hæreseos Monotheliticæ purgandum), P. Jo. Garnerius Diss. II. ad *Librum diurnum* Rom. Pontificum, & in Append. ad ejusdem notas, Lud. Thomassinus in Præf. ad Lib. X. *de Incarn.* & in Diss. XX. in Synodum VI. œcum. Carolus Witasius, Honoratus Tournely &c.

ad dogma ecclesiasticum pertinet .... non unam, vel duas operationes in mediatore Dei, & hominum definire; sed utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus. Et divinam quidem, quæ Dei sunt, operantem; & humanam, quæ carnis sunt, exequentem, non divise, neque confuse, aut convertibiliter Dei naturam in homine, & humanam in Deum conversam edocentes; sed naturarum differentiam integram confitentes. Quæ verba ex celebri illa S. Leonis dogmatica epistola, cujus sæpe contra Eutychianos mentionem fecimus, desumpta sint, inquit enim S. Leo; *Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, carne exequente, quod carnis est.*

713. Ex his, aliisque momentis hæc de Honorii fide controversia ab eruditis accuratius pertractata fuit, atque in tanta evidentiæ luce posita, ut teste Jo. Garnerio, *pauci numero, iique suspectæ aliunde fidei, vel non maxime auctoritatis Honorium Monothelismi damnent.*

714. Obj. primo, Honorius Sergii doctrinam approbavit; ita enim in prima epistola ipsum alloquitur: *Hæc nobiscum Fraternitas vestra prædicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter prædicamus;* sed nemo dubitat, Sergium fuisse Monothelitam, immo unum ex primis hujus Pestiferæ sectæ antesignanis: ergo &c. Idem Honorius Sophronio vere orthodoxo, tamquam novatori, & pacis perturbatori restitit; adeoque &c.

715. Resp., Honorium in eo peccasse, quod permiserit, se dolosis Sergii verbis decipi, Hic autem in sua epistola n. 9. scripserat, aliquos *prædicare duas voluntates* (in Christo), *contrarietates circa invicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo salutarem volenti adimplere passionem, humanitate vero ejus obsistente ejus voluntati, & resistente, & perinde duo contraria volentes introducantur, quod impium est.* Ut huic imaginario errori se oppooeret Honorius, Sergio fidem incaute adhibens, eidem se unanimiter consentire significavit; eumdem tamen hortari non prætermittens, *ut unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum, divinitus, atque humanitus fide orthodoxa, & unitate catholica* una secum prædicaret.

716. Eadem Sergii fraude circumventus Honorius credidit, a Sophronio *novas vocum quæstiones introductas;* nondum enim ejusdem Sophronii litteras acceperat; quem dicit *solum ex auditu* se habere, ex Monacho Episcopum Jerosolymitanæ urbis constitutum. Credidit insuper Honorius Sergio dicenti, Sophronium a se *multiformiter eruditum*, & silentii de una, vel duabus operationibus lege fuisse *contentum;* ne scilicet ex hujusmodi disputationibus aut Nestorianam, aut Eutychianam hæresim suscitandi occasio præbeatur. Qua quidem in re præcipitis credulitatis reus Honorius habendus est, non autem hæresis Monothelitiæ.

717. Dices. Honorius unam Christi voluntatem simul cum Sergio prædicans, non solum voluntatem sensualitatis contrariam legi mentis, sed etiam voluntatem naturalem humanitatis a Christo ablegavit. Nam ea Scripturæ testimonia, quibus S. Patres ad duplicem in Christo voluntatem adstruendam usi sunt, sinistra interpretatione elusit, inquiens in I. epist. n. 4.: „ Et si quidem scriptum „ est: *Non veni facere voluntatem meam, sed „ ejus, qui misit me, Patris. Et non quod ego „ volo, sed quod tu vis Pater*, & alia hujusmodi, *non sunt hæc diversæ voluntatis, sed dispensationis assumptæ.* Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, ut sequamur vestigia ejus. “

718. Resp. non hæc tantum verba Honorii esse expendenda, sed etiam proxime antecedentia, quæ supra retulimus n. 709., & quibus manifestissime patet, Summum Pontificem nomine voluntatis humanæ, quam a Christo ablegatam volebat, non intellexisse, nisi voluntatem carnis repugnantem legi mentis, & quæ naturæ propria est: unam ergo voluntatem statuit Honorius, sed *humanitatis;* alteram voluntatem rejicit, sed *carnis.*

719. Dices secundo. Etiam Sergius in sua epistola se negare dicebat duas in Christo voluntates, quia *impossibile est, in uno, eodemque subjecto duas simul, & erga hoc ipsum contrarias subsistere voluntates.* Macarius item omnium Monothelitarum pervicacissimus Act. VIII. Synodi VI. eamdem causam prætexebat, cur duas voluntates a Christo removeret; immo Honorio se convenire protestabatur: neuter tamen ab hæresi Monothelitica vindicari potest: ergo pariter Honorius &c.

720. Resp., Monothelitas sub prætextu *contrarietatis* naturalem, & innoxiam Christo voluntatem abstulisse. Perspicua sunt ea Macarii verba in Act. VI., ubi professus se consentire Honorio, Sergio, Paulo, & Petro, Monothelitarum principibus, procaciter respondit: „ Non dico duas *naturales* voluntates, aut duas operationes *naturales* in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, nec si membratim incidar, & mittar in mare. “ Longe aliter locutus est Honorius.

721. Obj. tertio. Non alia ratione defenditur Honorius ut orthodoxus, nisi quia in sua ep. ad Sergium confitetur, unum quidem esse operatorem Jesum Christum, sed ipsum operatum esse in utraque natura, ad mentem S. Leonis magni, cujus ipsa verba usurpat. Hoc autem non sufficit, quia etiam Sergius iisdem verbis usus est in epistola ad Cyrum, quem tamen a Monothelitica pravitate nemo excusat: ergo &c.

722. Resp., pravum Sergii sensum manifeste apparere tum in epist. ad Cyrum, tum etiam in

alia ad Honorium. In prima enim, quæ examinata fuit, & reprobata in Concilio Lateranensi sub Martino I. „ dicebat, eumdem unum Christum „ operari Deo decibilia, & humana *una operatione*; “ ad quam impiam suam propositionem confirmandam verba S. Leonis Papæ detorquebat (*a*). In altera autem epistola ad Honorium hæc inter alia scripsit: „ Operatur quippe vere Deitas „ per corpus, quod circa ipsum est, omnium salutem, *ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio*. “ Quæ mirum profecto est, non fuisse ab Honorio animadversa, reprobata, & damnata, quam ejus negligentiam non defendimus: non fuisse tamen ab eo approbata, liquido constat ex ejusdem responso, in quo longe alia adhibentur verba, quibus non sola *passio*, sed vera operatio humanæ naturæ exprimitur, licet numeris *duarum* operationum reticeatur.

723. Dices. Hæc ipsa reticentia erat hæretica, nam ut hæretica fuit damnata in Sergio, in *Ecthesi* Heraclii, & in *Typo* Constantis: multo ergo magis damnari debebat a summo Pontifice, qui orthodoxam fidem non silentio opprimere, sed nitide, & palam prædicare debebat.

724. Resp., Sergium, *Ecthesim*, ac *Typum* damnari meruisse, non solum propter silentium duplicis operationis in Christo; sed quia hoc silentio tam Sergius, quam Heraclius, & Constans hæresim Monotheliticam quam corde nutriebant, subsistere, immo, & vires acquirere curabant. Non sic autem Honorius, qui solum utilis œconomiæ falsa specie deceptus, huic silentio imprudenter consensit. Et quia suo pastorali officio defuit, fuit etiam & a Synodis, & a summis Pontificibus suis successoribus jure damnatus, ut mox videbimus.

PROPOSITIO II.

Honorius fuit in Synodo VI., & a Leone II. damnatus, non tamen propter hæresim Monotheliticam, sed propter inconsultam œconomiam, qua usus est, supprimendo vocabula duplicis voluntatis, & operationis.

725. Prob. prima propositionis pars ex Actis ejusdem Synodi, in quibus non semel, sed iterato, & sæpius Honorio anathema dictum est, ejusque nomen simul cum nominibus Sergii, Cyri, Theodori, aliorumque Monotheliticæ pravitatis principum condemnatum. Hæc autem Acta corrupta & depravata fuisse, ut amplissimis duumviris Bellarmino, & Baronio, aliisque paucis visum est, nulla ratione persuaderi potest.

726. Nam primo omnes Patriarchæ suos Notarios habebant, qui acta exciperent, & describerent, ut eadem possent ad suas Diœceses deferre. Præ ceteris autem Legati Apostolici sategere debuerunt, ut eorumdem Actorum sinceerum, atque authenticum exemplar secum Romam deferrent, in scriniis Sanctæ Sedis custodiendum. Ac certe Leo II. eamdem Synodum recipiens, & approbans, omnia actu intueri, atque examinare debuit. Ac demum Constantinus Pogonatus, qui post omnes Episcopos fidei definitioni subscripsit, suoque sigillo eamdem munivit, omnia acta in suo Imperiali Archivio deposuisse, & conservasse, credi omnino debet, ne cui fraudi locus esset. Reipsa Act. VIII. Patres consuetas acclamationes ita Imperatori supplicarunt: *Ad majorem orthodoxæ fidei stabilitatem & confirmationem, ut subscripta exempla definitionis relectæ, præsente vestra Serenissima Potestate, edantur quinque Patriarchalibus Sedibus una cum pia vestra subsignatione*. Quod executioni mandatum fuisse, dubitari minime potest; cujus executionis etiam testem habemus Agathonem Diaconum, & Thesaurarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ (in *Peroratione* edita a P. Franc. Combefisio in Auctario Biblioth. Sanct. Patrum). Jam vero qua fronde, aut qua arte potuerunt tot authentica exemplaria adulterari, ut nomen Honorii non semel, aut iterum, sed sæpius intruderetur?

727. Præterea Leo II. in epist. ad Constantinum Imperatorem, qua Synodum VI. confirmavit; post Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Constantinopolitanos Patriarchas, anathemate peculit etiam Honorium, *qui*, inquit, *hanc Apostolicam Ecclesiam, non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana prodizione immaculatam maculari permisit*. Atque idem Leo II. Acta Concilii VI. ad Episcopos Hispaniæ misit an. 684., utique sincera, & incorrupta, una cum epistola, in qua Honorium inter alios damnatum fuisse memorat.

728. Eadem vero Honorii condemnatio in duabus subsequentibus Synodis VII., & VIII. renovata est; ejusque condemnationis memoria apud multos Scriptores omnium sæculorum perpetuo conservata: ut si hac de re dubitare liceat, nihil fere sit amplius in historia certum.

729. Sed non levis est difficultas in determinanda hujus damnationis causa, omnibus tamen inspectis ac bene perpensis, apparet, Honorium Rom. Pontif., non propter hæresim Monotheliticam, a qua eumdem fuisse immunem probavimus, sed unice propter inconsultam œconomiam, quæ ad præcavenda imaginaria, & fictitia dissidiorum pericula, exoptatum a Monothelitis silentium

(*a*) S. Martinus in Secretario IV. Concilii Lateranensis Monothelitas redarguit, quod S. Leonis *vocem ausi sint violare*; ea enim S. Pontificis verba „ *operatur utraque natura cum alterius communione, quod proprium est*, imprudenter *unam* Domini significare „ dixerunt *operationem*. “ Ita callidi hujus veteratoris, ejusque Symmistrarum dolos S. Martinus detexit.

tum uniuſ, vel duarum operationum approbavit. Eoque magis ejus damnanda erat negligentia, quod inſidioſæ & fraudulenti Sergii epiſtolæ ſolus reſponderit, cum tamen ipſius Prædeceſſorum laudabilis conſuetudo ſemper fuerit, ut in rebus gravioribus conſilium prudentium exquirerent, immo etiam Synodos nonnullorum Epiſcoporum congregarent, nullamque diligentiam omitterent, cum ad Hæreticorum ſenſus, & dolos detegendos, tum ad vivam & Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ doctrinam conſervandam. Propter hanc negligentiam, & imprudentem œconomiam, non autem propter hæreſim, fuiſſe Honorium anathemate perculſum.

730. Prob. primo ex Leone II., qui in epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, qua Synodum ſua auctoritate juxta Patrum petitionem confirmavit. „ Anathematizamus, inquit, novi erroris inventores, idest Theodorum Pharanitanum Epiſcopum, „ Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, „ Paulum, Petrum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ „ ſubſessores, magis quam præſules: necnon & „ Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam, „ non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtravit, *ſed „ profana proditione immaculatam maculari permiſit*“. Et clarius adhuc in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ Monothelitarum Principibus conjungit Honorium, *qui flammam hæretici dogmatis non ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit*; tum in alia ad Erviginm Hiſpaniæ Regem ſcribit, Honorium quoque fuiſſe de catholicæ Eccleſiæ adunatione projectum, *qui immaculatam Apoſtolicæ traditionis regulam quam a prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari conſensit*. Eo totum Honorii crimen, propter quod excommunicationis ſententiam promeruit (*a*).

731. Prob. ſecundo ex Conſtantini Pogonati edicto, quo Concilii acta ſua imperiali poteſtate communivit, ubi dicit: „ Super hæc omnia anathematizamus eos, qui ſupervacuorum & novorum dogmatum hæretici auctores, atque *fautores* „ ſunt. Dicimus autem Theodorum &c. ... Ad „ hæc & Honorium, qui ſuit antiquæ Romæ Papa, *horum hæreſeos in omnibus fautorem, „ conſursorem, atque confirmatorem*.“ Ubi Auguſtus, qui Concilio præſens fuit, omnimque in eo geſtorum appriſne conſcius, non ſine cauſa diſtinxit inter auctorem hæreſeos, ejusdemque *fautorem, conſursorem, ac confirmatorem* Honorium: quæ diſtinctio otioſa foret, ſi ejusdem hæreſis fuiſſet reus.

732. Eadem diſtinctio inventur poſtea in *Libro diurno Romanorum Pontificum*. In profeſſione enim Fidei, quam novus electus Pontifex emittere debebat: inventur receptio Sancti univerſalis Concilii Sexti, in quo damnati perpetuo anathemate fuere *auctores*, & *fautores* erroris: nominantur poſtea isti auctores novi hæretici dogmatis Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus Conſtantinopolitani, & tandem ſubditur: *una cum Honorio, qui pravis eorum aſſertionibus fomentum impendit* (*b*).

733. Obj. In Synodo VI. Honorius ſine ulla prorſus diſtinctione damnatus fuit, non minus, quam ceteri Patriarchæ Monothelitarum duces. Præterea examinatæ ibidem fuere duæ Honorii epiſtolæ ad Sergium, & judicatæ ſunt *alienæ ab apoſtolicis dogmatibus, & a definitionibus Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, ſequi vero falſas doctrinas Hæreticorum*. Tertio dicitur Honorius *mentem Sergii in omnibus ſecutus, & impia ejus dogmata confirmaſſe*. Quarto in Act. XVIII. vocatur *organum Dæmonis*, non minus quam Theodorus, Sergius, Pyrrhus, aliique, per quos *unius voluntatis, & operationis in duabus naturis Chriſti hæreſim in populum ſparſit*. Quæ omnia certe evincunt, Honorium, ut vere hæreticum, fuiſſe condemnatum.

734. Resp. hæc eſse intelligenda non in rigido, & litterali verborum ſono, ſed temperanda, & mitiganda ſecundum explicationem factam a Leone II. in epiſtola Synodi VI. confirmatoria, & etiam a Conſtantino Auguſto, & ab aliis, prout ſupra explicatum eſt. Mirum autem videri non debet, fuiſſe Honorium eadem pœna mulctatum, ac hæreſis auctores, quia licet non eodem ipsissimo, pars tamen crimine obſtrictus erat; ſic enim S. Cœleſtinus I. ſcribebat ad Epiſcopus Galliæ: „ Timeo, ne connivere ſit hoc tacere; timeo, ne „ magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occerreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. *Merito namque cauſa non „ reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori*. “ Hæc autem S. Cœleſtini verba peculiari quadam ratione Romano Pontifici conveninut, cui in persona S. Petri præceptum eſt: *Confirma fratres tuos*.

735. Hoc itaque ſenſu Honorius primo meruit, ut ipsius nomen cum nominibus Hæreticorum in anathematismis confunderetur: quamvis poſtea debita diſtinctio facta eſt. Secundo ejusdem epiſtolæ dictæ ſunt *alienæ ab apoſtolicis dogmatibus* &c., quia iis edocemur, errores eſse illico reſecandos, non ignavia, & tolerantia fovendos. Tertio

(*a*) Has quidem duas Leonis II. litteras interpolatas fuiſſe, probare conatur eruditus Feltrienſis Epiſcopus Jo. Bartholi cap. 27. ſuæ pro Honorio Apologiæ, ſed argumentis non admodum firmis, ut ego vor. Et ſi semel hæc methodus ſuſcipiatur, ut quædam conjecturæ ſufficiant ad vetera monumenta in dubium revocanda, facile aditus Pyrrhonismo Harduiniano aperiretur.

(*b*) Hic liber appellatus eſt *diurnus*, eo quod illa contineat, quæ in usu quotidiano erant in Romana Eccleſia. Illum primus Romæ vulgavit Lucas Holſtenius an. 1658.; deinde P. Jo. Harnerius iterum cum ſuis annotationibus eumdem edidit ex altero manuſcripto Pariſiis 1680.

tio mentem Sergii Honorius secutus dicitur, silentium indicendo, quod Sergius postulabat. Demum fuit suo modo etiam Honorius organum diaboli, ad hæresim Monotheliticam spargendam, quia eum eam in ipsa sua nativitate præsecare debuisset, eamdem dilatari intempestiva tolerantia permisit (*b*).

736. Dices. Adrianus II. in suo Concilio Romano intolerabilem Photii præsumptionem damnans, qui Nicolaum I. anathematizare ausus fuerat. „ Romanum Pontificem, inquit, de omnium „ Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de „ eo vero quemquam judicasse non legimus. Li„ cet enim Honorio ab Orientalibus post mortem „ anathema dictum sit, sciendum tamen est, *quia* „ *fuerat super hæresi accusatus*, propter quam „ solam licitum est minoribus majorum suorum „ motibus resistendi " &c. Censuit igitur Adrianus Honorium propter hæresim fuisse accusatum, & condemnatum.

737. Resp., hæc Ariani verba nihil plus significare, quam alia superius allata Synodi VI. & Leonis II., scilicet fuisse judicatum, & condemnatum Honorium *super hæresi*, non quasi ea infectus fuerit, sed quia eam sua negligentia grassari permisit. Ceterum minime prætereunda sunt ejusdem Pontificis verba, quibus ita prosequitur: „ quamvis nec ibi, nec Patriarcharum, nec ce„ terorum Antistitum cuipiam de eo fas fuerit pro„ ferendi sententiam, *nisi ejusdem primæ Sedis* „ *Pontificis consensus præcessisset auctoritas*. " Unde sequitur „ Orientalium sententiam contra „ Honorium latam a Leonis confirmatione totum „ suum robur accepisse. " Leo autem II. luculenter exposuit, quo sensu Honorius, ut hæreticus fuerit condemnatus; scilicet non ut auctor hæreseos, sed quia ipsam sollicite extinguere neglexit.

738. Scholion. Antequam hanc Honorii apologiam absolvam, non puto inutile observare simul cum doctissimo Petro Ballerino in Libro singulari *De vi, ac ratione Primatus Rom. Pontificum* c. 15. §. 9., hunc deplorabilem Honorii lapsum, qui non dogmaticæ definitionis fuit, sed omissionis, subreptionis, improvidæ credulitatis, & inconsultæ œconomiæ, nullum præjudicium afferre ei promissioni Christi: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua* Lucæ 22. 32., ex qua etiam in Petri successoribus Romanis Pontificibus indefectibilis judicandi de rebus fidei potestas derivata est. Distinguenda est enim in eo textu promissio Christi, ne deficiat fides Petri, etiam in successores transmittenda, a præcepto eidem, ejusque successoribus imposito: *Confirma fratres tuos*. Promissio Christi deficere non potest: præceptum autem potest aliquando violari, ut reipsa ab Honorio violatum est, quia nulla ejusdem præcepti semper adimplendi promissio a Christo est facta.

DISSERTATIO IV.

De Christo Redemptore, ac Mediatore nostro.

1. Postquam in superioribus tribus Dissertationibus, quantum necessaria brevitas permittebat, egimus primo de necessitate, & causis Incarnationis Dominicæ; deinde de ejusdem Incarnationis essentia, ac partibus eam componentibus; tertio vero de duarum naturarum in una Christi persona hypostatica unione, ejusdemque unionis consectariis, reliquum modo est, ut de termino hujus ineffabilis Mysterii agamus, scilicet de Christo ut nostro Redemptore, ac Mediatore, quod basim, & fundamentum nostræ Christianæ Religionis continet.

2. Hanc capitalem veritatem prorsus ignorarunt Gentiles, quamquam & illi sacrificiis piacularibus placanda esse Numina, nec sufficere internam pœnitentiam ad expianda peccata, passim credebant; unde universalis plane erat victimarum pro peccatis oblatio (*a*).

3. Eamdem redemptionis humanæ veritatem inficiantur Judei carnales, qui nec Jesum Nazarenum recipere voluerunt; nec alium expectant Messiam, nisi in potentia armorum, ad restituendum temporale regnum Israel; non autem ad satisfaciendum divinæ justitiæ pro nostris peccatis.

4. Porro utrisque dimissis in hac Dissertatione solum cum Christianis agemus, qui beneficium redemptionis nostræ a Jesu Christo peractæ aut tollunt omnino, aut saltem imminuunt. Absolute autem de Christi redemptione tractatu, de eodem Christo, ut nostro Mediatore agemus. Sit itaque

CAPUT I.

An necesse fuerit Christum incarnari, & pati pro liberatione generis humani a servitute peccati.

5. Breviter est præmittendum, potuisse Deum ex infinita sua justitia totum genus humanum peccato originali infectum, ac propterea sibi inimicum in sua miseria, ac calamitate deserere. *Universa*, inquit S. Aug. *de natura & gratia* c. 5. T. X. *massa* (hominum) *pœnas debet, & si*

(*a*). Sunt, qui credunt, Honorium non ab ipsa Synodo damnatum, sed tantummodo ab Episcopis Orientalibus in Synodo existentibus anathema illud in Honorium prodisse. Reipsa Anastasius Bibliothecarius in epist. ad Jo. Diaconum Romanum „ *Quis erit*, in„ quit, *qui nobis dicat, utrum Honorius* pro certo di„ xaverit epistolam, de qua illum anathematizandi „ fomitem *calumniatores susceperunt*? " Sed Anastasius post duo fere sæcula scribens nimis sero hac de re dubium movere aggressus est.

(*b*) Vide quæ diximus T. I. p. 93. & seq.

si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste proculdubio redderetur. Hinc sacræ litteræ, iisque concordes SS. Patres redemptionem nostram, ut maximum infinitæ misericordiæ beneficium, commendant. *In hoc apparuit*, inquit S. Jo. in 2. ep. IV. 9. *charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum.* Solum ergo controverti potest, an supposita hac misericordiosissima Dei benignitate liberandi homines a peccato, necesse fuerit Verbum incarnari, & pati.

6. S. Thomas 3. P. q. 46. art. 2. de passione Christi, ejusque necessitate agens, primo observat ex Philosopho, necessarium multipliciter dici; nempe primo aliquid ita necessarium dicitur, ut secundum sui naturam impossibile sit, aliter se habere; *& sic manifestum est*, inquit, *quod non fuit necessarium Christum pati, neque ex parte Dei, neque ex parte hominis.*

7. Alio modo, pergit Angelicus, dicitur aliquid necessarium ex „ aliquo exteriori: quod quidem „ si sit causa efficiens, vel movens, facit *necessitatem coactionis;* ut cum aliquis non potest „ ire propter violentiam detinentis ipsum. Si vero illud exterius, quod necessitatem inducit, sit „ *finis*, dicetur aliquid necessarium *ex suppositione finis*, quando scilicet finis aliquis aut nullo modo potest esse, aut non potest esse convenienter, nisi tali fine præsupposito. " *Non ergo*, concludit S. Doctor, *fuit necessarium, Christum pati necessitate coactionis, neque ex parte Dei, qui Christum definivit pati; neque etiam ex parte ipsius Christi, qui voluntarie passus est.* Ex hac S. Thomæ doctrina statuitur sequens

PROPOSITIO I.

Non fuit absolute necesse, Jesum Christum pro liberatione generis humani carnem assumere, & mortem subire.

8. Prob. 1. hæc propositio anctoritate S. Augustini (quam affert S. Thomas laud. qn. 46. art. 2.); hic enim S. Pater LXIII. *de Trin.* c. 10. T. VIII. iis, qui quærebant, an Deo defuerit alius modus, qui liberaret homines a miseria mortalitatis hujus, qui vellet, Filium suum unigenitum induere humanam animam, & carnem, & mortem perpati? respondet *non alium modum possibilem Deo fuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent;* quamvis postea subdat: *sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum aliam non fuisse, nec esse oportuisse.* Quod nonnullis rationibus demonstrat. Quod idem aliis locis Sanct. Pater confirmat. Vide sup. Dissert. I. n. 110. pag. 101.

9. Præmissa autem hac Sancti Augustini anctoritate ita pergit Sanctus Thomas non hanc declarare. „ Aliquid potest dici possibile, vel i ipsa„ sibile dupliciter: uno modo *simpliciter*, & ab„ *solute*; alio modo *ex suppositione*. Simpliciter „ ergo, & absolute loquendo, possibile fuit Deo „ alio modo hominem liberare, quam per pas„ sionem Christi, quia *non est impossibile simul „ Deum omne verbum*, ut dicitur Lucæ I. 37. „ Sed ex aliqua suppositione facta, fuit impossibile. Quia enim impossibile est Dei præscientiam falli, & ejus voluntatem, seu dispositionem cessari, supposita præscientia, & præordinatione Dei de passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati, vel hominem „ alio modo, quam per ejus passionem liberari. "

10. Haud difficile esset, multis veterum Patrum testimoniis Sancti Thomæ doctrinam confirmare. Sed nobis sufficiant, quæ eorumdem Patrum ultimus Sanctus Bernardus habet in epistola 190. contra errores Petri Abaelardi, ubi *Qui neget*, inquit, *Omnipotenti ad manus fuisse alios modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis? Verum hoc non præjudicat hujus, quem e multis elegit, efficaciæ* (a).

PROPOSITIO II.

Fuit tamen conveniens misericordiæ & justitiæ Dei, hominem liberari per passionem Jesu Christi.

11. Id probat Angelicus laud. qu. 46. art. 1. inquiens, huisse conveniens justitiæ ejus, quia per passionem suam Christus satisfecit „ pro peccato „ humani generis; & ita homo per justitiam Christi liberatus est: misericordiæ vero, quia cum homo per se satisfacere non posset pro peccato totius humanæ naturæ (ut supra dictum est quæst. 1. art. 2.) Deus ei satisfactorem dedit „ Filium suum, secundum illud Roman. III. 24. „ *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem „ posuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Et hoc fuit abundantioris misericordiæ, quàm si peccata absque satisfactione „ dimisisset. Unde dicitur Ephes. 4. *Deus, qui „ dives est in misericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* "

12. Immo in corpore articuli ostendit, fuisse necessarium, ut Christus pateretur, *necessitate finis*,

(a) Non defuerunt inter Lutheranos, & Calvinianos, qui ut Socinianis acrius sese opponerent, necessariam *omnino*, & *absolute*, fuisse pronunciarunt Christi passionem, & mortem. Ita Christianus Weismanus Lutheranus in *Institut. Theolog. exegetico dogmatica*; & Cantius in *Compendio Theolog. purioris*. Ex Calvinianis Petrus Jurieus in Opusc. *De natura, & gratia*. Commuuiter tamen alii Acatholici nobiscum confitentur solam necessitatem *hypothetieam*.

nis, triplici de causa. „ Primo quidem ex parte „ nostra, qui per ejus passionem liberati sumus, „ secundum illud Joannis III. 14. *Oportet exal-* „ *tari filium hominis, ut omnis, qui credit in* „ *eum; non pereat, sed habeat vitam æternam.* „ Secundo ex parte ipsius Christi, qui per hu- „ militatem passionis meruit gloriam exaltationis, „ & ad hoc pertinet, quod dicitur Lucæ ult. 26. „ *Nonne oportuit, Christum pati, & sic intra-* „ *re in gloriam suam?* Tertio ex parte Dei, „ cujus definitionem circa passionem Christi præ- „ nuntiatam in Scripturis, & præfiguratam in ob- „ servantia (fortasse *observantiis*) veteris testa- „ menti oportebat impleri. Et hoc est, quod di- „ citur Lucæ XXII. 21. *Filius hominis secun-* „ *dum quod definitum est, vadit.* Et Lucæ ult. „ 44. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos,* „ *cum adhuc essem vobiscum, quoniam neces-* „ *se est, impleri omnia, quæ scripta sunt in* „ *Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me;* „ *quoniam sic scriptum est, & sic oportebat* „ *Christum pati, & resurgere a mortuis.* " Ita Angelicus perspicue explicat, & quomodo *absolute*, & *simpliciter* Christi passio necessaria non fuerit ad liberandos homines a peccato, & quo- modo nihilominus fuerit conveniens, immo ex præ- suppositione finis etiam necessaria.

13. Et in art. 3. probat, nullum fuisse *conve-* *nientiorem modum* ad liberationem humani gene- ris, quam per passionem Christi. Id autem ex eo ostendit, quod ex Christi passione præter libera- tionem a peccato plura alia bona in nos promana- rarunt. *Primo* enim cognoscentes, quantum Deus nos dilexerit, provocamur ad eum vicissim dili- gendum; in quo perfectio humanæ salutis consi- stit: unde Apostolus dicit Romanorum 8.: *Commen-* *dat autem charitatem suam Deus in nobis, quo-* *niam cum adhuc peccatores essemus .... Christus* *pro nobis mortuus est. Secunda* habemus exem- plum obedientiæ, humilitatis, constantiæ, justi- tiæ, & ceteratum virtutum in passione Christi o- stensarum. *Tertio* non solum per Christi passio- nem liberati sumus a peccato, sed etiam gratiam justificantem, & gloriam beatitudinis ipse nobis promeruit &c. Alias affert Sanctus Doctor hujus convenientiæ rationes Lib. IV. *contr. Gent.* c. 54.

14. Obj. contra primam Proposit. Multi Patres aperte docent, necesse omnino fuisse, Deum car- nem sumere, pati, & mori ad liberandum genus humanum a peccato. Inter alios eminet Sanctus Anselmus, qui in opere, quod inscripsit *Cur Deus homo?* hoc ponit Lib. I. cap. 10. principium: *Sic-* *ut in Deo quantumlibet parvum inconveniens* *sequitur impossibilitas: ita quantumlibet parvam* *rationem, si majori non vincitur, comitatur ne-* *cessitas.* Ex hoc autem principio eruit, non po- tuisse Deum peccatum hominibus sine debita satis- factione dimittere, quia hoc esset indecens ejus- dem justitiæ; & concludit: *Necesse est ergo, ut* *aut ablatus honor solvatur, aut pœna sequatur:* *alioquin aut sibi ipsi Deus justus non erit, aut* *ad utrumque impotens.* Nonnulli alii Sancti Pa- tres eandem passionis Christi necessitatem asseru- erunt. Eos recenset Car. Witasse *de Incarnat.* Q. II. sect. 4. assert. 2.

15. Resp., Sanct. Anselmum, & plerosque alios Patres loqui non de necessitate absoluta, quasi Deus non potuerit absolute homines aut in sua mi- seria deserere, aut eos a peccato liberare sine Fi- lii sui incarnatione, & passione, sed de necessi- tate hypothetica, & conditionata, qua decreverat, homines a peccatis non liberare, nisi exhibita prius pro ipsis integra, atque ad justitiæ nume- ros exacta satisfactione. Certe ipse S. Anselmus in Lib. II. ejusdem operis c. 26. docet, *impropric* *dici, Deum aliquid non posse, aut ex necessi-* *tate facere;* cujus doctrinæ rationem hanc reddit cap. seq.: *Omnis quippe necessitas, & impossi-* *bilitas ejus subjacet voluntati: illius autem vo-* *luntas nulli subditur necessitati, aut impossibili-* *tati. Nihil enim est necessarium, aut impossi-* *bile, nisi quia ipse ita vult.* Similiter facile con- ciliantur secum ipsi Sancti Patres: & cum dicunt, necessariam fuisse incarnationem, & mortem Fi- lii, ut homines a peccato liberarentur, intelligi debent de necessitate hypothetica: cum vero asse- runt, potuisse nihilominus Deum multis aliis mo- dis nos a peccato liberare, ut jus ad gloriam cul- pa nostra deperditum postliminio recuperaremus, necessitatem absolutam excludunt (a).

16. Dices. Deus *seipsum negare non potest*, ut inquit Apostolus 2. ad Timoth. II. 3.; seipsum autem negaret, si justitiam suam negaret, cum ipse sit sua justitia: ergo Deus non potuit homi- nes a peccatis liberare, nisi prius exhibita plena, & integra suæ justitiæ satisfactione; hæc autem nonnisi per incarnationem, & mortem Filii sui exhiberi poterat, adeoque &c.

17. Respondet Sanctus Thomas hac quæst. 46. art. 2. ad 3. „ quod hæc etiam justitia dependet ex voluntate divina, ab humano genere satisfa- ctionem exigente pro peccato. „ *Nam si voluis-* „ *set absque omni satisfactione hominem a pec-* „ *cato liberare, contra justitiam non fecisset.* „ Ille enim Judex non potest salva justitia cul- „ pam sine pœna dimittere, qui habet punire cul- „ pam in alium commissam, puta vel in alium „ hominem, vel in totam rempublicam, sive in „ superiorem, vel Principem. Sed Deus non ha- „ bet aliquem superiorem; sed ipse est supremum, „ & commune bonum totius universi. Et ideo si „ dimittat peccatum, quod habet rationem culpæ, „ ex

(a) Hæc visa est commodissima via explicandi S. Anselmum, quia ipsum deserendum esse dicamus cum aliquibus Theologis, qui hunc primum Theologiæ Scholasticæ inter Latinos Doctores durius locutum fuisse existimant, ut P. Gabr. Vasquez in 3. P. S. Thom. Disp. 1. c. 2. & 3.

„ ex eo, quod contra ipsum committitur, nulli „ facit injuriam; sicut quicumque homo remittit „ offensam in se commissam absque satisfactione, „ misericorditer, & non injuste agit. Et ideo Da„ vid misericordiam petens dicebat (Ps. L. 6.) *Ti„ bi soli peccavi*, quasi dicat: *Potes sine injus„ titia mihi dimittere*. "

18. Dices secundo. Deus non potest non odisse peccatum; ergo etiam non potest illud impunitum dimittere (a).

19. Respond., Deum odio infinito certe prosequi peccatum, utpote quod infinitæ ejus sanctitati opponitur; posse tamen illud condonando delere, ut nullum proinde supersit infiniti ejus odii objectum.

20. Dices tertio. Deus non potest justis non rependere præmium: ergo nec potest peccatoribus non infligere pœnas, adeoque &c.

21. Resp. neg. cons.; Justi enim jus habent ad præmium, quod Deus pro sua justitia iis reddere debet: unde S. Paulus dicebat 2. ad Tim. IV. 8. repositam sibi esse *coronam justitiæ*, quam sibi redditurus erat *justus judex*. Pœnarum autem infictio pendet quidem a justitia, quoniqne culpa existit. Sed Deus pro sua misericordia potest culpam remittere, ut nullus sit amplius justitiæ punitivæ locus.

22. Obj. contra secundam Propos. Convenientissimum videbatur, ut diabolus, qui violenter, & injuste homines captivos detinebat, per solam Dei potentiam vinceretur, non autem per Christi humanitatem, passionem & mortem.

23. Respondet Sanctus Thomas qu. 46. art. 3. ad 3. „ quod licet diabolus injuste invaserit homi„ nem, tamen homo propter peccatum juste erat „ sub servitute diaboli derelictus a Deo. Et ideo „ conveniens fuit, ut per justitiam homo a ser„ vitute diaboli liberaretur, Christo satisfaciente „ pro ipso per suam passionem. Fuit etiam hoc „ conveniens ad vincendam superbiam diaboli, „ qui est desertor justitiæ, & amator potentiæ, „ ut Christus diabolum vinceret, & hominem li„ beraret, non per solam potentiam Deitatis, sed „ etiam per justitiam, & humilitatem passionis, „ ut Augustinus dicit XIII. *de Trinitate* cap. 13. „ & seq. "

24. Dices primo. Quæcumque utilitas nobis provenit ex Christi passione, poterat etiam sine illa per divinam bonitatem, & omnipotentiam provenire: nulla ergo erat Christi passionis necessitas, vel utilitas.

25. Respond. cum Sancto Thoma IV. *Contr. Gent.* cap. 55. „ Licet ad omnia facienda Dei vo„ luntas sufficiat, tamen divina sapientia exigit, „ ut rebus singulis secundum earum congruentiam „ provideatur a Deo .... Unde licet Deus sola vo„ luntate efficere potuerit in humano genere omnes „ utilitates, quas ex Dei incarnatione dicimus pro„ venisse, tamen congruebat humanæ naturæ, ut „ hujusmodi utilitates inducerentur per Deum ho„ minem factum. "

26. Dices secundo. Ex doctrina incarnationis, & passionis Dominicæ multa potius detrimenta, quam utilitates, hominibus provenerunt. Multi enim errores inde nati sunt, & obstinatæ hæreses, quæ utramque rempublicam, ecclesiasticam, & civilem, maximopere perturbarunt, cum incredibili hominum damno: ergo &c.

27. Reponit Angelicus loco laud., multo plures errores per Christi doctrinam, passionem, & mortem fuisse sublatos. „ Sicut autem ex creatio„ ne rerum a divina bonitate procedente aliqua „ mala sunt consecuta, quod competebat conditio„ ni creaturarum, quæ deficere possunt, ita e„ tiam non est mirum, si manifestata divina ve„ ritate sunt aliqui errores exorti ex defectu men„ tium humanarum; qui tamen errores exercue„ runt fidelium ingenia, ad diligentius divinorum „ veritatem exquirendam, & intelligendam: sicut „ & mala, quæ in creaturis accidunt, ordinat „ Deus ad aliquod bonum. "

28. Dices tertio. Si propter nostram salutem Deus natus, passus, & mortuus esset, videretur conveniens, ut omnes salvarentur; cum tamen non nisi ad paucissimos redemptionis utilitas derivetur.

29. Resp. Incarnationis, & passionis Dominicæ virtutem fuisse sufficientem ad salutem omnium hominum: quod autem non omnes salventur, ex hominum perversitate oriri, qui hujus tam insignis beneficii fructum in se suscipere nolunt, incarnato Deo per fidem, & amorem non inhærentes. Quod autem Deus hanc hominum perversitatem permittat, quam certe si vellet, salva etiam illorum libertate, impedire posset, id pertinet ad inscrutabilia ejus judicia. Interea non inutilis fuit hæc divina ineffabilis misericordia, quæ in multis plenissimum fructum reportat, in aliis autem infinitam Dei justitiam manifestat.

30. Dices quarto. Passio, & mors Christi exequi non poterat sine magno Judæorum scelere: non ergo decebat divinam bonitatem hoc medium ad liberandos homines a peccato seligere. Vel si non obstante crucifigentium peccato decebat per Christi mortem deleri peccata, cum homines frequenter peccent, debuisset Christus etiam frequenter mori.

31. Respondet Angelicus „ quod mors Christi „ virtutem satisfaciendi habuit ex charitate ipsius, „ qua voluntarie mortem sustinuit, non ex iniqui„ tate occidentium, qui eum occidendo peccarunt

.... Et

(a) Hoc argumento utitur Tournelius, ut probet contra Socinianos, non potuisse Deum *de potentia ordinaria* remittere hominum peccata sine *condigna* Christi satisfactione. Repugnant vero Tournelio communis fere aliorum Theologorum sententia, Ss. Patrum, ac S. Thomæ hoc allegati n. 17. auctoritas.

„ .... Et quamvis mors Christi pro peccato satisfactoria fuerit, non tamen toties eum mori oportuit, quoties homines peccant: quia mors Christi sufficiens fuit ad omnium expianda peccata, tum propter eximiam charitatem, qua mortem sustinuit, tum propter dignitatem personæ satisfacientis, quæ sunt Deus, & homo. "

CAPUT II.

Ostenditur ex hypothesi, quod Deus voluerit pro peccato accuratam satisfactionem, necessariam omnino fuisse Deum incarnari. (a)

32. Satisfactio, de qua hic loquimur, qua nempe, ut ait Sanct. Thomas 3. Part. qu. 84. art. 4., *quis satisfacit, sive pro se, sive pro alio, pretium quoddam dicitur, quo seipsum, vel alium redimit a peccato, & a pœna.* Hæc autem satisfactio ex doctrina ejusdem Angelici qu. 1. art. 2. ad 2. est duplex; una *sufficiens perfecte*, quando scilicet *est condigna per quamdam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ.* Alia dicitur satisfactio *sufficiens imperfecte; scilicet secundum acceptionem ejus, qui est ea contentus, quamvis non sit condigna.*

33. Loquimur hic de satisfactione *perfecta, & condigna*, ad quam plures conditiones requiri Theologi unanimiter docent. *Prima* est ut hæc satisfactio sit ad alterum, cum nemo proprie loquendo possit exigere satisfactionem, sibique eamdem dare. *Secunda* ut actus satisfacientis sit voluntarius, & liber, quia debet esse meritorius: sine libertate autem nullum potest esse meritum: quamobrem, quando aliquis cogitur pœnas luere, dicitur *satispassio*, non *satisfactio*. *Tertia*, ut quod pro satisfactione redditur, sit æquivalens injuriæ illatæ. *Quarta*, ut sit ex bonis propriis personæ satisfacientis, quamobrem servus domino suo ex rigore justitiæ satisfacere non potest, cum nihil habeat proprium. *Quinta*, ut satisfactio sit ex bonis alias indebitis, unde qui reddit quod debet ex bonis alio titulo debitis, puta ex charitate, vel gratitudine, proprie non satisfacit plene, & perfecte. *Postrema*, ut creditor hanc satisfactionem acceptare teneatur ex justitia; si enim eam acceptare non teneatur, remissio debiti semper fiet ex gratia, & liberalitate. His positis sequens statuitur

PROPOSITIO.

Nulla creatura potuit Deo pro nostris peccatis condignam, & perfectam satisfactionem exhibere.

34. Prob. primo de hominibus, qui omnes erant peccato originali, vel etiam peccatis suis propriis, & actualibus obstricti, natura filii iræ, & sub dæmonis captivitate. Sanct. enim Joannes in prima epist. c. III. 5. Christum dicit, nos a peccato liberare potuisse, quia nullum in eo erat peccatum. *Scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.* Quæ dilecti Apostoli verba ita commentatur Sanct. Augustinus Tract. IV. T. V. ..... *Nam si esset & in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret.* Atque etiam Apostolus Paulus Hebr. VII. 26. seq. *Talis*, inquit, *decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.*

35. Facile autem est hanc doctrinam veterum Patrum auctoritate confirmare. Nam S. Irenæus Lib. III. adversus hæreses cap. 28. alias 20. n. 2. *Non erat*, inquit, *possibile, eum hominem, qui semel victus fuerat, & elisus per inobedientiam replasmare, & obtinere bravium victoriæ &c.* Sanct. autem Basilius exponens illa verba Psalmi XLVIII. 8. *Frater non redimit, redimet homo* „ „ Non homo nudus, ait, sed homo Deus Jesus „ Christus, quia nullus alius condignus afferre po„ terat pretium. " Tomo I. Operum. Eademque pene habet S. Ambrosius in eumdem Psalmum XLVIII., ubi de Christo Jesu: *Ipse est solus*, inquit, *qui redimit hominem ..... quia pro alienis sanguinem suum fudit, quem nemo potest offerre pro fratre.* Et S. Leo Papa Serm. I. de Nativit. *Nisi*, inquit, *esset verus Deus, non afferret remedium: si non esset homo, non præberet exemplum.*

36. Ac de hominibus peccato coinquinatis, quales omnes nascuntur, testimonia S. Patrum allata apertissima sunt, ut nulla possit esse difficultas. Solum quæritur, an alius homo innocens a Deo creatus, vel Angelus, gratia supernaturali exornatus, potuisset condignam pro nostris peccatis exhibere satisfactionem?

37. Sanct. Thomas 3. P. qu. 1. art. 2. ad 2. omnino negat potuisse ab homine puro plene, ac per-

(a) *Satisfactio* proprie non est vox Biblica, nullibi enim in sacris litteris invenitur; cum tamen inveniatur ipsa res significata, jure a Theologis adhibetur. Immo ipse Socinus non refragatur; nam *De Christo Servatore* P. II. c. 26. *De ipso*, inquit, *satisfactionis verbo me nihil sollicitum esse, animadvertere potuisti. Res enim, non verba quæro.* Alibi tamen protestatus est, quod *etiamsi non semel, sed sæpe id in sacris monumentis scriptum extaret* (scilicet Christum pro nostris peccatis satisfecisse), *non idcirco tamen ita prorsus rem se habere creditarum esse.*

perfecte Deo pro nostris peccatis satisfieri, non solum quia tota humana natura erat per peccatum corrupta, „ sed etiam quia bonum alicujus „ personæ, vel etiam plurimum non poterat per „ æquiparantiam totius naturæ detrimentum re„ compensare: tum etiam quia peccatum contra „ Deum commissum *quamdam* infinitatem habet „ ex infinitate divinæ majestatis: tanto enim of„ fensa est gravior, quanto major est ille, in „ quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam „ satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet „ efficaciam infinitam, utpote Dei, & hominis ex„ istens". His rationibus S. Doctor alias addit in Libro III. *Sent.* dist. I. art. 2. ad 9., & illam præcipue, quod quæcumque bona homo exhibet Deo, sunt illi ex multis titulis debita; vera autem satisfactio debet esse *ex indebitis*, ut supra dictum est num. 33.

38. Et etiamsi verum non esset, peccatum contra Deum commissum habere *quamdam infinitatem*, quod docet Angelicus, Scotistæ autem negant, adhuc tamen ratio allata ab Angelico efficaciter evinceret, puram creaturam non posse Deo condignam satisfactionem præbere; quia quæcumque satisfactio esset semper minor, quam offensa illata. Gravitas enim offensæ mensuratur ex dignitate personæ, cui fit injuria, & satisfactionis dignitas ex dignitate personæ satisfacientis, juxta illud tritum proloquium: *Honor est ex honorante, & injuria, seu offensa in persona dehonorata, seu læsa*; ut patet exemplis etiam humanis. Si enim homo plebejus honoret Regem, ille honor non tanti æstimatur pretii, quanti est, si Rex hominem honoret plebejum; quia honor pensatur a persona honorante. Contra vero si Rex hominem plebejum injuria afficiat, illius gravitas mensuratur ab ipso plebejo, & fere pro nihilo habetur: gravissima vero esset injuria, quam plebejus Regi irrogaret. Sic ergo injuria irrogata Deo per peccatum hominis tantæ est gravitatis, ut nulla alicujus creaturæ satisfactione compensari possit. Unde egregie Salvianus Lib. VI. *De providentia* c. 11. *Semper*, inquit, *per dignitatem injuriam perferentis crescit culpa, quia necesse est, ut quanto major est persona ejus, qui injuriam patitur, tanto major sit noxa ejus, qui facit. Quanto igitur majoris placuli crimen est, injuriosum quempiam esse Deo?* (*a*).

39. Objic. primo. Homo purus per actus charitatis perfectæ tantum tribuit Deo, quantum per actus peccati ab ipso ablatum fuerat: sicut enim per peccatum homo recedit a Deo, eique rationem ultimi finis denegat, ita per actum amoris homo redit ad Deum, tamquam ad ultimum finem. Id expresse tradit S. Thomas 3. P. qu. 45. art. 2. inquiens: *Ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, quod æque, vel magis diligit, quam oderit offensum*. Homo itaque purus gratia sanctificante exornatus, per quam ad ordinem supernaturalem elevatur, Deum amando, ei rationem primi & ultimi finis reddit, quam peccando abstulerat; adeoque illi pro sua offensa plenissime satisfacit.

40. Resp. primo, hominem quæcumque gratia sanctificante instructum non posse Deo strictam, & ad justitiæ apices satisfactionem exhibere; quia talis satisfactio summ valorem desumeret ex gratia divina; unde non esset ex *propriis*, quod ad justam satisfactionem requiritur. Neque etiam esset *ex indebitis*; quia opera charitatis sunt ferventissima; sunt Deo debita, juxta illud Christi Domini apud Lucam XVII. 10.: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus*; unde ad summum esset satisfactio secundum Dei acceptationem (*b*).

41. Deinde, cum homo per actum charitatis Deo reddit rationem ultimi finis, quam peccando abstulerat, satisfacit quidem ex parte, reddendo rem ablatam, non autem ex toto, cum non compenset injuriam Deo irrogatam; ad quam compensandam oportet ut actus honoris, & obsequii tanti valoris sit quantæ fuit gravitatis, & deformitatis injuria infinitæ Dei majestati illata. Sicuti si quis Regi suo vi abripueret, aut saltem abripere tentaret coronam & purpuram, non illi utique *plene* satisfaceret easdem restituendo, aut veniam humiliter petendo, & actibus obsequii ipsi aliis debitis eumdem honorando. Quamquam inter Regem, & subditum major sit proportio, quam inter Deum, & homines.

42. Textus autem S. Thomæ, si integer reddatur, nullo modo opponitur nostræ, & ipsius constanti doctrinæ. Ibi enim Angelicus quærit, *an passio Christi causaverit nostram salutem per modum satisfactionis?* Respondet autem affirmative dicendo: „ quod ille *proprie* satisfacit pro of„ fensa, qui exhibet offenso id, quod æque, vel „ magis diligit, quam oderit offensum. Christus „ autem de charitate, & obedientia patiendo, ma„ jus

(*a*) Ceterum hanc S. Thomæ rationem deductam ex *quadam infinitate* offensæ Deo per peccatum illatæ, major, ni fallor, & melior tam veterum, quam recentiorum Theologorum pars adoptavit. Inter veteres eam potissime urget S. Anselmus in Libro I. *Cur Deus homo*. Post autem Richardus Victorinus *De Incarnat.* c. 8., Arnoldus Abbas Bonæ Vallis Tract. V. *De Verbo Chr.*, & Magister sententiarum; quos secuti sunt S. Thomas supra allegatus, S. Bonaventura Diss. XX. in L. III. *Sentent.* qu. 4. Estius in eadem Diss. XX. §. 3., Sylvius ad Quæst. I. S. Thomæ 3. P. qu. 4. art. 1., Franc. Suarez &c. &c. Consulatur Jo. Bapt. Gonet. Disp. IX. *De peccatis*. Non consentiunt quidem isti Theologi inter se, an peccati lethalis malitia sit infinita *intrinsece*, an solum *extrinsece*, & *objective*. Sed quantum ad nos attinet, sufficit, eam esse quocumque modo infinitam.

(*b*) Multa de debito nostro honorandi Deum, quantum possumus, habet S. Bernardus in Serm. XXII. *De diversis* T. III., ubi n. 9. ita concludit: *Totum ergo*,

„ jus aliquid Deo exhibuit, quam exigeret re-
„ compensatio totius offensæ humani generis: *pri-*
„ *mo*, propter magnitudinem charitatis, ex qua
„ patiebatur: *secundo*, *propter dignitatem vitæ*
„ *suæ*, quam pro satisfactione ponebat, quæ e-
„ rat *vita Dei, & hominis* &c. " Quæ conditio neque homini, neque Angelo, nec cuilibet excellentiori creaturæ adaptari potest.

45. Dices. Potissima nostra ratio, qua contendimus, hominem purum, quantacumque gratia exornatum, non posse integre, & perfecte Deo satisfacere, ex eo deducitur, quod præter restitutionem rei ablatæ etiam requiratur æqualis compensatio injuriæ Deo irrogatæ, quæ ab homine fieri nequit: atqui hæc ratio falso innititur supposito, nempe violatione divinæ Legis injuriam Deo irrogari; qui enim violat præceptum Superioris, illius honorem non lædit, nisi violationi addatur contemptus; ergo &c.

44. Resp. neg. min.; quia cum Deus ultimus noster finis sit, jure meritoque exigit, ut omnia ad ipsum referantur, nihilque ei præferatur. Qui autem ejus sanctissimam Legem violat, plus amat creaturas, quam Creatorem, easque Creatori, & Legislatori actu præfert, quod sine aperta ipsius Creatoris injuria fieri non potest. Res autem non ita se habet in Legislatore creato, cui jus non est, ut omnia ad ipsum, tamquam ad supremum finem referantur, & qui externa subditorum obedientia contentus est, & ideo omnis quidem transgressio legis est injustitia, & inobedientia, non autem vera Legislatoris injuria.

45. Dices secundo. Satisfactio non requirit æqualitatem inter personam offensam, & personam satisfacientem; sed solum inter ipsam satisfactionem, & injuriam. Sic qui furatus est Regi, eidem plane satisfacit, restituendo rem furto sublatam, etiamsi persona furis, & restituentis a Regis dignitate admodum distet. At vero inter actum charitatis intensum, & actum aversionis a Deo per peccatum est perfecta æqualitas; seu tanta est bonitas in primo, quanta malitia, & deformitas in secundo: ergo &c.

46. Resp.; duo in vera satisfactione, de qua loquimur, esse distincta, scilicet restitutionem rei ablatæ, & compensationem injuriæ irrogatæ. Quantum ad primum, sufficere restitutionem rei ablatæ, aut æquivalentis, nec attendi personarum inæqualitatem. Quantum vero ad injuriam non sufficere qualemcumque reparationem honoris læsi, sed requiri omninodam compensationem. Exemplum superius allatum Regis, cui homuncio quidam purpuram, aut coronam detrahat, hanc doctrinam illustrat. Addo, nec esse inæqualitatem perfectam inter actum charitatis, & actum offensæ Dei, ut quantum per istum surripitur, tantum per illum reddatur. Primus enim in homine est finitus; peccatum autem habet quamdam *infinitatem* deformitatem; vel saltem multo plus injuriæ irrogatur Deo per peccatum, quam ipsi præbeatur honoris per actus charitatis, & obsequii. Præterea omnes actus nostri charitatis, cultus, & obsequii erga Deum, sunt ipsi ex multis titulis debiti.

47. Dices tertio. Si ratio ista disparitatis inter personam læsam, & personam satisfacientem vaferet, illud consequeretur quod nullus subditus posset Principi suo pro irrogata illi injuria plene satisfacere, quia persona satisfaciens esset semper inferioris ordinis, quam sit persona Principis læsa; quod tamen falsum est.

48. Resp., inter homines; cujuscumque sint conditionis, & dignitatis, semper esse aliquam finitam distantiam, quæ sin minus ab excellentia personæ satisfacientis, saltem ex objecto, & circumstantiis ipsius satisfactionis adæquari potest; ut in pœnis, quas rei læsæ majestatis luere coguntur. Secus autem res se habet in offensa Dei.

49. Dices quarto. Potest Deus constituere aliquem purum hominem, qui pro omnibus hominibus mereatur gratiam: potest ergo pariter aliquem hominem tanta gratia ornare, ut pro omnium peccatis satisfaciat.

50. Resp. primo, dato antec., neg. cons., si intelligatur de satisfactione plena, & condigna; ad hanc enim satisfactionem requiritur æqualis dignitas personæ satisfacientis, ac personæ offensæ, ut supra probatum est. Ad merendum autem hæc æqualitas non est necessaria, ut patet in justis, qui bonis suis operibus vere, & proprie merentur vitam æternam: unde non est eadem ratio meriti, & satisfactionis. Secundo falsa omnino est prima propositio, si intelligatur de vero merito, seu *de condigno*. Ut enim docet S. Thomas 1. 2. quæst. 114. art. 6., *Merito condigne nullus potest mereri alteri primam gratiam, nisi solus Christus; quia unusquisque nostrum movetur a Deo per donum gratiæ, ut ipse ad vitam perveniat .... Sed anima Christi mota est a Deo per gratiam, non solum ut ipse perveniret ad gloriam vitæ æternæ, sed etiam ut alios ad eam adduceret, inquantum est caput Ecclesiæ.* Imo nec sibi ipsi potest quispiam gratiam justificationis *de condigno* mereri; tale enim meritum nomini in eo esse potest, qui gratia habituali instructus, & sanctificatus est, quæ sola est fons, & radix veri meriti. Ad summum igitur posset ex speciali privilegio aliquis mereri omnibus hominibus gratiam, exhibendo Deo eam satisfactionem, quæ vocatur ab Angelico *sufficiens imperfecte*, sci-

quod es, illi debes, a quo totum habes: illi præcipue Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi .... Quis ergo amplius grunniet, dicens: nimium laboramus, nimium jejunamus, nimium vigilamus; cum nec millesimæ, immo nec minimæ parti debitorum suorum valeat respondere?

scilicet secundum acceptationem ejus, qui est ea contentus; non autem satisfactionem perfectam, & numeris omnibus absolutam.

51. Dices quinto. Posset Deus hominem aliquem condere, eumque caput generis humani constituere, quemadmodum constitutus fuerat Adam; & quemadmodum Adam suam justitiam originalem transfudisset in posteros nisi eam peccato amisisset, ita hoc novum caput generis humani a Deo conditum posset Deo pro aliorum peccatis integre satisfacere.

52. Resp., talem hominem innocentem, quantalibet gratia exornatum nunquam posse ex integro reparare injuriam Deo per peccatum irrogatam; quia quæcunque sint ejus merita, erunt semper infinito intervallo inferiora majestati Dei offensi, ut jam sæpe dictum est.

53. Obj. secundo. Falsum est, offensam, & injuriam Deo per peccatum factam esse gravitatis infinitæ: ergo pariter falsum est, satisfactionem perfectam non posse Deo exhiberi, nisi per actiones meriti, & valoris infiniti. Ant. prob. *primo*, quia peccatum requirit cognitionem, & malitiam finitam, non autem infinitam, cujus creatura capax non est. *Secundo*, quia unum peccatum est majus altero, ut contra Stoicos, & impium Jovinianum tenet catholica doctrina; si autem peccatum haberet gravitatem infinitam, omnia essent æqualia; neque enim unum infinitum esse potest majus altero. *Tertio* peccatum veniale est vera offensa Dei; nemo tamen dixerit, ipsum infinitam injuriam Deo irrogare.

54. Resp., ut supra num. 37. declaravimus, etiam dato, & non concesso, peccato non irrogari Deo injuriam infinitam, adhuc tamen semper verum esse, nullam inveniri proportionem inter injuriam Deo per peccatum irrogatam, & satisfactionem puræ creaturæ ipsi exhibitam. Et quamquam gratia, & meritum alicujus creaturæ magis ac magis augeretur, ut exæquaret meritum Sanctissimæ Dei Genitricis, & omnium simul Sanctorum, semper tamen longissime distaret a dignitate personæ læsæ, nempe Dei; ut proinde nunquam posset condignam, & parem offensæ satisfactionem illi offerre. Et hoc satis esse debet pro solutione argumenti, ut necesse non sit in aliam difficiliorem controversiam ingredi de infinita peccati lethalis gravitate.

55. Verumtamen ne videamur rei difficultate perterriti terga adversariis dare, primæ probationi respondemus, peccatum, si consideretur ex parte hominis illud patrantis, certe finitum esse; infinitum autem esse, si consideretur ex parte Dei, qui eo offenditur. Ut enim jam dictum est, injuria, & offensa cum mensuretur ex dignitate personæ læsæ, eo major est, quo major est excellentia ipsius personæ. Cum ergo majestas Dei sit infinita, infinita quoque esse debet injuria ipsi per peccatum illata.

56. Nec propterea sequitur, omnia peccata esse æqualia, ut Jovinianus cum Stoicis delirabat. Duo enim in peccato lethali distingui debent, scilicet actus peccatoris, & offensa Dei. Primus potest esse magis, vel minus intensus, majoris, vel minoris cognitionis, aut malitiæ; unde peccatorum resultat diversitas. Offensa autem Dei utpote infinita est æqualis. Sic in inferno omnia peccata puniuntur pœnis æternis, nec tamen puniuntur æqualiter; quia varia est pœnarum intensitas, damnatorum culpis correspondens.

57. Postrema difficultas de peccato veniali solvitur observando, per peccatum veniale homines proprie non averti ab ultimo fine, adeoque per ipsum non irrogari Deo illam infinitam injuriam, quæ consistit in læsione illius summi juris, ut omnia ad ipsum, tamquam ad supremum finem, dirigantur. Tota ergo offensa consistit in quadam diminutione divinæ gloriæ extrinsecæ.

58. Hinc non desunt Theologi, qui putent, per actum charitatis intensum posse hominem justum Deo satisfacere *de condigno* pro peccatis venialibus; quia, inquiunt, Deo magis placet actus ille charitatis quam displiceat peccatum veniale, per quod homo absolute non avertitur a Deo. Unde etiam actui charitatis debetur præmium æternum; peccato autem veniali non debetur pœna æterna.

59. Alii tamen Theologi, considerantes infinitam distantiam inter Deum, & homines, negant, posse Deo etiam pro culpa veniali ab homine exhiberi integram, plenamque satisfactionem. Sed parum interest hanc controversiam definire, cum nihil conferre videatur ad præcipuum nostrum scopum, verum, ac superabundantem satisfactionem Jesu Christi contra Socinianos defendendi. De ea tamen videri possunt Scholastici; ac inter alios Car. Witasse *de Incarnat.* Quæst. II. Sect. V. in fine cap. 2.

CAPUT III.

De Jesu Christi satisfactione pro nostris culpis.

60. Ex quo nulla creatura potuerit Deo pro nostris culpis plenam, omnibusque justitiæ numeris absolutam satisfactionem Deo exhibere, manifeste consequitur, necessarium fuisse Verbi æterni incarnationem, per quam solam poterat divina justitia placari, quæ justas, & condignas scelerum nostrorum pœnas exigebat. Hanc autem Jesu Christi satisfactionem pro nostris peccatis non solum Gentiles, & Judæi, qui Christum ut Messiam a Deo missum non agnoscunt; sed etiam complures ex Christianis impie negarunt.

61. Atque imprimis ingrati Pelagiani, qui peccatum originale tollentes, & de viribus liberi arbitrii superbe præsumentes nullam tanti beneficii necessitatem fuisse consequenter docebant, stulte asserentes, *Naturam hominum neque in parvulis*

dunt ut debitam tanto beneficio gratitudinem in nobis extinguant. Divinus autem Ecclesiasticus nos monet XXXIX. 19. *Gratiam Fidejussoris ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam.*

PROPOSITIO

Christus Dominus pro nostris peccatis vere & proprie divinæ justitiæ satisfecit.

66. Prob.° primo ex sacris litteris utriusque testamenti; a Prophetis enim Christi passio, qua pro peccatis nostris divinæ justitiæ satisfecit, præmunciata jam fuerat, præcipue autem ab Isaia cap. LIII. 4. & seq., ubi de venturo Messia hæc prædicit; *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit .... Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra ..... Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur.* Et alia non pauca hujus generis apud divinos vates inveniuntur, quibus non tam prophetice prædictos, quam historice enarratos inveniunus acerbissimos dolores, quos pro nostris culpis expiandis Christus Dominus perpessus est, atque ipsam ignominiosissimam mortem crucis; qua divinæ justitiæ placandæ sacrificium vitæ suæ obtulit.

67. Præterea, nihil disertius eo testimonio Sancti Joannis Baptistæ, qui statim ac vidit Jesum Christum venientem ad se, ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (a) apud Joannem I. 29. Quid est autem tollere peccatum mundi, nisi divinæ justitiæ pro illo, quasi pro suo proprio satisfacere? Unde etiam ipse persona Jesu Christi Sanctus Augustinus interpretatur ea verba Psalmi XXI. *Longe a salute mea verba delictorum meorum*, inquiens: „ Quorum delictorum, de quo „ dictum est, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus?* Quomodo ergo dicit *delictorum meorum*, nisi quia pro delictis „ nostris ipse precatur, & delicta nostra *sua delicta fecit*, ut jusitiam suam nostram justitiam „ faceret? “ Etiam S. Ambrosius in Exposit. ejusdem loci: “ Totus hic Psalmus, inquit, dige„ stus est ex persona Domini Salvatoris ... Quare „ assumpti hominis causam agit, ut manifestet se „ propter nos derelictum, *quorum peccata portabat* (b). “

68. Frustra vero tam aperta divini Præcursoris verba eludere conantur Sociniani, quasi non alia ratione Christus peccata mundi tulerit, quam exemplo suo præstans, ut non peccemus. Frustra, inquam; nam primo Christus dicitur *agnus*, ad devotandum sacrificium sui ipsius Deo oblatum; nemo enim ignorat, agnorum usum fuisse in sacrificiis frequentissimum. Unde idem Evangelista Joannes Apocal. V. 12. vocat Jesum Christum *agnum occisum*. Deinde quis ferat distortam illam interpretationem, ut *tollere peccata mundi* idem sit, ac exemplum dare, ut non peccemus? Quis non potius obviam, & naturalem significationem non amplectatur, ut *tollere* idem sit ac *expiare* peccata nostra? Demum idem dilectus Apostolus in sua prima epistola II. 2. de Christo loquens, *Et ipse est*, inquit, *propitiatio pro peccatis nostris* (Græce καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν) *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. Quæ verba nulla machinarum vi detorqueri possunt ad significandam *propitiationem* solis exemplis factam (c).

69. Sed ulterius perversam Socinianorum interpretationem luculenter excludit S. Paulus Rom. III.

ati satisfactione contentum, quamvis nec adæquata, nec sufficiens fuerit; adeo ut quod deerat, sua benignitate diminuerit. Eamdem tamen vocem *acceptilationis* in sano, & ortholoxo sensu usurpari posse, ostendere conatus est Jo. Schroederus in Dissert. *De acceptilatione juridica ad sacram redemptionis humanæ doctrinam variis modis explicata.*

(a) Quare positum fuerit *peccatum* in numero singulari, explicatum est superius n. 117. seq.

(b) Nostra Biblia vulgata habent *verba delictorum meorum*; sicuti legerunt etiam LXX. Senes τῶν παραπτωμάτων μου. Sed alii aliter verterunt. Symmachus τῶν ὠδυμῶν μου querimoniarum mearum. Aquila τὰ βρυχήματα μου rugitus mei. Theodotion τῶν βοῶντα με clamoris mei. Ita etiam S. Hieronymus, & Car. Houbigant. Lectio tamen nostri vulgati Interpretis, & LXX. Senum magis contextui cohæret, ut sensus sit: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Delicta mea, seu delicta hominum, quæ assumpsi, causa sunt hujus meæ derelictionis. Noster autem vulgatus Interpres videtur legisse שגיותי, vel etiam שגיות *delictorum meorum*, loco שאגתי *clamoris mei*, seu *rugitus mei*. Nam שגות significa *erravit*, & שגיות *errorum, delictum*; at vero שאגות *rugitum*. Videatur etiam Duguetius in explicatione Psalmorum Tomo II. ad hunc locum.

(c) Grotius in *Defensione fidei Catholicæ de satisfactione Christi* c. 7. explicans vocem græcam ἱλασμὸν, qua utitur Apostolus, „ Notissimum est, in„ quit, iram alicujus avertere, id dici græce ἱλάσκεσθαι, ἐξιλάσκεσθαι, καταλλάσσειν, ἀποκαταλλάσσειν, latine placare, pacare, conciliare, reconciliare; item propitiare. Tum actus ipse, tum id, quo proprie actus peragitur, Græcis ἱλασμὸς, Latinis placamen dicitur. “ Et afferens postea verba S. Pauli Rom. III. 24. *Justificati gratis* &c. „ Factus est ergo Christus, „ inquit, ἱλαστήριον, sive ἱλαστήριον in sanguine suo; quod „ quid est aliud, quam ilipsum, quod negat Socinus, „ *placatum a Christo Deum?* Nam quod ἱλαστήριον apud „ Joannem expiationem interpretatur, expiationis antem voce peccati destructionem intelligit, id facit nul„ la de causa, nullo munitus exemplo; ἱλασκεσθαι apud „ Græcos scriptores omnes, Poetas, Historicos, alios, „ est *placare*. “ Non inutile visum est, auctoritatem hujus celebris viri afferre: qui ut facile mutabilia erat ingenii, istorum oblitus ad Sociniana castra pene transivit.

mam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quis autem dixerit, debere proprie, & vere fideles animas suas pro fratribus ponere, aut eos vere redimere soluto pretio? Ita Sociniani.

76. Sed quidquid sit de particula ὑπὲρ *pro*, cujus diversus potest esse significatus, quis, amabo, ita insaniat, ut hanc remotissimam oraculorum divinorum interpretationem admittat? Quis enim sanus de Doctore, aut Magistro dicat, Auditorum peccata tollere, illorum iniquitates proprio sanguine expiare, suique sanguinis pretio eos redimere? Quis ulterius asserat, eumdem Doctorem *maledictionem* suis discipulis debitam in se suscepisse, eorum peccata portasse, eosque Deo reconciliasse, remissione peccatorum per sui sanguinis effusionem a Deo obtenta? Apposite S. Aug. Tract. 84. in Joann. Tom. III. *Etsi fratres*, inquit, *pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius sanguis Martyris funditur: quod fecit Christus pro nobis*. Certe Christus Dominus non solum dicitur animam suam dedisse pro nobis, sed *in redemptionem* Matth. XX. 28. Ipse etiam S. Paulus, qui optabat anathema esse pro fratribus suis, de seipso tamen dicebat Corinthiis in 1. ep. I. 13.: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* Ut denotaret, solum Christum vere, & proprie nos redemisse, dando animam suam *pro nobis*, *ut nos justificaret*, *ac Deo reconciliaret*, quemadmodum sacri Scriptores loquuntur.

77. Postremo ex antiqua, & perpetua Ecclesiæ traditione Socinianorum blasphemiæ refelluntur. Pauca veterum tam Græcorum, quam Latinorum Patrum testimonia seligemus. S. Justinus Martyr in epist. ad Diognetum n. 9. de Deo Patre ita scribit: *Proprium ipse Filium pretium redemptionis nostræ pro nobis dedit. Factum pro iis qui legem transgressi erant, nihil minus quam malum pro malis, justum pro injustis.... O dulcem permutationem!* Quibus paucis verbis totam satisfactionis Jesu Christi, ac redemptionis nostræ doctrinam complexus est.

78. S. Irenæus Lib. 4. adv. hæreses cap. 7. olim 18., Christum mortuum fuisse scribit, *ut exiliatus homo exiret de condemnatione:* scilicet pacata per suum sanguinem divina justitia. Ubi notante Feverdentio S. Martyr alludit ad Hebræorum morem, ut mortuo Pontifice exules in patriam rediret.

79. Origenes Hom. XXIV. in Numeros T. II. Jesum Christum *agnum* dictum fuisse vult, „ quia „ voluntas, & bonitas ejus, qua Deum *repropitiavit* hominibus, & peccatorum indulgentiam „ dedit, talis extitit humano generi, quasi agni „ hostia immaculata, & innocens, qua placari „ hominibus divina creduntur. “ Et infra: “ Si „ non fuisset peccatum, non necesse fuerat, Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat, eum „ in carne positum jugulari ..... Verum quoniam „ introiit peccatum in hunc mundum, peccati au„tem necessitas *propitiationem requirit, & propitiatio non fit, nisi per hostiam; necessarium* „ *fuit provilere hostium pro peccato* “ &c.

80. S. Athanasius Orat. I. contra Arianos n. 43. ostendit Jesum Christum, qui in forma Dei erat, seipsum humiliasse, *& nostra vice, ac propter nos servum esse factum*. „ Nisi enim, subdit, „ Dominus homo fuisset factus, *nunquam nos a* „ *peccatis redimi* vel a mortuis excitari potuisse„mus, sed mortui sub terram remansissemus, „ neque unquam in cœlum fuissemus evecti, sed „ in inferis jacuissemus. „ Non itaque propter solum magisterium, & doctrinam, sed ut a peccatis vere redimeremur, Christus humiliavit semetipsum, & propter nos servus factus est, passus, & mortuus. Idipsum sæpius repetit in Oratione *de Incarnatione Verbi Dei*, ubi num. 9. dicit Verbum assumpsisse corpus, ut illo *pro nobis oblato* mortem propulsaret; & illud *devovendo & offerendo, id quod debebatur*, in *morte solvit*. Et rursus n. 10. *Mortem, in quam illi* (homines) *incurrerant, proprio oblato corpore delevit, illorumque negligentiam sua doctrina emendavit* &c.; ubi doctrinam a corporis oblatione, tanquam victimæ pro nostra salute, aperte distinguit.

81. Eusebius Cæsariensis Lib. X. *Demonstr. Evang.* c. 1. Christum dicit Dei agnum *pro nobis, & mortem sublisse, & verbera, probra, & contumelias quibus nos digni eramus, in seipsum transtulisse, & execrationem, quæ nobis debebatur, ad seipsum attraxisse*. Et plura habet his similia.

82. Denique S. Basilius in Psalmum XLVIII. *Inventum unum est*, inquit, *pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus, & omni pretio superior pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit: quamobrem pretio sumus empti*.

83. Neque alia est Patrum Latinorum doctrina; nam S. Clemens Rom. Pontifex in sua epistola ad Corinthios Fideles monet, ut serio perpendant, *quam pretiosus sit Christi sanguis, qui propter salutem nostram effusus toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulerit*.

84. Tertullianus in Lib. adv. Judæos c. 13. de Christo loquens, *Hunc enim*, ait, *oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tamquam ovis ad victimam ductus est, & velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum*..

85. S. Cyprianus in Lib. *de lapsis* hæc habet: *Venlam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris*.

86. S. Hilarius in Psalm. CXXXV. n. 15. de Jesu Christo loquens, *Redemit nos*, inquit, *cum se pro peccatis nostris dedit, redemit nos per sanguinem suum, per passionem suam, per mortem*

tem suam, per resurrectionem suam. Hæc magna vitæ nostræ pretia sunt. Magno enim, ait Apostolus, pretio redempti estis, & redempti ab inimicis, a diabolo, ab angelis ejus, a filio perditionis, a principibus aëris, a mundi potentibus, ab inimica morte. Ut quid autem expressiones tam energicæ, si tota redemptio in solis exemplis & præceptis sita esset?

87. Denique, ne omnes coacervem, quorum una, eademque est phrasis, concludamus cum duobus Ecclesiæ Latinæ Doctoribus Ambrosio, & Augustino; quorum prior Lib. VII. in Lucam n. 117. „ Idoneus, inquit, sui operis æstimator *ma-*„ *gno pretio nos redemit*, sicut sanctus Aposto-„ lus dixit: *Empti estis pretio magno*, & bene „ *magno*, qui non æstimatur ære, sed sanguine, „ quia pro nobis mortuus est Christus, qui pre-„ tioso nos sanguine liberavit.

88. S. Autem Augustinus in Psalm. XCV. n. 5. *Tenebantur*, inquit, *homines captivi sub diabolo, & dæmonibus serviebant: sed redempti sunt a captivitate. Vendere se posuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, & dedit pretium; fudit sanguinem suum; emit orbem terrarum. Quæritis, quid emerit? Videte, quid dederit; & invenite, quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi omnes gentes?* Nescio, an potuerint sancti Patres uno consensu disertioribus verbis veram & realem Christi pro nostris culpis satisfactionem exprimere.

89. Ob. primo Sociniani, omnia hactenus allata sacrarum Scripturarum, sanctorumque Patrum oracula esse intelligenda de redemptione, & satisfactione metaphorica, non de vera, & reali. Nam *primo* Christus dicitur missus non alia de causa, nisi ut viam salutis nobis monstraret. Marci I. 38. *Eamus*, inquit Christus, *in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicem; ad hoc enim missus sum;* & clarius Lucæ IV. 18. seq. *Spiritus Domini .... unxit me; evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem ..... prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Ac demum Joann. XVIII. 37. explicans Pilato suam missionem, *Ego*, inquit, *in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Quibus in locis nihil Jesus dicit, vel innuit de sua missione ad satisfaciendum æterno Patri pro nostris peccatis.

90. *Secundo* Christus dicitur missus, ut *mediator testamenti novi per suum sanguinem*; ita enim vocatur a S. Paulo ad Hebr. XII. 24.; & cap. XIII. 20. *Deus autem pacis*, inquit Apostolus, *qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni Dominum nostrum Jesum Christum.* Et Christus ipse in suprema cœna porrigens calicem discipulis dixit: *Hic est enim sanguis meus novi testamenti.* Non alia itaque de causa pretiosum suum sanguinem fudit, nisi ut illo novum fœdus cuofirmaret.

91. *Tertio* dicitur Christus passus, ut nobis patientiæ præberet exemplum. *In hoc enim vocati estis*, inquit S. Petrus in prima epist. II. 21., *quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ... Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum paterentur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injuste.*

92. *Quarto* Christus Salvator noster est, non per passionem, & mortem, sed per resurrectionem suam: 1. ad Corinth. VI. 14. *Deus vero & Dominum suscitavit; & nos suscitabit per virtutem suam.* Ad Ephes. II. 5. seqq. *Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo ... & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu.* Unde Jesus Christus Joann. VI. 39. inquiebat: *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die*, ut scilicet nos doceret, se missum a Patre, ut quemadmodum ipse mortuus est, & resurrexit, ita etiam debeat electos in novissimo die resuscitare. Hi, atque alii hujus generis, concludunt Sociniani, sunt fructus incarnationis Jesu Christi in sacris litteris expressi, non autem veri nominis redemptio, aut satisfactio.

93. Resp., Socinianos, dum hæc, aliaque ex sacris paginis studiose agglomerant magno conatu, & molimine, nihil prorsus efficere: neque enim allata, & quæ adduci possunt, testimonia probant, Christum missum fuisse *testimonio*, ut prædicaret Evangelium, novum cum hominibus fœdus pangeret, ut humilitatis, & patientiæ nobis præberet exemplum, & per suam resurrectionem doctrinam a se traditam confirmaret, atque electos resuscitaret. Sed simul cum his omnibus facile conciliatur præcipuus missionis Christi scopus, ut ipse nos a captivitate dæmonis sui sanguinis effusione liberaret, & exhibita divinæ justitiæ pro peccatis nostris satisfactione Deo reconciliaret, ut ex testimoniis supra n. 66. seq. allatis luculenter apparet. Admittimus ergo lubentissime, omnia, quæ Christus tota vita sua peregit, fuisse ad nostram salutem directa, non exclusa tamen humani generis redemptione per veram, & propriam satisfactionem divinæ justitiæ exhibitam.

94. Sed ut magis convinceantur nostræ redemptionis hostes, breviter examinemus singula: Lucæ IV. explicans Jesus Isaiæ prophetiam, dicit se missum *prædicare captivis remissionem*, utique soluto pretio liberationis a captivitate. Joannes etiam III. 17. dicebat, missum a Patre filium suum, *ut salvetur mundus per ipsum*. Et S. Paulus Rom. VIII. 5. *Deus*, inquit, *Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* Item ad Gal. IV. 4. *Misit Deus Filium suum, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Et multa alia sunt loca, in quibus de-

declaratur potissimus finis missionis Filii Dei in hunc mundum, ut nos redimeret, & amicos, ac filios Dei, placata divina justitia, efficeret. Cum isto autem præcipuo Christi missionis fine alii non pugnant a Socinianis allati.

95. Ad secundum. Certe Christus fuit conditor novi testamenti, sed per proprium sanguinem, quem effudit in remissionem peccatorum. Cujus rei habemus ipsum Dominum Jesum testem loquacissimum, qui in ultima cœna porrigens calicem Discipulis suis, *hic est enim*, dixit, *sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* Matth. XXVI. 28.; & apud Lucam XXII. 20. *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundatur*. Ac demum etiam S. Paulus 1. Corinth. XI. 25. verba Christi ita refert: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*. Eccur autem illa repetitio *sanguinis*, nisi ut intelligamus, non aliter sanctum fuisse novum fœdus, quam per effusionem Sanguinis Jesu Christi *in remissionem peccatorum*, seu satisfactionem divinæ justitiæ præstitam: *Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo?* Sed præ ceteris legi de hac re meretur caput IX. epistolæ Sancti Pauli ad Hebræos, ubi discrimen exponitur veteris, ac novi testamenti, atque excellentia Sanguinis Christi supra sanguinem hircorum, taurorum, aliarumque veteris testamenti hostiarum, & vers. 15. ita concluditur de Christo: *Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento &c.* En quomodo Jesus Christus factus sit novi testamenti *Mediator*.

96. Exemplum autem nobis dedit Jesus Christus omnium virtutum in tota vita sua, ac præcipue in morte, ut nos pati, & mori doceret; ut *nulla sit homini excusatio pro se non pati; cum passus sit ille pro nobis: & cum ille passus sit pro alienis peccatis, multo magis pro peccatis suis unumquemque pati debere*, ut inquit S. Cyprianus de *Exhortatione ad Martyrium* cap. 5. Immo ipse S. Petrus in loco objecto manifeste conjungit exemplis nobis a Jesu Christo relictis etiam satisfactionem pro nostris peccatis, inquiens vers. 23. seq.: *Tradebat autem judicanti se injuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis*.

97. Postremum de Christi resurrectione adeo leve est, ut nec refutari mereatur. Christus Dominus passione, & morte nos redemit; resurrectione autem fidem redemptionis jam factæ confirmavit; ut enim dicebat Sanctus Paulus 1. Corinth. IV. 14.. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra*. Utrumque ergo jungendum est, ut conjunxit idem Apostolus ad Rom. IV. ult. dicens de Christo: *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*. Et ad Rom. V. 10. *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius;* ubi Apostolus tribuit causam nostræ salutis vitæ, hoc est resurrectioni Christi Domini; sed postquam per ipsius mortem, pacata divina justitia, gratiam reconciliationis obtinuimus. Unde Augustinus eadem verba ita commentatur Lib. XIII. *de Trinit.* cap. 16.: „ Justificati „ plane in eo, quod a peccatis omnibus liberati: „ liberati autem a peccatis omnibus, *quoniam „ pro nobis est Dei Filius, qui nullum habebat, „ occisus*. “

98. Instant Sociniani. Ex quo Christus dicatur nos redemisse, & quidem soluto pretio, non sequitur, ipsum satisfecisse pro nobis. Nam Moyses Act. VII. 35. appellatur *Redemptor*, quin tamen aliquam satisfactionem præstiterit.

99. Resp., magnum discrimen a Scriptura Sacra poni inter redemptionem, seu liberationem populi Israelitici a tyrannide Pharaonis, & redemptionem humani generis a captivitate dæmonis a Jesu Christo factam. Prima dicitur facta ab ipso Deo per manum Moysis *in brachio extento, & manu forti;* altera autem per *Sanguinem Christi*, qui fuit redemptionis nostræ pretium, & quo fuit divinæ justitiæ pro nobis satisfactum.

100. Inst. secundo. Christi redemptio ex sacris litteris nihil est aliud, quam gratuita remissio peccatorum, dicente Apostolo ad Ephes. I. 7. de Christo: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus*. Ulterius in sacris litteris non semel vox *redemptionis* sumitur pro simplici & gratuita liberatione. Ita liberatio populi Israelitici vocatur *redemptio* Exodi XV. 13., & Deuter. VII. 8.: non ergo nostra redemptio facta est per satisfactionem divinæ justitiæ.

101. Resp. Quamvis redemptio nostra facta sit, soluto magno pretio, scilicet Sanguine Jesu Christi, nobis tamen ipsa redemptio applicatur in remissionem peccatorum ex ejusdem Christi gratia, unde dicit idem Apostolus, nos esse *justificatos gratis per gratiam ipsius* &c. Vid. supra num. 69.

102. Quamvis etiam nomen *redemptionis* aliquando usurpatum fuerit latiore sensu, non tamen sequitur, impropriæ quoque sumi, quando agitur de nostra redemptione, quæ facta est pretio inæstimabili Sanguinis Jesu Christi. Et præterea nec ipsi Sociniani inficiantur, redemptionem in proprio sensu significare veram pretii solutionem (a). Ec-

(a) Faustus Socinus Lib. II. *de Servatore* cap. 1. *Redimere aliquem*, ait, *nihil aliud proprie significat, quam captivum e manibus illius, quem detinet, dato pretio liberare*.

Eccur ergo debemus sine ulla necessitate ab obvio, & naturali sensu recedere?

103. Inst. tertio. Ex quo Christus dicatur *portasse peccata nostra*, significatur quidem eadem abstulisse, non autem pro eis satisfecisse. Nam Levit. XVI. 22. hircus, qui emittebatur vivus in desertum, ut ibi derelictus devoraretur a bestiis ferocibus, dicitur *portare omnes iniquitates*, quin tamen pro eis proprie satisfaceret. Immo Deus ipse dicitur *portare peccata nostra*, quia ipsa patienter tolerat. Exodi XXXIV. 7. *Qui portas* (non ut legit noster vulgatus, *qui aufers*) *iniquitatem, & scelera atque peccata*.

104. Resp., sacrificia, & hostias, quæ Deo in veteri testamento offerebantur in expiationem peccatorum, fuisse typum, & figuram illius magni sacrificii, quo Christus divinæ justitiæ satisfecit pro nobis; unde vere, & proprie peccata nostra portavit; ut supra n. 66. ex Isaia Propheta exposuimus. Non est autem necesse, ut typo, & figuræ omnia ea conveniant, quæ conveniunt antitypo, & figurato; unde quamvis veteribus sacrificiis nulla proprie inesset vis expiandi peccata, non sequitur, etiam sacrificium Jesu Christi in cruce immolatum non fuisse vere & proprie nostrarum culparum expiatorium. Hoc magnum discrimen luculenter explicat S. Paulus in cap. IX. epist. ad Hebræos, ubi v. 12. & seq. hæc de Christi sacrificio habet: *Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternæ redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* Ex quo autem alicubi in sacris litteris *portare peccata* significet, ea patienter ferre, non est consequens, hanc phrasim idem ipsum significare in Christo Jesu, qui dicitur *attritus, vulneratus, & mortuus* propter scelera nostra, quorum pœnam in se suscepit.

105. Inst. quarto. Matth. VIII. 16. & 17. Christus dicitur curasse infirmos, *ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras* &c.

106. Resp., ex hac S. Matthæi interpretatione solum effici, in oraculo Isaiæ prædictum fuisse, Christum sanaturum non tantum nostros morbos spirituales, scilicet peccata, sed etiam corporales, qui peccatorum pœnæ sunt.

107. Inst. quinto. Hæc doctrina de Christi satisfactione pro nostris culpis infinitam Dei misericordiam minuit, qua sæpe sæpius Deus declaravit, se esse paratissimum ad peccata gratis condonanda, semel ac peccator vera pœnitentia ductus veniam petat.

108. Resp., infinitam Dei misericordiam, & charitatem in hoc relucere, quod nobis Filium suum unigenitum dederit, ut pro nostris peccatis satisfaceret. *In hoc*, inquit S. Joannes in prima epist. IV. 9., *apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum*. Iterum misericordia divina se nobis in eo ostendit, quod posita hac Filii sui satisfactione paratissimus est ad nobis condonanda peccata, quotiescumque nos vera pœnitentia ducti veniam per Christi merita imploramus.

109. Frustra vero laborant Sociniani, nonnulla ex sacris litteris afferentes hujus gratuitæ misericordiæ Dei exempla; ut servi illius, cui apud Matth. XVIII. 27. debitum gratis dimisit. Frustra inquam; neque enim gratuita hæc debitorum nostrorum remissio impedit, aut tollit illam veri nominis satisfactionem, quam Jesus Christus, ut noster fidejussor æterno Patri obtulit; & quæ nobis applicatur per merita, & gratiam Jesu Christi. Utramque conjunxit Apostolus Roman. III. 24. inquiens: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*; quibus verbis & *redemptio* commemoratur a Jesu Christo peracta per veram satisfactionem, & gratiam justificationis nobis gratuito a Dei misericordia collata. Unde peccatorum nostrorum remissio procedit quidem ex justitia respectu Christi, qui pro nobis satisfecit; sed etiam ex gratia, quia gratuito nobis hujus redemptionis efficacia applicatur. Vid. S. Thomas supr. n. 11. allegatus. Corruit itaque illa Socinianorum præcipua objectio, *posita Christi satisfactione, remissionem peccatorum non esse gratuitam*.

110. Inst. sexto. Saltem hæc doctrina opponitur summæ Dei justitiæ, quæ exigit, ut reus puniatur, non autem innocens loco rei: non ergo poterat, aut debebat Christus innocens, & immaculatus pœnas nostris reatibus debitas persolvere. Hinc Deus ore Ezechielis c. XVIII. 20. *Anima*, inquit, *quæ peccaverit, ipsa morietur*. Et Deuter. XXIV. 16. ita præcepit: *Non occidentur patres pro filii, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur*.

111. Respond. Cum Christus Dominus seipsum sponte, ac liberrime obtulerit ad pœnas nostris peccatis debitas perferendas, ut ita injuria Deo irrogata plene, & cumulatissime compensaretur, sine ulla injustitiæ nota potuisse Deum acceptare mortem innocentis pro peccatoribus redimentis. Leges autem a Deo latæ respiciunt humanam justitiam, quæ certe exigit, ut non puniantur innocentes pro alienis culpis; aliter fieret rerum perturbatio maxima. Neque Judices ullum habent dominium super vitam innocentum; neque homines innocentes jus habent tradendæ vitæ suæ pro iniquis; nisi fortasse ex ea charitate, quo bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Ceterum hisce legibus non adstringitur justitia divina. Nam Exodi XX. 5. Deus sic loquitur: *Ego sum Dominus, Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam*

tam generationem eorum, qui oderunt me. Habemus etiam exempla hominum, quos Deus propter aliena scelera punivit; ut Gen. IX. Chanaam maledicitur ob delictum Cham; & secundo Libro Regum cap. XXI. septem filii Saulis suspensi sunt ob Patris crimen, & cap. XXIV. describitur pestilentia immissa a Deo propter peccatum David, qua perierunt *septuaginta millia virorum* (*a*).

112. Quærent denique Sociniani, cuinam solutum sit illud redemptionis pretium? Anne diabolo, qui captivum detinebat totum genus humanum? Hoc videtur absurdum. Anne Deo? At vero sequeretur, Deum fuisse & creditorem, & debitorem; ut sibi ipsi solverit, quod illi debebatur. Et tunc ista redemptio, vel satisfactio fuisset illusoria, & mera injuriæ condonatio.

113. Resp. Debitum nostrum contractum fuisse cum divina justitia per peccatum læsa; non autem cum diabolo, qui nos captivos detinebat, tamquam ejusdem divinæ justitiæ minister: unde pretium nostræ redemptionis solutum est Deo, eique pro nostris peccatis satisfactum. Satisfactum est inquam ab ejus unigenito Filio homine facto; qui tamquam homo pro nobis sanguinem fudit; tamquam vero Deus valorem infinitum eidem sanguini communicavit. *In ipso* (Christo) inquit Apostolus ad Coloss. I. 19. seq., *complacuit, omnem plenitudinem* (divinitatis) *inhabitare; & per eum conciliare omnia in ipsum: pacificans per Sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*.

114. Colligo, justos veteris testamenti non fuisse justificatos, & salvatos, nisi per satisfactionem pro ipsis quoque a Jesu Christo exhibendam, veluti si alicui debitum remittatur ex promissione, & vadimonio sponsoris. Unde S. Augustino Pelagio, exemplum aliquorum justorum ante Christi adventum objicienti, ita respondebat L. I. *contra duas epistolas Pelagianorum* cap. 24.: *Quantalibet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris* (*b*).

CAPUT IV.

De perfectione satisfactionis a Jesu Christo præstitæ.

115. Hactenus contra Socinianos operose demonstratum est, Christum Dominum vere, & proprie divinæ justitiæ pro nostris culpis satisfecisse. Nunc aliqua addenda sunt de hujus satisfactionis perfectione. Et quamquam non omnia, quæ dicturi sumus, ad fidem pertineant, neque ab omnibus Theologis uno consensu admittantur, plurimum tamen inservient, ad illustrandam ea, quæ dicta jam sunt, & etiam ad præcavendum, ne Sociniani ex quorundam Scholasticorum minus certis opinionibus ad pugnam instaurandam animos sumant.

116. Illud autem certum & fixum esse debet, Deum ita acceptasse satisfactionem Jesu Christi pro nostris culpis, ut per ejusdem passionem & mortem totum nostrum debitum remissum sit. Id enim aperte liquet ex sacris litteris, Sanctorumque Patrum testimoniis supra copiose allegatis. Solum in dubium revocatur, an satisfactio Christi ita fuerit ad omnes justitiæ numeros exacta, ut Pater æternus eam omnino acceptare debuerit. Affirmant Thomistæ una cum pluribus aliis Theologis, & contendunt, primo satisfactionem Jesu Christi fuisse non solum *sufficientem*, sed etiam *superabundantem*, propter infinitum valorem, & pretium operum Christi: secundo eandem satisfactionem fuisse exactam ad omnes justitiæ apices, ita ut æternus Pater non potuerit eam non acceptare.

117. Negant subtilis Doctoris Scoti asseclæ, docentes, satisfactionem Christi, quamvis inæstimabilis pretii, & longe superioris merito cujuscumque creaturæ, non tamen fuisse *ab intrinseco* infiniti valoris, nec omnino æquivalentem offensæ ex strictæ justitiæ apicibus, sed solum fuisse sufficientem, immo etiam valoris infiniti *ab extrinseco* propter gratuitam æterni Patris acceptationem (*c*).

118.

(*a*) Historia profana nobis non pauca hominum exempla suppeditat, quorum vita fuit pro aliis immolata, vel qui pœnas aliis debitas in se susceperunt. Quamquam vero hæc exempla minime probanda sunt, quia homo non est suæ vitæ dominus, ostendunt tamen, eam fuisse Gentium opinionem, ut possent innocentes substitui reis, ut eorum vice justitiæ satisfacerent.

(*b*) Nobismus propter necessariam brevitatem omnes Socinianorum cavillationes afferre, quæ innumeræ sunt. Sed ex dictis poterunt facillime eorumdem technæ dissolvi. Egregiam hac in re navaverat operam Hugo Grotius, vir omnigena eruditione exornatus, in *Defensione fidei catholicæ de satisfactione Christi adversus Faustum Socinum Senensem*, Lugduni primum edita anno 1627. in 8., postea sæpius recusa. Cum autem illi Jo. Crellius pro Socino respondisset, Grotius non solum causam deseruit, sed Crellio per epistolam gratias egit, datam Parisiis 1631. die 10. Maii, atque ex eo tempore in Socinianismum aperte inclinavit. Quamobrem sapienter Jacob. Ben. Bossuetus monuit, Grotii Commentarios in Scripturam Sacram cautissime legendos esse; pleni enim sunt Socinianæ pestis. Quod vero Grotius neglexit, præstiterunt alii, ut Andr. Essenius in *Triumpho crucis, seu fide catholica de satisfactione, ac merito Christi asserta, & vindicata ab explicationibus, & objectionibus Socinianorum; potissimum vero ab illis, quas Joann. Crellius in resp. sua in Lib. Hug. Grotii de eodem argumento protulit* Amstelod. 1649. in 4. Ex Scholasticis autem nostris hoc caput ceteris diligentius pertractarunt, præstantissimus, & eruditissimus Theologus P. Laur. Berti Lib. XXVIII. *De Theolog. Discipl.* & Honoratus Tournely *De Incarnat.* Quæst. V. Etiam P. Carolus Renatus Billuart Tomo II. *De Incarnat.* breviter, & dilucide Socinianorum argumenta proponit, & dissolvit.

(*c*) Hoc præcipuum caput est hujus celebris inter

118. Ut autem hæc controversia, quam minime otiosam, & inutilem esse reor, breviter quidem, sed qua majori fieri potest perspicuitate dirimatur, notandum est *primo*, aliam esse rationem meriti, aliam satisfactionis. Meritum enim refertur ad præmium, & respicit bonum personæ merentis, cui præmium debetur. Satisfactio autem refertur ad personam offensam, cui satisfieri debet. Unde Jesus Christus passione, & morte sibi, & nobis merebatur, Deo autem offenso satisfaciebat. Et quamvis in eo utrumque unitum fuerit, in se tamen hæc duo distincta sunt. Nam qui ex. gr. alicui creditori solvit quod debet, nihil ab eo promeretur, sed solum satisfacit; contra qui alteri obsequium indebitum præstat, ab illo grati animi officia promeretur, non tamen illi dicitur satisfacere.

119. Secundo ea recolenda sunt, quæ superius num. 33. diximus de conditionibus requisitis ad strictam, adæquatam, & numeris omnibus perfectam satisfactionem. Has autem veræ, & contingnæ satisfactionis conditiones fuisse in Christo adimpletas, mox demonstrabimus; sed non eo sensu perverso, quo ab aliquibus Novatoribus Christi satisfactio plena, & perfecta dicta est, ut nullis amplius operibus satisfactoriis nobis opus sit, quibus Deo pro nostris peccatis satisfaciamus; qui error medum portentosus, seu perniciosissimus vel ipsis Hæreticis visus est (*a*).

PROPOSITIO I.

Satisfactio Jesu Christi pro nostris peccatis fuit plena, & perfecta; immo & superabundans.

120. Prob. primo ex illis verbis Psalmi 68. 5. *Quæ non rapui, tunc exsolvebam*; quæ sanctus Augustinus Serm. I. in eumdem Psalmum recte intelligit de Jesu Christo, qui *non rapuit, & exsolvebat, non peccavit, & pœnas dabat. Solus enim ipse talis, ipse vere nihil rapuit.* Non autem exsolvit, qui perfecte non satisfacit: Christus ergo patiendo perfecte exsolvit, & satisfecit pro peccatis nostris.

121. Idem S. Augustinus ita explicat Psalm. 129. ubi dicitur: *Quoniam apud Deum misericordia, & copiosa apud eum redemptio; & ipse redimet Israel ab omnibus iniquitatibus ejus:* „ Israel vendere se potuit, & fieri venundatus sub „ peccato; redimere se ab iniquitatibus non potest. Ille potuit redimere, qui se non potuit vendere. Qui non commisit peccatum, ipse est redemptor a peccato: *Ipse redimet Israel.* Unde „ redimet? Ab illa iniquitate, an ab illa? *Ab omnibus iniquitatibus ejus.*" Plena ergo fuit nostra redemptio; adeoque & satisfactio Deo exhibita fuit omnino perfecta.

122. Deinde S. Thomas 3. P. quæst. 48. artic. 2. idipsum hac ratione demonstrat. „ Ille proprie „ satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, „ quod æque, vel magis diligit, quam oderit offensam. Christus autem ex charitate, & obedientia patiendo, majus aliquid Deo exhibuit, „ quam exigeret compensatio totius offensæ humani generis: *primo* quidem propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur: *secundo* „ propter dignitatem vitæ suæ, quam pro satisfactione ponebat, quæ erat vita Dei, & hominis: *Tertio* propter generalitatem passionis, & „ magnitudinem doloris assumpti. Et ideo passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis."

123. Quæ Sancti Thomæ ratio ut majore in luce ponatur, observandum est, quod licet principium *quo*, nempe natura humana, secundum quam Christus Dominus passus & mortuus est, sit finitum; quia tamen principium *quod* operans, nempe divinum suppositum, infinitum est, ideo etiam satisfactio Deo præstita infiniti valoris fuit, adeoque perfecta, & superabundans. Vere enim Filius Dei *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, ut dicit Apostolus ad Philipp. II. 7. Unde pariter ad Rom. V. 15. & seq. idem S. Paulus *non sicut delictum*, inquit, *ita & donum ... Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.*

124. Addit Angelicus, passionem Christi fuisse nedum sufficientem, sed etiam superabundantem, *propter magnitudinem doloris*, cohærenter ad ea, quæ superius docuerat qu. 46. art. 6., scilicet dolorem Christi in sua passione fuisse maximum inter dolores præsentis vitæ, quatuor de causis. *Primo* propter acerbitatem, & universalitatem, & genus Passionis (*b*). *Secundo* ex per-

Scholasticos controversiæ; ex quo tamen variæ, & diversæ pullularunt inter eos minoris momenti opiniones, ut quilibet videre potest apud Cardinalem Joann. de Lugo Tomo IV. Operum Disput. III. *De Mysterio Incarn.*, & apud alios Auctores, quos ipse allegat.

(*a*) Hugo Grotius in *Discuss. Rivet. Animadv.* pag. 27. „ Plerique, ait, ista audientes, ista legentes (scilicet Christum pro nobis Deo pleno satisfecisse) cum „ in peccatis vivant, neque se corrigant, salutem sibi „ pollicentur: nimirum quia, ut ipsi loquuntur, Christum credunt in id mortuum absolute, ut ipsos servet, & justitiam Christi, quæ perfectissima est, & „ cælesti digna præmio, sibi per fidem applicantes, „ merita ejus sua faciunt. Id si ita fieri potest, ceteris jam sunt supervacua, quomodo vivant, nihil interest: sine conditione pro pœna, quam ipsi debent, „ satisfecit Christus: sine conditione gloriam æternam „ est ipsis meritus &c."

(*b*) Verba S. Præceptoris hæc sunt: „ Mors crucifixorum in cruce est acerbissima, quia configuntur „ in locis nervosis, & maxime sensibilibus, scilicet „ in manibus, & pedibus; & ipsum pondus corporis „ pendentis continue auget dolorem, & cum hoc etiam est doloris diuturnitas, quia non statim moriun-

ceptibilitate patientis secundum animam, & secundum corpus; nam in ejus corpore, utpote formato *miraculosa* operatione Spiritus Sancti, maxime viguit sensus tactus, ex cujus perceptione sequitur dolor. Anima etiam secundum vires inferiores efficacissime apprehendit omnes causas tristitiæ; *Tertio*, quia Christus in sua passione excludit quamcumque consolationem, quæ in ipsum derivari poterat a viribus superioribus ad inferiores, ut ipsius dolor, aut tristitia minueretur. *Demum* quia Christus voluntarie assumens illam passionem, propter finem liberationis hominum a peccato, tantam quantitatem doloris assumpsit, quæ esset proportionata magnitudini fructus, qui inde sequebatur. Ita Angelicus.

125. Postremo ad hujus nostræ sententiæ confirmationem mirifice faciunt verba Romani Pontificis Clementis VI. in Extravaganti, qui incipit *Unigenitus Dei Filius* Lib. IV. *Decretalium* titulo *de pœnitentiis, & remissionibus*; ubi primo dicitur, quod *gutta Sanguinis Christi modica, propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis sufficere potuisset*. Deinde additur, Christum sua passione *thesaurum infinitum Ecclesiæ militanti acquisivisse*. Quæ omnia probant, satisfactionem Domini nostri Jesu Christi non solum sufficientem fuisse, & superabundantem, sed etiam valoris infiniti.

126. Ob. primo S. Paulus ad Coloss. I. 24. *Adimpleo*, inquit, *quæ desunt passioni Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia:* non ergo perfecta, & completa fuit satisfactio a Christo pro Ecclesia exhibita.

127. Resp. cum S. Thoma Lect. VI. in hunc locum, „ hæc verba secundum superficiem ma„ lum posse habere intellectum, scilicet quod Chri„ sti passio non esset sufficiens ad redemptionem, „ sed addi debere ad complementum passionis San„ ctorum. *Sed hoc est hæreticum*, quia Sanguis „ Christi est sufficiens ad redemptionem etiam „ multorum mundorum." Exploso igitur hoc perverso sensu ita Paulinum textum explicat Angelicus, quod Christus, & Ecclesia sunt una persona mystica, cujus caput est Christus, corpus omnes justi. Deus autem ordinavit in sua prædestinatione, quantum meritorum debebat esse per totam Ecclesiam, tam in capite quam in membris. Christi merita sunt infinita; quilibet vero sanctus exhibet aliqua merita secundum mensuram suam; & ideo dicit Apostolus: *Adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi:* idest totius Ecclesiæ, cujus est caput Christus, addendo mensuram meam. Neque enim ita Christus Dominus Patri satisfecit, ut opera nostra satisfactoria excludat, sed sua passione, & morte nostris bonis operibus vim satisfaciendi a Deo impetravit. Apostoli ergo verba sic intellecta non solum nihil imminuunt de perfectione satisfactionis Christi, sed potius ejusdem efficaciam ostendunt, ex qua etiam in nostras passiones meritum redundat.

128. Dices primo. Si Christus sufficienter, immo superabundanter satisfecisset pro omnibus nostris peccatis, non essent necessariæ nostræ passiones ad satisfaciendum pro iisdem: nec ulla alia remedia requirerentur ad ea delenda: quod tamen est falsum.

129. Respond. cum S. Thoma Lib. IV. *Contr. Gentes* cap. 55. in fine: „ Quamvis Christus suf„ ficienter pro peccatis humani generis sua mor„ te satisfecerit, sunt tamen unicuique remedia „ propriæ salutis quærenda. Mors enim Christi „ est quasi quædam universalis causa salutis, sic„ uti peccatum primi hominis fuit quasi univer„ salis causa damnationis. Oportet autem, uni„ versalem causam applicari ad unumquodque „ specialiter, ut effectum universalis causæ par„ ticipet. Effectus igitur peccati primi parentis „ pervenit ad unumquemque per carnis originem: „ effectus etiam mortis Christi pertingit ad unum„ quemque per spiritualem regenerationem, per „ quam homo Christo quodammodo conjungitur, „ & incorporatur: & ideo oportet, quod unusquis„ que quærat regenerari per Christum, & alia „ suscipere in quibus mors Christi operetur." Vid. etiam 3. P. qu. 49. art. 1. ad 4.

130. Et sic pariter idem Angelicus eodem loco aliam similem diluit objectionem, scilicet injustas videri illas pœnalitates, quibus homines propter peccatum originale obnoxii sunt, si Christus pro nobis plene, & integre satisfecit.

131. „ Quamvis enim, inquit, Christus pro „ peccato originali sua morte sufficienter satisfe„ cerit, non est tamen inconveniens, quod pœna„ litates ex peccato originali consequentes, rema„ neant adhuc in omnibus, qui etiam redemptio„ nis Christi participes fiunt. Hoc enim congruen„ ter

„ tur, sicuti hi, qui gladio interficiuntur." Cum vero sibi objecissel, quosdam Martyres sustinuisse graviores, & diuturniores passiones, respondet ad 1. eosdem solummodo sensibiles dolores pertulisse ex corporali læsione, Jesu Christi autem passionem fuisse majorem ex aliis causis, quas recensuimus.

Declarat item Angelicus ad 3., se non comparare dolores Christi doloribus damnatorum: quia damnatio excedit omne malum hujus vitæ, sicut Sanctorum gloria excedit omne bonum præsentis vitæ. Qua doctrina apparet, quam longe fuerit ab illa horribili Calvini blasphemia, qui Lib. II. *Institut. Christi Relig.* c. 16. n. 10. & seq. *nihil actum fuisse* dicit, *si corpore tantum morte defunctus fuisset Christus:* unde enim oportuisse *cum inferorum capiis æternaque mortis horrore, quasi consertis manibus luctari ... & diros in anima cruciatus damnati, ac perditi hominis pertulisse.* Ac demum concludit: *Ita cum diaboli potestate, cum mortis horrore, cum inferorum doloribus manum conferendo, factum est ut referret de illis victoriam, & triumphum ageret.*

„ ter factum est, ut pœna remaneret, etiam cul-
„ pa sublata. " Quod ibidem S. Doctor nonnul-
„ lis rationibus ostendit.

132. Ob. 2. Plena, & integra satisfactio impor-tat æqualitatem quamdam ad culpam, cum sit actus justitiæ: sed passio Christi non videtur æqualis omnibus peccatis humani generis; quia Christus non est passus secundum divinitatem, sed secundum carnem, quæ creata, & finita est.

133. Respondet S. Thomas 3. P. q. 48. art. 2. ad 3. „ quod dignitas carnis Christi non est æ-
„ stimanda solum secundum carnis naturam, sed
„ secundum personam assumentem; inquantum
„ scilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignita-
„ tem infinitam. " Et certe si consideretur vel principium *quod*, vel etiam principium *quo* passionum Christi, in eas pretium infinitum derivari oportebat. Principium enim *quod* erat ipsa Persona Verbi: unde Dei Filius dicitur in Symbolo *passus, mortuus*, & *sepultus*. Principium autem *quo* erat natura humana, non præcise considerata in se ipsa, quo pacto finita est, sed ut subsistens in divino supposito infinito: unde ejus operationes valorem consequebantur infinitum. Vel etiam ut Angelicus loquitur qu. 49. art. 1. ad 1., quia *Caro Christi est Divinitatis instrumentum, & ex hoc passio ejus habet quamdam divinam virtutem dimittendi peccata*. Quod autem S. Joann. Damascenus Lib. III. *de fide orthod.* c. 7. his verbis docuerat, de Christi carne loquens: *Non enim secundum propriam vim, sed propter unitum sibi Verbum divina operabatur ... sicut ignitum ferrum urit propter unionem ad ignem*.

134. Et hæc ad argumenti solutionem sufficiant, quin subtiles illas, nec admodum utiles Scholasticorum speculationes aggrediamur, undenam repeti debeat valor infinitus satisfactionis Christi: undecumque enim sumatur, semper illud verum est, quod omnes fatentur Theologi, hinc valorem esse infinitum, adeoque satisfactionem non solum esse sufficientem, sed etiam superabundantem (*a*).

135. Dices primo. Creatio mundi, aliæque Dei operationes ad extra, licet proveniant a causa infinitæ virtutis, nullam tamen contrahunt infinitam perfectionem: ergo pariter satisfactio Christi, quamvis procedat a supposito divino, & infinito, non tamen propterea infinitum valorem contrahit.

136. Resp., omnes actiones Dei esse ex parte principii agentis infinitas, quamvis ex ipsis non resultet effectus infinitus. Ita etiam quamvis actiones Christi satisfactoriæ, quæ ex natura procedebant humana, essent finitæ, valorem tamen infinitum contrahebant propter divinum suppositum, in quo natura ipsa humana subsistebat.

137. Inst. secundo. Semel ac duæ causæ ad aliquem effectum producendum concurrunt, quarum una finita sit, licet altera sit infinita, effectus tamen inde resultans finitus est; ut patet in operationibus nostris, quæ finitæ semper sunt, licet ad eas eliciendas causa etiam infinita concurrat, nempe Deus, qui omnia opera nostra in nobis, & nobiscum operatur: cum ergo in passione Christi una cum infinita Divinitate etiam humanitas finita concurrerit, eadem valoris infiniti esse nequeunt.

138. Resp., satis obvium esse discrimen inter exempla, quæ ex rebus creatis afferri possunt, & Christi humanitatem; hæc enim personæ Verbi erat hypostatice unita, quæ proinde Verbi persona erat principium *quod* omnium ejusdem operationum, & quibus valorem infinitum communicabat; unde potuit justitiæ divinæ infinita satisfactio præstari.

139. Dices tertio. Si ex unione hypostatica redundaret in actiones Christi humanas valor infinitus, jam omnes fuissent æqualis meriti; neque enim dari potest unus valor infinitus major altero valore infinito; atqui hoc nemo dixerit: ergo &c.

140. Respond. neg. maj.; quamvis enim ex parte personæ operantis, quæ est divina, non possit inæqualitas meriti desumi, desuntur tamen ex ipsis operationibus, quæ diversæ sunt, & majoris, vel minoris difficultatis. Unde S. Thomas supra allegatus num. 122. plenitudinem satisfactionis Christi non solum repetit ex dignitate vitæ, quam pro satisfactione ponebat, *quæ erat vita Dei, & hominis*; sed etiam ex magnitudine charitatis; ex qua patiebatur, & ex magnitudine doloris assumpti. Et ulterius in qu. 46. art. 5. ad 3. docet, unam minimam passionem Christi *sufficisse* ad redimendum genus humanum, conveniens tamen fuisse, ut omnia passionum genera toleraret.

141. Ob. tertio. In Christi passione fuit Deo maxima injuria irrogata per peccatum, scilicet Deicidii, quod est omnium gravissimum (*b*): non igitur potuit per eamdem passionem plene, & integre Deo satisfieri.

142.

(*a*) Alii enim repetunt ex infinito pretio rei oblatæ, nempe Sanguinis Christi, qui ex unione cum Verbo valorem in se habebat infinitum. Unde Clemens VI. in sua extravaganti *Unigenitus* unicam guttam Christi, *propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani sufficisse*, dicit supr. num. 125. Aliqui operationes Christi valoris esse infiniti dicebant, propter sanctitatem infinitam, quam humanitas Christi accepit a Verbo, & propter quam redditur infinite grata Deo; & quamvis concedant, hanc sanctitatem non esse infinitam *simpliciter*, sufficere tamen credunt, quod sit infinita *secundum quid*, seu in ordine superiore cuicumque sanctitati hominibus communicatæ. Alii alias excogitarunt rationes, quas cuilibet videndas, & considerandas permittimus apud supra laudatum Cardinalem Joann. De-Lugo, aliosque Scholasticos ab eo allegatos.

(*b*) Hac potissimum argutia Petrus Abaelardus doctrinam satisfactionis Christi convelli posse credebat, dicens: *Quomodo justificari nos, vel reconciliari Deo per mortem Filii ejus dicit Apostolus, qui tanto amplius adversus hominem iratel debuit, quanto amplius*

142. Resp. S. Thomas quæst. 48. art. 2. ad 2. „ quod major fuit charitas Christi patientis, quam „ malitia crucifigentium: & ideo plus potuit Chris„ tus satisfacere una passione, quam crucifixores „ offendere occidendo; intantum quod passio Chri„ sti sufficiens fuit, & superabundans ad satisfa„ ciendum pro peccatis occidentium illum. "

143. Inst. Christus in ipsa passione oravit pro suis crucifixoribus, dicens Lucæ XXIII. 34. *Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt;* atqui si ejus satisfactio fuisset sufficiens, perfecta, & superabundans, opus non habuisset orare; ergo &c.

144. Resp., orationem illam Jesu Christi ad Patrem, etiamsi non fuisset necessaria ad divinam justitiam placandam, cui passione ejusdem Jesu Christi satisfactum jam erat; fuisse tamen necessariam ad exemplum orandi pro persecutoribus nostris nobis præbendum. Eadem etiam oratione ostendebatur, Christum esse nostrum Mediatorem, & intercessorem apud suum Patrem; ac demum Christus oravit, ut suæ passionis fructus crucifixoribus applicaretur.

145. Objic. ultimo. Christus non potuit gratitudinem condignam, & æquivalentem Deo reddere pro beneficio incarnationis accepto: ergo multo minus potuit condignam Deo satisfactionem offerre pro peccatis nostris. Consequens est manifestum, quia plus est compensare debitum ex justitia, quam gratum se exhibere pro beneficentia: ergo si hoc non potuit Christus, nec potuit aliud. Prima autem antecedens propositio probatur ex eo, quod Christus pro gratitudine non potuisset reddere nisi opera finita, saltem in genere physico: beneficium autem incarnationis fuit in omni genere infinitum.

146. Resp. *primo*, neg. cons.; ut enim sapienter docet S. Thomas 2. 2. quæst. 106. art. 6., hoc interest inter satisfactionem, quæ opus justitiæ est, & recompensationem, quæ fit ex gratitudine; quod ille, qui beneficium accepit, ad hoc „ obligatur ex debito honestatis, ut similiter ali„ quid *gratis* impendat. Non autem videtur ali„ quid *gratis* impendere, nisi excedat quantita„ tem accepti beneficii; quia quamdiu recompen„ sat minus, vel æquale, non videtur facere gra„ tis, sed reddere, quod accepit. " Ulterius in resp. ad 1. bene observat S. Doctor, *in recompensationem beneficii magis esse considerandum affectum, quam effectum;* unde ponit exemplum filii, qui *effectu* non potest recompensare beneficium vitæ, sibi datæ a parentibus: „ Si autem „ attendamus ad ipsum voluntatem dantis, & re„ tribuentis, sic potest filius aliquid majus patri „ retribuere (ut Seneca dicit Lib. III. *de bene„ ficiis* c. 29. & seq.) *Si tamen non posset*, „ *sufficeret ad gratitudinem recompensandi vo„ luntas*. " Ex qua S. Thomæ doctrina duo elicuntur pro solutione propositæ difficultatis. *Primo* enim verum non est, si Christus non poterat æquivalentem gratitudinem Deo exhibere pro beneficio incarnationis, *multo minus* potuisse condignam pro nostris peccatis Deo exhibere satisfactionem. *Secundo* etiam falsum est, non potuisse Christum condignam Deo exhibere gratitudinem pro beneficio incarnationis, quia etiamsi non potuisset in *effectu*, poterat tamen in *affectu*, & *voluntate*.

147. Resp. *Secundo*, Christum recompensasse beneficium incarnationis, quia Verbum divinum obtulit seipsum Patri, quæ oblatio quamquam ex parte humanitatis finita esset, infinita tamen erat propter dignitatem personæ offerentis.

PROPOSITIO II.

Satisfactio Christi fuit perfecta ad omnem justitiæ rigorem (*a*).

148. Prob. Ut satisfactio Jesu Christi dicatur facta ad omnem justitiæ rigorem, quinque requiruntur: *primo* ut sit æquivalens: *secundo*, ut sit ex bonis propriis: *tertio*, ut hæc bona non sint alio titulo debita: *quarto* ut sit ad alterum: *demum*, ut in ea nihil gratuitum intersit. Atqui hæc omnia in Christi satisfactione inveniuntur: ergo &c.

149. Prima minoris pars, scilicet Christi satisfactionem fuisse *æquivalentem*, imo & superabundantem, nova demonstratione non indiget, cum fuerit in superiore propositione luculenter ostensa.

150. Altera autem pars, quod satisfactio Christi fuerit *ex bonis propriis*, evidens est. Jesus etiam Christus pro nostris peccatis obtulit suum corpus, suum sanguinem, & animam suam: *Corpus meum*, inquit apud Isaiam Lib. 6. *dedi percutientibus*. Et Joann. X. 17. *Ego pono animam meam;* & antea vers. 11. *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*.

151. Sequitur tertia rigorosæ satisfactionis con-

homines in crucifigendo Filium suum deliquerunt, quare in transgrediendo primum ejus præceptum pomi gustu? Quod si tantum fuerat illud Adæ peccatum, ut expiari non posset, nisi morte Christi, quam expiationem hubebit ipsum homicidium, quod in Christum commissum est? Apud S. Bernardum in Tract. de erroribus Abaelardi cap. 8. Huic autem quæstioni S. Pater respondet, hanc expiationem fuisse *ipsum Sanguinem, quem fuderunt, & interpellationem ipsius, quem occiderunt ... Fuit vero Sanguis, qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est, ut effunderetur, deleret.*

(*a*) Hæc propositio est contra Scotistas; quibus etiam favet Card. Jo. De-Lugo *De Mysterio Inc.* Disp. III. Sect. 10., ubi probare nititur, *satisfactionem Christi, licet fuerit rigorosa, quoad æquivalentiam, & condignitatem pretii absoluti, non tamen fuisse rigorosam quoad modum solutionis, sed indiguisse aliqua libera gratia Dei.*

ditio, quod nempe sit ex bonis indebitis. Cum vero in superiore propositione ostensum fuerit, Christi satisfactionem, nedum sufficientem, sed & superabundantem fuisse, sequitur manifeste, eandem factam esse ex ejusdem Christi bonis indebitis. Et ulterius Christi satisfacientis persona, cum divina fuerit, Patrique omnino æqualis, nemini quidquam absolute debebat: assumpsit ergo debita nostra, pro quibus satisfaceret, non sua, quæ nulla habebat.

152. Aliqua videtur difficultas in quarta satisfactionis conditione, ut sit ad alterum, cum nemo possit sibi ipsi satisfacere; & Christus, ut Deus, non minus peccatis hominum læsus fuerit, quam Pater, & Spiritus Sanctus.

153. Hæc tamen objectio etiam ab adversariis dilui debet, qui sin minus perfectam, & ad strictos juris apices exactam, saltem aliquam veram satisfactionem fuisse Deo a Jesu Christo pro nostris culpis exhibitam contra Socinianos fatentur. Hæc autem satisfactio, cujusmodi ea sit, debuit fieri ad alterum, cum nemo possit sibi ipsi satisfacere.

154. Ad hanc igitur difficultatem tollendam ceteris probabilior videtur illorum responsio, qui duplicem in Christo personam, non *realiter*, ut blasphemabat Nestorius, sed *virtualiter* tantum, & *moraliter* distinguunt, quatenus in eo duplex erat natura, duplex voluntas, duplex operatio: hanc autem distinctionem *virtualem*, & *moralem* sufficere, ut Christus non sibi ipsi, sed alteri satisfecerit; nimirum Verbum divinum ut subsistens in natura humana Deo satisfaciebat; & ipsum Verbum divinum ut subsistens in natura divina, eamdem satisfactionem acceptavit. Sic etiam Christus Dominus in humana natura sacrificium sui ipsius Deo obtulit; idemque Christus in natura divina sacrificium oblatum acceptavit. *Verus ille mediator*, inquit S. Aug. L. X. *de Civ. Dei* cap. 20., *inquantum servi formam accipiens, mediator effectus est Dei, & hominum homo Christus Jesus, cum in forma Dei sacrificium sumat, cum quo & unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse, quam sumere.*

155. Inst. Saltem Christus non potuit satisfacere pro culpa suorum crucifixorum; hi enim peccarunt contra ipsum Christum, ut Deum, & ut hominem; adeoque debuisset Christus etiam sibi ipsi, ut homini, satisfacere.

156. Resp., peccata, quæ contra homines patrantur, semper includere offensam Dei; sicut peccata in Spiritum sanctum totam offendunt Augustissimam Triadem. Christus ergo etiam pro hoc suorum hostium peccato satisfecit; quateuus illa maxima injuria sibi irrogata, erat etiam maxima offensa Dei.

157. Ex dictis demum seipsa fluit postrema conditio, nihil in Christi satisfactione gratuito suppletum fuisse. Cum enim hæc satisfactio plena fuerit, & superabundans, non potuit Deus eamdem non acceptare. Et quamvis Deus ex pura sua misericordia ab æterno decreverit, Filium suum mittere in hunc mundum, ut noster fidejussor, & mediator esset, non tamen ex hoc sequitur, ejusdem nostri fidejussoris satisfactionem fuisse ex sola misericordia, & non etiam ex stricta justitia. Sicuti ex. gr., si cui ablatus sit equus, potest absolute non acceptare recompensationem in pecunia; si tamen eam acceptet; & fur pro equo ablato justum, immo & superexcedens pretium offerat, dicitur eidem ex plena justitia satisfecisse; neque furi aliquid gratis remissum fuisse: præcipue autem si restitutio equi facta sit impossibilis.

158. Sacræ etiam litteræ aperte insinuant Christi satisfactionem fuisse ad justitiæ rigorem; ut cum dicunt Rom. III. 25.; *Quem* (Christum) *proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ.* Et c. V. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem.*

159. Hinc etiam plerique sancti Patres post S. Augustinum Lib. XIII. *de Trin.* cap. 13. T. VIII. bene observarunt, Salvatorem nostrum voluisse vincere diabolum, non *potentia*, sed *justitia*, videlicet justum pretium solvendo, ut nos ab ejus captivitate redimeret. *Ad dominationem diaboli destruendam*, inquit S. Leo Serm. XII. de passione Domini, *magis usus est justitia rationis, quam potestate virtutis.* Et S. Gregorius Papa lib. 27. *Moralium* c. 5o. ita de Christo loquitur: „ Fecit pro nobis sacrificium: corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato; „ quæ & humanitate mori, & *justitia* mundare „ potuisset.“

160. Obj. primo. Christus Dominus nihil habebat proprium, cum omnia ipsi tradita fuerint a Patre Matth. XI. 27. *Omnia*, inquit Christus, *mihi tradita sunt a Patre meo*: nihil ergo ex propriis bonis poterat Christus in satisfactionem Patri offerre.

161. Resp., Omnia quidem fuisse Jesu Christo a Patre donata, ita tamen ut sub ejus dominio, & potestate essent constituta, unde sua proprie vocare poterat; adeoque de suis satisfactionem Patri offerre. Veluti cum Princeps alicui subdito aliquid donat, id in ipsius potestatem transit; & subditus ex eo potest eidem Principi debitum vel suum, vel etiam alienum solvere.

162. Ulterius præ oculis hic semper habendum est, non hic agi de aliquo debito reali, ut est debitum pecuniarum, aut aliarum rerum; sed de recompensatione honoris propter offensam Deo irrogatam per nostras culpas: hæc autem recompensatio facta per satisfactionem oblatam a persona ejusdem dignitatis fuit omnino æqualis, & ad justitiæ apices.

163. Inst. primo. Opera, quibus Christus satisfecisse dicitur, tota ex Dei gratia pendebant; nempe primo ex unione hypostatica quæ mere gratuita fuit, neque ulla ratione promerita (Vid. sup. num.

num. 429.); deinde etiam pendebant ex gratia actuali, quæ est ad singulos actus bonos necessaria.

164. Resp., allata unionis hypostaticæ, aliarumque gratiarum dona ita propria Jesu Christi facta fuisse, ut ex iisdem tamquam ex propriis potuerit Deo Patri propter iniquitates nostras vere satisfacere, ut supra n. 150. & 151. exposuimus.

165. Inst. secundo. Hæc omnia dona Jesu Christo collata semper remanebant Dei supremo dominio subjecta: satisfactio igitur Deo ex hujusmodi donis exhibita vere, & proprie non erat ex bonis Jesu Christi propriis, sed ex bonis ipsius Dei. Declaratur ant. Principium, unde opera Christi satisfactoria oriebantur, erat humana ejusdem natura, in qua passus, & mortuus est; sed humana Christi natura tota erat sub dominio Dei: ergo &c.

166. Resp. primo. Si propter absolutum, & generale dominium Dei non potuisset Jesus Christus *ex propriis* eidem Deo satisfacere, nec ullus homo posset alteri condignam pro illata offensa satisfactionem exhibere; quodcumque enim ille personæ offensæ præstaret, semper esset ex iis, quæ supremo Dei dominio subduntur, & quæ etiam sine ejusdem Dei influxu, & concursu efficere non potest. Nemo autem dicet, hac de causa non posse hominem qui læsit, personæ læsæ veram satisfactionem ad justitiæ rigorem præbere; ergo etiam &c.

167. Resp. 2., actiones Christi satisfactorias, quamvis essent sub generali, & infinito dominio Dei, a quo omnia creata dependent, fuisse tamen etiam sub dominio particulari Jesu Christi, a cujus libera voluntate procedebant; & in cujus propterea potestate erat, ea opera elicere, vel non elicere, eademque pro nostris peccatis æterno Patri offerre, vel non offerre. Quod quidam Theologi non inepte explicant exemplo dominii supremi, quod Princeps habet in omnia bona suæ ditionis, quin tamen hoc supremum dominium tollat, aut lædat singulorum civium particulare dominium, veramque uniuscujusque subditi suarum rerum proprietatem. Nam etiam causæ universales non tollunt, aut lædunt, actiones causarum particularium, quæ ipsis in operando subsunt.

168. Addunt alii, dupliciter actiones Jesu Christi considerari oportere, scilicet *primo* in *esse physico*; & hoc modo esse universali dominio, & influxui Dei omnino subjectas; *secundo* autem in esse *morali*, nempe secundum valorem infinitum, qui in eas ex divino supposito redundabat; & hoc modo, cum principium earumdem elicitivum *quod* sit ipsa Verbi persona, eas non subdi dominio alicui externo, & superiori, cum Verbum ipsum sit Patri consubstantiale, & perfecte æquale. Cum autem opera Christi satisfactoria considerari debeant non in *esse physico*, sed *in esse morali*, ita fuisse Salvatoris propria, ut iisdem veram, & adæquatam pro injuria compensationem offerre posset.

169. Inst. tertio. Ipsa entitas physica operationum Christi erat ad satisfactionem necessaria: ergo si hæc non erat propria Christi, sed subjecta supremo Dei dominio, Christi satisfactio non fuit ex propriis.

170. Resp., physicam Christi operationum entitatem fuisse necessariam, veluti quid præsuppositum, non vero ut ipsam formam satisfactionis, cujus valor ex dignitate personæ repetebatur; quamobrem attenta sola physica actionum entitate non fuisset satisfactio Christi perfecta & adæquata; fuit autem perfecta, & adæquata, spectato valore, & pretio ex dignitate personæ profluente.

171. Inst. quarto. Ipsa dignitas personæ divinæ erat ab æterna Patris generatione derivata: ergo item valor, & pretium operum Jesu Christi non erat *ex propriis*.

172. Resp. hanc personæ divinæ infinitam dignitatem esse quidem acceptam a Patre per æternam generationem una cum ipsa Patris natura; sed factam esse propriam Filio, & independentem, quemadmodum est in ipso Patre.

173. Obj. secundo contra tertiam veræ satisfactionis conditionem, ut scilicet sit *ex bonis indebitis*. Omnia Jesu Christi opera erant Deo multis titulis debita, sicuti & nostra: ergo non potuit satisfacere Deo *ex indebitis*.

174. Resp., omnes Christi operationes, quantum ad physicam entitatem, fuisse Deo debitas titulis dependentiæ, obedientiæ, religionis, gratitudinis &c. sed non quantum ad valorem, & pretium, quod in easdem operationes ex dignitate infinita personæ operantis dimanabat. Sub hac autem ratione sola dicitur Jesu Christi satisfactio æqualis, perfecta, & adæquata.

175. Obj. tertio. Satisfactio Christi dependebat maxima ex parte a Dei misericordia, qua sola permotus fuit ad Filium suum unigenitum, nobis dandum; cum ex tota justitia potuisset hunc nostrum Redemptorem nobis negare, & nos in promerita damnatione deserere. Prima ergo hujus redemptionis origo est gratuita, adeoque & ipsa satisfactio non omnino fuit ad justitiæ apices exacta.

176. Resp., Incarnationem Verbi fuisse conditionem necessariam, & præsuppositam ad justam & condignam satisfactionem: ea autem præsupposita probamus, eandem satisfactionem fuisse exactam ad omnem justitiæ rigorem, quamobrem dici potest, Christi Domini missionem fuisse donum pure gratuitum a divina misericordia nobis collatum; Christi autem satisfactionem fuisse opus justitiæ, quod Deus non poterat non acceptare; ac propterea hanc Christi satisfactionem esse respectu nostrum infinitam Christi charitatem, respectu autem Dei perfectam justitiam.

177. Inst. primo. Ergo ex hac doctrina sequitur, Deum gratuito illud dedisse, quod ad debitum solvendum erat necessarium: hoc autem tollit veram, & accuratam justæ satisfactionis notionem. Quemadmodum si creditor donaret debitori illam

pecuniam, quæ necessaria est ad expungendum debitum, vere & proprie diceretur, gratuito remisisse ipsum debitum.

178. Resp., id verum esse respectu nostrum, quibus certe ex sola divina liberalitate debitum remissum fuit; non autem respectu Jesu Christi, qui pro nostris debitis Patri abunde satisfecit, dando animam suam pro nobis. Unde vere dici potest cum Apostolo Rom. III. 24., nos esse *justificatos gratis per gratiam ipsius* (nempe Dei), *per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*. Et simul plene fuisse divinæ justitiæ satisfactum per eundem Jesum Christum, *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ*.

179. Inst. 2. Potuisset Deus non acceptare hanc Christi satisfactionem pro nostris delictis: quemadmodum creditor potest absolute recusare alterius vadimonium: ergo semper in Christi satisfactione aliquid relucet ex parte Dei mere gratuitum.

180. Resp., utique potuisse Deum ex suæ justitiæ juribus non mittere Filium suum ad redimendum nos a peccatis, ut jam sæpe dictum est: sed posita hac misericordi voluntate, non potuisse recusare satisfactionem sibi a Filio exhibitam, ut imperfectam, & inæqualem; cum reipsa fuerit & sufficiens, & superabundans, & juxta strictum justitiæ rigorem.

Quæres primo, an valor satisfactionis Jesu Christi fuerit *simpliciter*, & *intrinsece* infinitus?

181. Negant Scotistæ, duce Doctore subtili, qui in 3. lib. *Sent.* Distinct. 19., & 20. vult, satisfactionem Christi fuisse finitam; tum quia fuit pro remissione numeri finiti peccatorum; tum etiam, quanquam pro numero peccatorum infinito, fuisset tamen talis ex sola gratuita acceptione divina.

182. Oppositum docet S. Thomas 3. P. qu. 48. art. 1. ad 3. inquiens, dignitatem carnis Christi non esse æstimandam solum secundum carnis naturam, sed secundum personam assumentem, inquantum scilicet erat caro Dei, *ex quo habebat dignitatem infinitam*. Augelico autem subscribunt, præter ejus discipulos, plurimi alii graves Theologi, ut hæc sententia non solum pia, sed pene communis, & certa sit.

183. Id vero multis rationibus suaderi potest; sed hæc sufficiat, quam S. Thomas mox laudatus insinuat. Valor satisfactionis Christi desumi debet a dignitate personæ satisfacientis; quemadmodum inter homines, quo dignior est persona se humilians, & patiens pro reparanda injuria illata Regi, eo major satisfactio reputatur. Sed dignitas personæ Christi humiliati, patientis, & morientis pro nostris peccatis, est infinita: ergo etiam &c.

Operæ autem pretium non arbitror, eas subtiles difficultates enodare, quas acuti Scotistæ contra hanc communem fere aliorum Scholasticorum sententiam excitarunt; quas quisque pro lubito apud utriusque scholæ Theologos invenire poterit.

Quæres secundo, ex qua justitia Christus pro nostris peccatis satisfecit.

184. Resp., satisfecisse ex justitia commutativa, qua tantum honoris Deo sua morte reddidit, quantum illi fuerat nostris offensis ablatum: unde Apostolus ad Coloss. II. 14., de beneficiis loquens nobis a Servatore nostro collatis, *Delens*, inquit, *quod adversum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud Cruci:* „ per quam satisfa„ciens Deo tulit peccatum nostrum, “ ut commentatur S. Thomas in hunc locum. Hinc est etiam, quod in sacris paginis satisfactio Christi vocatur *emptio, redemptio, & solutio pretii*; quæ nomina proprie spectant ad justitiam commutativam.

185. Quamvis vero Christi satisfactio dicatur proprie actus justitiæ commutativæ propter æqualem, immo superabundantem solutionem debiti nostri; non tamen propterea aliæ virtutes excludantur; præcipue autem virtus charitatis, quam S. Paulus vocat *nimiam* ad Ephes. II. 4. inquiens: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos* &c. Idem autem Apostolus ad Gal. II. 20. nos docet, hanc Christi nimiam charitatem non solum omnes in communi respexisse, sed singulos etiam in particulari: *Dilexit me*, inquit, *& tradidit semetipsum pro me*. Magna quoque Christus Dominus nobis reliquit exempla omnium aliarum virtutum, humilitatis, qua eum in forma Dei esset, *exinanivit*, & *humiliavit semetipsum*; tum obedientiæ usque ad mortem crucis, patientiæ, mansuetudinis, &c.

CAPUT V.

De Christi merito.

186. Ex quo Christus pro nobis æterno Patri satisfecerit, recte consequitur, etiam nobis promeritum fuisse omnia ea, quæ ad remissionem peccatorum, ac reconciliationem cum Deo, atque ad salutem consequendam sunt necessaria; qua de re nulla videtur esse apud Theologos controversia, nisi fortasse ad ipsius meritum una cum libertate componendum; de qua conciliatione in cap. sequ. diligenter tractabimus. Sed ab aliquibus negatum fuit, Christum sua obedientia, aliisque sublimibus, atque heroicis virtutibus aliquid sibi ipsi meruisse (a). Nos autem doctrinam S. Thomæ se-

(a) Magister sententiarum in Lib. III. initio Dist. XVIII. aliquos memorat, qui Christum sibi nihil meruisse volebant, sed tantum nobis. Horum errorem adoptavit Calvinus Lib. II. *Instit.* c. 17. §. 6., ubi more suo Scholasticos *finitæ curiositatis*, & *temeritatis* accusat, & post ipsum etiam non pauci ejusdem Sectæ, non tamen omnes, Zanchius enim non semel asserit, Christum sua obedientia & sibi, & nobis promeruisse vitam æternam. Sic T. VIII. *De Rel. Chr.* 12. aphor. 15., cui sententiæ subscribit etiam Jo. Pi-

quemur 3. P. q. 19. art. 3., & Quæst. XXIX. de verit. art. 6. & 7., statuentes, Jesum Christum non solum nobis cum Deo reconciliationem, ac gratiam adoptionis sua passione, & morte obtinuisse, sed sibi etiam ipsi quædam meruisse; unde sit

PROPOSITIO I.

Christus Dominus humanis suis actionibus quid sibi promeruit.

187. Prob. primo Inculentis veteris, ac novi fœderis oraculis. Psalmo II. Pater æternus Filio suo dicit: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam;* item Ps. 99. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput;* & Is. LIII. 11.: *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur.* Item Lucæ XXIV. 26. Christus ipse duobus Discipulis euntibus in Emmaus dicebat: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Gloriam nempe corporis, quam per resurrectionem a mortuis jam obtinuerat, & aliam, quam per ascensionem in cælum, ac propagationem suæ doctrinæ toto orbe terrarum adepturus erat. Unde etiam illa vox Apocal. V. 12. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & gloriam, & benedictionem.*

188. Id ipsum confirmat Apostolus ad Philip. II. 9., ubi postquam commemorasset Christi humilitatem, & obedientiam usque ad mortem crucis, ita infert: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen* &c. Quæ Apostoli verba ita pulchre commentatur S. Augustinus Tract. 94. in Jo. T. III. *Humilitas passionis charitatis est meritum; claritas humilitatis est præmium.* Christus ergo aliquid suis virtutibus sibimetipsi in hac vita promerit.

189. Neque audiendus est Joannes Franc. Buddæus, e Lutheranorum secta, qui Libr. IV. *Instit. Theolog. Dogmatic.* cap. 2. §. 23. una cum Calvino particulam illam *διὰ* a Sancto Paulo adhibitam non vult esse particulam *causalem*, significantem causam meritoriam, ob quam Deus Filium suum exaltavit, quia Apostolus pergens subdit: *Et donavit* &c. græce *ἐχαρίσατο*, manifeste innuens, hanc exaltationem factam esse ex gratia, non ex merito.

190. Non, inquam, est audiendus: *primo* enim illa explicatio repugnat naturali, & obviæ significationi illius particulæ *διὰ propter quod*, a qua significatione sine necessitate recedendum non est: repugnat *secundo* Patrum, atque Interpretum tam græcorum, quam latinorum mens: omnes enim illum Apostoli locum de causa meritoria intellexerunt; repugnat *demum* aliis locis parallelis, ut illi Hebr. II. 8. *Videmus Jesum propter passionem mortis* (græce *διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου*) *gloria, & honore coronatum*. Frigida autem est illa observatio verbi *donavit ἐχαρίσατο*; nam verbum *χαρίζομαι* significat quoque *largior, do*; ut possit intelligi *donavit*, idest *dedit*: & ulterius, etiamsi intelligatur *de gratuita largitione*, nihil obest; ex gratia enim sanctificante, qua Christus in primo suæ conceptionis instanti ornatus fuit, omnia ipsius merita oriebantur.

191. Nec tamen inficiamur, alicubi particulam *διὰ* non significare proprie causam meritoriam, sed finalem, vel etiam consequentiam, & rationcinationem; ut quando Apostolus Hæbr. 1. 8. & seq. offert verba Psalmi: *Dilexisti justitiam; & odisti iniquitatem; propterea διὰ τοῦτο, unxit te Deus* &c. quod S. Thomas Lect. IV. ita explicat: ut „ ly *propterea* non dicat causam meritoriam, „ sed finalem. " Non, inquam, id inficiamur; sed repetimus, non esse a communi, & obvia verborum significatione recedendum, nisi urgente necessitate, qualis necessitas hic occurrit, ne dicatur, Christum meruisse unctionem illam, quæ ex unione hypostatica orta est. Quamvis laudatus Angelicus ibidem veram causam *meritoriam* intelligi posse doceat, ut scilicet per dilectionem justitiæ, & odium iniquitatis Christus mernerit, *ut manifestetur* ubique ejus divinitas. Vid. Melchior Canus Lib. XII. *de locis theolog.* cap. 13. in resp. ad 6. argum.

192. Quod vero sibi Christus promeruerit, explicat uberius S. Thomas 3. P. qu. 19. art. 3. inquiens: „ Quia omnis perfectio, & nobilitas „ Christo est attribuenda, consequens est, quod „ ipse per meritum habuerit illud, quod alii per „ meritum habent: nisi sit tale quid, cujus ca„ rentia magis dignitati Christi, & perfectioni præ„ judicet, quam per meritum accrescat. Unde „ nec *gratiam*, nec *scientiam*, nec *beatitudinem* „ *animæ*, nec *divinitatem* meruit: quia cum me„ ritum non sit nisi ejus, quod nondum habetur, „ oportet, quod Christus aliquando istis caruisset, „ quibus carere magis diminuit dignitatem Chri„ sti, quam angeat meritum. Sed *gloria corpo„ ris*, vel si quid aliud hujusmodi est, minus „ est, quam dignitas merendi. Et ideo dicendum „ est, quod Christus gloriam corporis, & ea, quæ „ pertinent ad exteriorem ejus excellentiam, sicut „ est ascensio, veneratio, & alia hujusmodi, habuit per meritum (*a*).

193.

scator in cap. II. epist. ad Philipp., cum aliis quibusdam. Nec inter eos desunt, qui hunc articulum in adiaphoris collocant; unde Franc. Junius ajebat, *Fidem Christianam nihil laborare, sive dogma illud probetur, sive improbetur*. Calvino autem consentiunt etiam quidam ex Lutheranis, ut Joann. Gerhardus in Tom. III. *Locorum theol.* Loco IV. c. 15. §. 330. & Jo. Franc. Buddæus.

(*a*) Putarunt aliqui, Christum Dominum potuisse mereri suam incarnationem de potentia Dei absoluta, per

193. His autem, quæ S. Thomas enumerat, addere possumus ea omnia, quæ Jesus Christus ad sui nominis gloriam, & exaltationem in hoc mundo consecutus est, ut hymnum, quem ipsi recenter nato Angeli cecinerunt, Pastorum visitationem, adorationem Magorum, testimonium æternæ Patris in Jordane, & in monte Thabor: insuper regiam dignitatem, summum Sacerdotium, potestatem judiciariam, omnem denique perfectionem, & excellentiam spiritualem, & temporalem, exceptis duntaxat unione hypostatica, gratia habituali, cum aliis virtutibus infusis, atque essentiali animæ gloria. Peculiari autem ratione per suam passionem meruit exaltari, juxta illud: *Qui se humiliat, exaltabitur* Lucæ XIV. 11. de cujus exaltationis merito præclare disserit Angelicus q. 59. art. 6.

PROPOSITIO II.

Christus Dominus sua passione etiam nobis promeruit.

194. Id ostendit Angelicus laud. mox q. 19. art. 4. ex iis verbis S. Pauli ad Rom. V. 18.: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ;* ita enim sollgit S. Doctor: „ Demeritum Adæ derivatur „ ad condemnationem aliorum: ergo multo magis „ meritum Christi ad alios derivatur.

195. Hinc etiam Synodus Tridentina Sess. V. in Decreto de peccato originali statuit, Adæ peccatum non per aliud remedium tolli, *quam per meritum unius Mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio, & redemptio.* Et Sess. VI. c. 7. definivit, causam nostræ justificationis *meritoriam esse Dominum Jesum Christum, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit.* Quod Christi meritum alibi sæpe sancta Synodus frequenter commemorat. Vid. etiam Catechismus ejusdem Concilii P. I. de quarto Symboli art. n. 14.

196. Id demum probat noster S. Præceptor hac theologica ratione: „ In Christo non solum fuit „ gratia, sicut in quodam homine singulari, sed „ sicut in capite totius Ecclesiæ, cui omnes u„ niuntur, sicut capiti membra, ex quibus con„ stituitur mystice una persona. Et exinde est, „ quod meritum Christi se extendit ad alios, in„ quantum sunt membra ejus: sicut etiam in uno „ homine actio capitis aliqualiter pertinet ad o„ mnia membra ejus, quia non solum sibi sen„ tit, sed omnibus membris.

197. Obj. primo contra primam Propos. Jesus Christus ab ipso suæ conceptionis instanti propter unionem hypostaticam fuit comprehensor, sicuti modo est in cœlis: sed comprehensores mereri non possunt, charitas enim comprehensorum pertinet ad præmium beatitudinis; unde non potest esse principium merendi, cum non sit idem meritum, & præmium: ergo Christus visione beatifica in tota vita sua donatus non merebatur, sicut nec modo in cœlo meretur.

198. Respondet Angelicus ad 1. „ quod fruitio „ (ex visione beatifica orta), quæ est actus cha„ ritatis, pertinet ad gloriam animæ, quæ Chri„ stus non meruit. Et ideo si per charitatem a„ liquid meruit, non sequitur, quod idem sit me„ ritum, & præmium. Nec tamen per charita„ tem meruit, inquantum erat charitas compre„ hensoris; sed inquantum erat viatoris. Nam i„ pse fuit simul viator, & comprehensor. Et id„ eo, quia nunc non est viator, non est in statu „ merendi. " Ex qua præclara doctrina apparet primo, qua ratione Christus in hac vita mortali promeritus sit, nempe ut viator, non autem ut comprehensor: secundo Christum non sibi meruisse gloriam animæ, quam jam habebat, sed solum gloriam corporis, ut dictum est num. 192.

199. Ceterum idem Angelicus qu. 34. art. 3. data opera probat, Christum in ipso primo suæ conceptionis instanti mereri potuisse, quia illico sanctificatus fuit per gratiam, & quidem ea sanctificatione, quæ est adultorum, qui secundum proprium actum sanctificantur; quæ sanctificatio est perfectior ea, quæ fit in parvulis, absque proprio actu fidei. „ Cum igitur, concludit Angeli„ cus, sanctificatio Christi fuerit perfectissima (quia „ sic sanctificatus est, ut esset aliorum sanctifica„ tio), consequens est, quod ipse secundum pro„ prium motum liberi arbitrii in Deum fuerit „ sanctificatus; qui quidem motus liberi arbitrii „ est meritorius. Unde consequens est, quod in „ primo instanti suæ conceptionis Christus merue„ rit. " Quod etiam patet ex Apostolo, qui ad Hebr. X. 5. seq. Jesu Christo ingredienti in mundum ea Psalmi verba adaptat. *Tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam:* & subdit: *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi.* Vid. S. Thomas Quæst. XXIX. de *Verit.* art. 8.

200. Dices: Ipsa gloria corporis erat Jesu Christo debita; cum enim esset Filius Dei naturalis, ipsi debebatur jure hæreditario tota illa gloria, quam

opera scilicet subsequentia ipsam incarnationem; ita ut ipsorum subsequentium operum prævisis meritis fieret ipsa incarnatio. Hujus opinionis falsitatem demonstrat P. Thomas de Lemos in Tomo 3. *Panoplia Gratiæ* Tract. V. cap. 17. pag. 347.

quam alii homines bonis operibus promerentur.

201. Respondet Angelicus ad 2. „ quod Christo, secundum quod est Dei Filius per naturam, debetur gloria divina, & dominium omnium, sicut primo, & supremo Domino. Nihilominus tamen debetur ei gloria, sicut homini beato; quam quantum ad aliquid debuit habere sine merito, & quantum ad aliquid cum merito " ut supra n. 192. dictum est. Vel ut idem S. Doctor respondet Quæst. XXIX. *de Verit.* art. 6. ad 3. *ut id, quod erat uno modo* (illi) *debitum ratione gratiæ, fieret ei alio modo debitum ratione meriti.*

202. Inst. secundo. Ex gloria animæ sequitur communi ordine etiam gloria corporis, ut Sanctus Augustinus dicit in epistola ad Dioscorum (*a*).

203. Respondet S. Thom. ad 3. „ quod redundantia gloriæ ex anima ad corpus est ex divina ordinatione, secundum congruentiam humanorum meritorum: ut scilicet sicut homo meretur per actum animæ, quem exercet in corpore, ita etiam remuneretur per gloriam animæ redundantem ad corpus. Et propter hoc non solum gloria animæ, sed etiam gloria corporis cadit sub merito, secundum illud Rom. VII. 11. *vivificabit mortalia corpora vestra, propter inhabitatem Spiritum ejus in vobis*. Et ita potuit cadere sub merito Christi. "

204. Inst. tertio. Si Christus, sicut dictum est num. 199., in primo suæ conceptionis instanti meruit, saltem sequitur, eum nihil amplius sua passione, & morte promeruisse, ipsius enim primum meritum fuit infinitum, cui nihil addi potest.

206. Resp. cum S. Thoma 3. P. quæst. 34. art. 3. ad 8., potuisse Christum mereri ideo præmium posterioribus actibus, & passionibus, non quidem ut esset sibi magis debitum, sed ut sibi ex pluribus actibus deberetur.

206. Inst. quarto. Meritum supponit in merente carentiam eorum, quæ merendo obtinet, adeoque imperfectionem; sed nulla in Jesu Christo erat imperfectio: ergo &c.

207. Resp., nullam in Christo quantum ad humanam naturam fuisse eorum carentiam, quæ ad debitam ipsius naturæ perfectionem spectant, fuisse tamen carentiam eorum, quæ ex gratuita Dei liberalitate superaddebantur; & quæ Christus voluit etiam per meritum sibi acquirere, ut supra num. 192. cum S. Thoma exposuimus.

208. Obj. secundo contra alteram Proposit. Si Christus nobis promeritus esset gratiam, ipsa nobis redderetur ut præmium, ac merces nobis ex meritis Christi debita, sed hoc repugnat Apostolo dicenti Roman. XI. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratiâ jam non est gratia;* a quo ipsa etiam vita æterna vocatur *gratia* Rom. VI. 23. ergo &c.

209. Respondet Angelicus artic. 4. ad 3. „ quod „ sicut peccatum Adæ non derivatur ad alios, ni„ si per carnalem generationem; ita meritum Chri„ sti non derivatur ad alios, nisi per generatio„ nem spiritualem, quæ fit in baptismo, per quem „ homines Christo incorporantur, secundum illud „ ad Gal. III. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis:* & hoc ipsum „ est gratiæ, quod homini conceditur, regenerari „ in Christo: & sic salus hominis est gratia. "

210. Colliges ex dictis, Christum Dominum & sibi, & nobis tota vita sua meruisse, non autem post suam mortem, & gloriosam suam resurrectionem; quia tunc non amplius erat in statu viæ, quod ad meritum requiritur; sed jam in termino, ubi nullos est amplius merito locus. Et licet sedens ad dexteram Patris *interpellet pro nobis*, ut inquit Apostolus Paulus Roman. VIII. 34.; & Hebr. VII. 15., non inde sequitur, eum novis meritis apud Patrem pro nobis interpellare, sed solum antiquis suæ passionis meritis gratias nobis impetrare.

211. S. Thomas 3. p. quæst. 50. art. 6. „ De „ morte Christi, inquit, dupliciter loqui possu„ mus: uno modo, secundum quod est in fieri; „ alio modo, secundum quod est in facto esse. „ Dicitur autem mors esse in fieri, quando ali„ quis per aliquam passionem, vel naturalem, vel „ violentam tendit in mortem, & hoc modo idem „ est loqui de morte Christi, & de passione ip„ sius. Et ita secundum hunc modum mors Chri„ sti causa est salutis nostræ (per modum me„ riti). Sed in facto esse mors Christi consideratur, secundum quod jam facta est separatio „ corporis, & animæ ... Hoc autem modo mors „ Christi non potest esse causa salutis nostræ per „ modum meriti, sed solum per modum efficien„ tiæ, inquantum scilicet nec per mortem divi„ nitas separata fuit a Christi carne; & ideo quid„ quid contigit circa carnem Christi, etiam ani„ ma separata, fuit nobis salutiferum virtute di„ vinitatis unitæ. "

Quæres, quid nobis Christus proprie meruerit?

212. Resp. Christum Dominum nobis sua passione promeruisse omnia bona ordinis supernaturalis, quæ nos ad æternam salutem consequendam promovent; nimirum gratiam justificantem, peccatorum remissionem, perseverantiam, pœnarum condonationem, gloriam, omnia auxilia gratiæ, & omnia ea, quæ media sunt ad nostram salutem consequendam; ac ipsa nostra merita, quæ dum co-

(*a*) Im enim habet S. Pater in laud. ep. CXVIII. alias LVI. c. 3. *Tam potenti naturæ Deus fecit animam, ut ejus plenissima beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorum naturam, quod est corpus, non beatitudo, quæ fruentis, & intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, idest incorruptibilis vigor.*

„ stravit processum, & contrarietatis ad Patrem „ suspicionem destruxit. " Et iterum Hom. LX. „ Nam si præcepto, inquit, fuisset opus, quid „ attinebat, illum dicere, *a me ipso pono?* Quip„ pe qui a seipso ponit, nihil habet opus præ„ cepto. " Et insuper explicans illud Apostoli ad Hebr. XII. 2. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*, „ Hoc est, in„ quit Hom. XXVIII. in hanc epist., licebat ipsi „ nihil perpeti, si voluisset; & potestatem habe„ bat, si voluisset, crucem non adire. " Theodoretus item in hunc Apostoli locum *Poterat*, inquit, *non pati, si ita voluisset*. Et alii non pauci similiter loquuntur.

218. Resp. cum S. Thoma 3. P. q. 47. art. 2. ad 1., laudata S. Jo. Chrysostomi verba esse ita intelligenda, ut non fuerit necessarium, Christum discere, & audire ex præcepto Patris, sibi esse in cruce moriendum, quia etiamsi illud præceptum non extitisset, Christus adhuc ex nimia sua charitate se pro nobis crucifigendum tradidisset. Et insuper hoc Patris præcepto non fuisse Christo suam ablatam libertatem, & potestatem ponendi animam suam. Inde tamen non efficitur, nullum reipsa mandatum Patris extitisse, cui libere Christus debuerit se submittere.

219. Ceterum facile nobis esset, communem fere Theologorum, atque Interpretum sententiam de mandato moriendi Christo a Patre dato multis Sanctorum Patrum testimoniis confirmare, præcipue autem S. Augustini, qui Tract. LXXIX. in Joan. ita de Christo loquitur: „ *Eamus* autem dixit, „ quo? nisi ad illum locum, unde fuerat tradendus ad mortem, qui nullum habebat meritum „ mortis? *Sed habebat, ut moreretur, mandatum Patris.* " Et Agatho Papa in sua epistola, quæ lecta Act. IV. Synodi VI. regula, & norma fuit definitionis dogmaticæ contra Monothelitas, probat, fuisse in Christo voluntatem humanam, quia secundum illam præceptis Patris obedivit, atque ad hoc probandum adducit ea Psalmi verba, quæ de Christo communiter intelliguntur, *in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* Et supervacaneum videtur, hanc patentissimam veritatem aliis argumentis communire.

220. Solum addendum est, frustra eos laborare, qui ut Christi liberiatem in morte subeunda sartam, tectamque tueantur, negant, suppliciuim crucis fuisse Christo ex vero præcepto impositum. Frustra, inquam, laborant; nam etsi hoc evincant, quid dicent postea de præceptis naturalibus Deum diligendi, eumque solum colendi, aliisque similibus, quibus Christus ut homo subjectus erat, & in quibus adimplendis certe Christus liber esse debebat, ut inde maxima pro se, & pro nobis acquireret merita?

PROPOSITIO II.

Christus non potuit Patris præcepto de subeunda morte crucis non obedire.

221. Prob. Christus Dominus peccare non poterat; atqui si potuisset Patri non obedire, potuisset etiam peccare: ergo &c. Major certa est apud omnes. Quamvis enim Theologis disputare concessum sit, unde hæc peccandi impotentia in Christo oriretur; an scilicet ex unione hypostatica; an vero ex beatifica visione Dei, quæ animæ Christi fuit in ipso exordio conceptionis suæ concessa (*a*); omnes tamen in eo concordes sunt, quod Christus peccare non poterat, adeoque nec Patri debitam obedientiam denegare. *In cujus non tantum divinitate*, inquit Augustinus Lib. II. *de peccatorum meritis, & remissione* cap. 13., *sed nec in anima, nec in carne ullum potuit esse peccatum.* Sed de Christi impeccantia præter Doctores Scholasticos videri potest Petavius Lib. XI. *Theolog. dogmatum* cap. 19. & seq.

222. Doctissimus P. Thomas de Lemos in *Panoplia Gratiæ* T. II. Tract. V. cap. 15. n. 154. advertendum dicit, „ non esse idem habere po„ tentiam ad volendum, & faciendum *absolute*, „ & *simpliciter* aliud, seu oppositum illius, quod „ præcipitur; *& habere potentiam ad inobedien„ dum*, vel transgrediendum præceptum; sunt e„ nim istæ potentiæ diversæ. Prima nempe ex„ primit hominis libertatem; secunda exponit ejus „ peccabilitatem, vel potentiam ad peccandum: „ unde prima admittenda est in Christo Domino; „ secunda neganda est, sicut in ipso negatur *ab„ solute*, & *simpliciter* potentia peccandi. Quare „ concedendum est omnino, quod mortem, quæ „ a Patre præcipiebatur, poterat Christus non vel„ le, vel non acceptare *simpliciter & absolute*, „ in quo consistit ejus libertas; non tamen potuit „ præcepto inobedire, vel ipsum transgredi, vel „ mortem non acceptare, *secundum quod præ„ cepta erat cum hac reduplicatione:* quia pos„ se mortem, secundum quod præcepta est, non „ velle, est formaliter posse inobedire, & posse „ transgredi præceptum, est posse peccare ". Hactenus gravissimus hic Theologus, cujus vestigiis in-

(*a*) Thomistæ, ac Scotistæ concordissime docent, Christum fuisse omnino impeccabilem. Sed controversia postea exorta est, quænam hujusce Christi impeccantiæ esset causa. Thomistæ eam repetunt ex vi unionis hypostaticæ, adeo ut ea subsistente Christus nullatenus peccare posset. Scotistæ autem cum Durando peccandi impotentiam in Christo oriri credunt ex gratia sanctificante, ac præcipue ex visione beatifica essentiæ divinæ: quæ si a Christo separarentur, ut de absoluta Dei potentia separari posse existimant, Christus peccare posset. Quæ quidem opinio aliquibus horribilis visa est, & censura digna. Eatenus tamen Ecclesia hactenus toleravit: unde nec eam Theologi damnare debent.

insistentes libertatem Christi una cum præcepto subeundæ mortis, & impotentia peccandi ita conciliamus.

PROPOSITIO III.

Christus Dominus in subeunda morte Crucis, sicut etiam in observandis juris naturæ præceptis liber omnino fuit.

223. Primo. Jam dictum est Tom. IV. & dicendum etiam alibi erit, duplicem distingui a Theologis libertatem: aliam, quæ dicitur *a coactione*, & quæ solam excludit externam violentiam: & hæc vocari solet *libertas voluntatis*, quia voluntas nostra a nulla externa vi proprie cogi potest; aliam esse libertatem *a necessitate*, seu *arbitrii*, quæ est potestas ad utrumque, & non solum a coactione, sed a simplici quoque necessitate immunis esse debet. Sic, ut rem illustremus exemplis, Deus in suis actionibus *ad intra* liber est libertate *voluntatis*, quia nulla in eum coactio, aut violentia cadit; non autem libertate *arbitrii*, quia illæ actiones sunt necessariæ. In actionibus autem *ad extra*, ut sunt creatio, & conservatio hujus mundi, liber fuit, & est, libertate arbitrii.

224. Ulterius duplex est distinguenda arbitrii libertas ex communi omnium sententia, alia quantum ad *specificationem*, alia quantum *ad exercitium*. Prima, quæ dicitur etiam libertas *contrarietatis*, vel *diversitatis*, illa est, qua ita volumus unum, ut possimus velle aliud diversum, vel etiam contrarium. Libertas autem quantum *ad exercitium*, sive *contradictionis* illa est, qua quis potest aliquid velle, aut non velle; unde liberum arbitrium optime definiri potest cum nostro Lemosio *Facultas rationis, & voluntatis ad agendum, vel non agendum, ad prosequendum unum, vel aliud*. Quæ definitio facile intelligitur, si consideretur, illud agens liberum esse, quod operatur propter finem ex cognitione indifferentiæ mediorum ad finem (a).

225. Postremo præ oculis hic habenda est doctrina S. Thomæ I. P. qu. 62. art. 8. ad 3. & alibi, scilicet potentiam peccandi ad veram, perfectamque libertatem minime pertinere: *Quod liberum arbitrium*, inquit Angelicus, *diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus, sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis*. Vid. etiam in Lib. II. *Sentent.* Dist. XXV. qu. 1. art. 1. ad 2. His præmissis

226. Prob. primo nostra propositio ex sacris oraculis. Isaias cap. LIII. prædicens totam Christi Domini passionem, & mortem, inquit vers. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit*. Et clarius Christus ipse Joann. X. 17. dicebat: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*. Ut autem osteuderet, se liberum omnino esse in morte subeunda, etiam posito præcepto Patris, statim subdit: *Hoc mandatum* (scilicet ponendi animam suam) *accepi a Patre meo*. Ulterius Matth. XXVI. 53. seq. Christus Petro dicebat: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?*

227. Etiam Sancti Patres hanc Christi libertatem in morte subeunda unanimi consensu deprædicant. S. Augustinus Lib. IV. *de Trinit.* c. 13. dicit, Christum non deseruisse suam carnem *invitum, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit*. Et S. Leo Serm. III. *de Passione* cap. 2. *Quidquid*, ait, *Domino illusionis, & contumeliæ, quidquid vexationis, & pœnæ intulit furor impiorum, non de necessitate toleratum, sed de voluntate susceptum est*. Neque necesse est, in re tam manifesta plura addere, de qua nemo ambigit. Tota difficultas est in hac libertate Christi cum ejus impeccantia conciliandi.

228. Nos cum P. Thoma de Lemos in *Panoplia Gratiæ* Tom. II. Tract. V. cap. 15. ita arduam hanc difficultatem explicandam esse censemus. Mors crucis in se *absolute* considerata liberrime a Christo suscepta fuit; quod nemo negaverit, facta præcisione a præcepto Patris, eamdem mortem subeundi: quia mors in se considerata non erat medium necessario connexum cum fine, ad quem voluntas Christi *naturaliter* erat determinata: absolute ergo Dominus noster Jesus Christus erat liber ad volendam, vel nolendam mortem, non solum libertate *exercitii*, vel *contradictionis*, sed etiam libertate *specificationis*, & *contrarietatis*. At vero præceptum *positivum*, & *liberum* Patris, superveniens *ab extrinseco*, hanc Christi libertatem non abstulit; neque enim hoc præceptum, utpote extrinsecum, voluntatem Christi immutavit; sed solum ex eo præcepto factum est, ut voluntas ejusdem Christi libere moveretur ad eligendam mortem crucis: ergo etiam supposito Patris præcepto voluntas Christi remansit libera ad spoute volendam, vel non volendam mortem.

229. Res illustratur exemplis similibus. Deus in actionibus *ad extra*, puta creationis, vel conservationis hominum, nemine refragante liberrimus est, quia hæc creatio, vel conservatio hominum non est cum ipsius infinita bonitate necessario

(a) Merito Lemosius Tom. II. pag. 342. n. 151. Molinam reprehendit, quod docuerit, solum libertatem contrarietatis habere rationem plenæ & perfectæ libertatis.

vio connexa. Si autem superveniat decretum credendi, & conservandi hominem, non propterea adimitur Deo sua perfecta libertas, quamvis propter immutabilitatem suæ voluntatis hoc supervenieus decretum tolli, aut mutari nequeat: ergo pariter libertas Christi ex superveniente præcepto Patris ablata non fuit.

230. Ne quis autem cavilletur, dicens, discrimen esse; quia decretum credendi, & conservandi hominem ab ipsa Dei voluntate precedit; præceptum autem moriendi fuit Christo Domino, non a seipso, sed a Patre impositum. Ne quis, inquam, ita cavilletur: aliud afferemus exemplum Angelorum, qui utique liberi sunt, ad hoc, vel illud bonum operandum; si autem illis aliquod Dei mandatum superveniat, puta custodiendi homines, civitates, aut regna, ipsum divinum mandatum procul dubio exequi debent; neque enim possunt repugnare divinæ voluntati; exequuntur tamen libere; adeo ut per hanc obedientiam mereri possent, nisi essent in termino viæ, ubi nullus est merito locus. Similiter est de Christi libertate philosophandum, quum præceptum Patris nec abstulit, nec auferre voluit; cum potius voluntas Patris fuerit, ut Christus perfecta & libera sua obedientia, & sibi ipsi, & nobis maxima merita compararet (a).

231. Aliquibus tamen imperceptibile videtur, quomodo superveniente præcepto Patris moriendi in cruce, remanserit in Christo vera potestas non moriendi, aut aliud mortis genus seligendi; hoc enim fieri non poterat, nisi præcepto Patris neglecto; Christus autem peccare omnino non poterat, nec proinde præceptum Patris negligere, & transgredi.

232. Resp. vero laudatus Lemosius, aliud esse habere potentiam ad volendum, vel faciendum absolute, & simpliciter aliud, seu oppositum illius, quod præcipitur; aliud habere potentiam ad inobediendum, & peccandum: sunt enim istæ potentiæ diversæ. Prima expleat hominis libertatem, quæ fuit perfectissima in Christo Jesu; altera ejusdem libertatis defectum, ut supra dictum est n. 222., & a Jesu Christo est omnino ableganda, quamobrem dici debet, Christum potuisse absolute, & simpliciter, seu ut Thomistæ loquuntur, in *sensu diviso*, non mori; non autem potuisse non mori in cruce in *sensu composito*, seu considerata morte *reduplicative*, ut sibi a Patre præcepta.

233. Quod ut facilius intelligatur, debemus considerare duo in voluntate Christi essentialia ante præceptum, quæ proinde etiam post præceptum remanserunt. Primum erat impotentia ad peccandum, orta tum ex unione hypostatica, tum ex visione beatifica: alterum cognitio indifferentiæ cujuscumque medii ad satisfaciendum Deo pro nostris peccatis; cum quælibet actio Christi, utpote valoris infiniti, huic fini consequendo esset sufficiens. Hæc duo essentialia Christi voluntati subjecta non fuerunt per positivum, & libernm Dei decretum ejusdem Christi passionis, & mortis; sicut enim eo non tollebatur impotentia ad peccandum, ita nec auferebatur absoluta indifferentia medii, hoc est mortis ad finem consequendum. Unde factum est, ut Christi voluntas libere determinaretur ad hoc medium præ ceteris deligendum, quod sibi a Patre præcipiebatur.

234. Neque vero ad salvandam Christi libertatem in Cruce morte subeunda necessaria erat potentia illam recusandi in *sensu composito* enm divino præcepto. Quemadmodum enim in nobis sub præmotione physica vera manet libertas per solam potentiam ad oppositum in *sensu diviso*, ut in Tom. II. ostensum fuit; ita vere manebat in Christo non moriendi libertas per solam potentiam in *sensu diviso*. Potentia non moriendi in *sensu composito* non erat in Christo, quia fieri non poterat, ut in eo hæc duo simul compouerentur, præceptum moriendi in cruce, & non mori, vel alterids mortis electio, scilicet attenta Christi impotentia ad peccandum; erat nihilominus potentia in *sensu diviso*, qua fiebat, ut simul voluntate adimplendi præceptum Patris esset in Christo vera potentia ad non subeundum hoc, vel aliud subeundum supplicium, non enim actus moriendi in cruce pugnat cum potentia non moriendi, sed cum ipso actu non moriendi. Quod in nobis ipsis apparet; cum unum ita agimus, ut possimus simul aliud agere, quamquam non possimus simul conjungere actum, & non actum, vel ejus oppositum.

235. Eoque minus hæc impotentia non moriendi in *sensu composito* Christi libertatem impediebat, quia illa non oriebatur ex intrinsica quadam moriendi necessitate, sed solum ex impotentia peccandi, quæ est veræ libertatis perfectio. Unde Sanctus Augustinus *de prædestinat. Sanct.* cap. 15. de Jesu Christo ait: *An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis, quanto magis peccato servire non poterat?* Id quod lucnlenter apparet in Angelis: quando enim beati illi Spiritus a Deo mittuntur ad homines, ut Raphael ad Tobiam, vel Gabriel ad B. Virginem, illi libertime Deo mittenti obediunt, adeo ut, si es-

(a) De hac invicta Thomistarum, aliorumque Theologorum ratione ad fiendam Christi libertatem, præter laudatum Thomam De-Lemos, vid. Pater Laurent. Berzi Lib. XXVI. *De Theol. Discipulis* cap. 12., tum auctor egregii libri, cui inscribitur *L'action de Dieu sur les Creatures* Sect. VII. Part. I. cap. 5. num. 4. seq. & Pater Anton. Massoulie in Tom. I. *De divina ne-*

tione, & libert. creata Diss. II. quæst. 8., ubi hanc observat, & valide probat, nonnisi ex doctrina Scholæ Thomasticæ posse in Christo hæc tria concihari; præceptum ipsi a Patre impositum moriendi, impotentiam peccandi, & illam veram libertatem, quæ ad meritum requiritur.

essent in statu viæ, illa eorum obedientia imputaretur ad meritum; nec tamen possunt Deo jubenti non obtemperare, adeoque nec in *sensu composito* illas actiones, quæ ipsis impositæ sunt, non exercere, sed solum in sensu diviso, & absolute, ut supra diximus num. 230.

236. Inst. primo. Ex hac doctrina sequitur, Christum non fuisse liberum ad subeundam mortem, sub hac reduplicatione, *quatenus præcepta erat a Patre*; seu ad obedientiam *formaliter* sumptam, eum tamen per ipsam obedientiam proprie meruerit suam exaltationem, ut superius num. 178. probatum fuit.

237. Respond., Christi libertatem salvari, quia adhuc sub illa reduplicatione manebat in eo potentia non subeundi mortem absolute, & in *sensu diviso*, ut explicatum est. Neque enim necesse erat, aut fieri poterat, ut hæc duo simul conjungerentur, impotentia peccandi, & potentia non obediendi, sed satis erat, ut cum præcepto, & cum ipsa obedientia conjungeretur potentia ad mortem per se, & absolute vitandam.

238. Addit Lemosius, „ potuisse Christum cum „ præcepto de sua morte, immo cum voluntate „ efficaci, & absoluta, qua voluit mori, ut obe„ diret, habere ineffacem voluntatem, qua vel„ let non mori, secundum quod mors nociva e„ rat naturæ, secundum quod ad illam naturali„ ter non determinabatur. In quo valde explica„ tur libertas Christi acceptando mortem. Docet „ enim S. Thomas, Christum efficaciter voluisse „ mortem, secundum quod a Patre præcepta e„ rat, & secundum alias rationes superiores; & „ velleitate ineffacei noluisse mortem, secundum „ quod nociva erat corpori, vel secundum alias „ rationes inferiores.“

239. Inst. secundo. Si Christus actu non acceptasset mortem, actu factus fuisset inobediens, & peccasset: ergo si poterat non acceptare mortem, poterat inobedire, & peccare. Conseq. probatur, quia, ut commune fert proloquium, sicut se habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam.

240. Resp. dist. cons., si poterat non acceptare mortem in *sensu composito* cum decreto, poterat inobedire Patri, & peccare, conc., si poterat tantum in *sensu diviso*, nego. Quemadmodum præscientia Dei non tollit rerum contingentiam, aut humanam libertatem, ut ostensum fuit in II. Tom. quia res a Deo præscitæ possunt non evenire in *sensu diviso*, quamquam non possint in *sensu composito*; ita & in casu præsenti, optime salvatur Jesu Christi libertas, quia poterat absolute, & in *sensu diviso* nolle mortem: quam intrinsecam Christi potentiam non destruit præceptum Patris superveniens ab extrinseco.

241. Ulterius, ut supra notavimus n. 232. ex quo dicatur, potuisse Christum non mori, non sequitur, etiam potuisse Patri non obedire, & peccare: nam in prima propositione fit sensus, divisus, & quando Christus pendens in cruce actu suo æterno Patri obediebat, retinebat potentiam, ad non moriendum absolute, neque enim pugnant hæc duo: Christus vult mori, & simul potest absolute non mori, cum etiam in nobis possint simul esse actus odii exempl. grat. cum potentia ad amorem. Sed Christus numquam habuit potentiam non obediendi suo Patri, & peccandi, sicut in nobis nulla est potentia simul conjungendi duos actus contrarios odii, & amoris.

242. Communis autem illud proloquium: *Sicut se habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam*, verum est, dummodo non varietur sensus, ut hic certe variatur: nam in actu fit sensus compositus, in potentia autem sensus divisus. Sic si quis ita colligeret: si ea, quæ Deus præscivit, actu non evenirent, falleretur reipsa divina præscientia: ergo si possent non evenire, posset falli divina præscientia; male ratiocinaretur, & falsa esset consequentia; in antecedenti enim fit *sensus compositus*, & in consequenti *sensus divisus*: quæ enim a Deo præscita sunt, possunt non evenire, in *sensu diviso*, non in *sensu composito*. Sic in casu nostro cum dicitur: *Si Christum actu non acceptasset mortem sibi a Patre præceptam, fuisset actu inobediens*, fit sensus compositus. Cum vero infertur: *ergo si potuisset mortem non acceptare, potuisset esse inobediens, & peccare*, fit sensus divisus, & consequentia est falsa; quia ut dictum est, *absolute* solum, & in *sensu diviso*, poterat mortem non acceptare.

243. Et hæc omnia, quamquam subtilia, intelligi haud difficulter possunt de morte, quæ erat medium per se, & natura sua indifferens ad finem illum, ad quem Christus erat determinatus, & solum facta erat medium necessarium ex superveniente libero, & positivo æterni Patris præcepto, quod intrinsecam Jesu Christi libertatem non tollebat, nec imminuebat.

244. Sed difficultas multo gravior exoritur, quando agitur de illis actibus, qui connexionem habent necessariam cum ultimo fine, ad quem voluntas Christi erat necessario determinata, ut sunt actus dilectionis Dei. Hoc argumentum ita proponit S. Thomas 3. P. quæst. 18. art. 4. o. 3.: „ Liberum arbitrium se habet ad utrumque, sed „ voluntas Christi fuit determinata ad bonum, „ quia non potuit peccare; ergo in Christo non „ fuit liberum arbitrium.

245. Respond. autem Angelicus: „ Voluntas „ Christi licet fuerit determinata ad bonum, non „ tamen est determinata ad hoc, vel ad illud bo„ num. Et ideo pertinet ad Christum eligere „ per liberum arbitrium confirmatum in bono, „ sicuti ad Beatos. Itaque Christus Dominus erat „ determinatus *naturaliter*, & absque libertate ad „ diligendum Deum, *quoad specificationem*, ita „ ut non esset ad oppositum liber; erat tamen li„ ber, quantum ad hunc, vel illum actum.“ Hoc S. Thomas expresse docet etiam in III. *Sent.* Dist.

Dist. XVIII. qu. 1. art. 2. ad 5. dicens: „ Liberum arbitrium Christi non erat determinatum „ ad unum secundum numerum, sed ad unum „ secundum genus, scilicet ad bonum, quia in „ malum non potest. Sed tamen hoc potest facere, & non facere, & hoc non excludit libertatem arbitrii; quia posse peccare, nec est libertas arbitrii, nec pars libertatis, ut dicit Anselmus in *Dial. de lib. art. c.* 1. “ Quantum autem pertinet ad libertatem *exercitii*, Christus Dominus *ut viator*, erat liber, quia nullus actus est absolute necessarius in via, secus ac in Beatis, qui jam sunt in termino; & hæc libertas exercitii sufficiens fuit, ut Christus *meritorie* diligeret Deum.

246. Dices. In eodem loco ita subdit Angelicus: „ Quod si etiam liberum arbitrium Christi „ esset determinatum ad unum numero, sicut ad „ diligendum Deum, quod non facere non potest, „ tamen ex hoc *non amittit libertatem*, aut rationem laudis; quia in illud *non coacte*, sed „ *sponte* tendit, & ita est actus sui dominus. “ „ Non alia ergo fuit in Christo libertas, quam „ voluntatis, sive immunitas a coactione. “

247. Resp., multos S. Præceptoris interpretes opinari, hæc ab ipso dicta fuisse, non in propria, sed in aliorum sententia. Nam primo difficultatem solverat iis verbis, quæ mox attulimus, & quæ veram ejus mentem & doctrinam explicant. Deinde multis aliis in locis quidem argumentum tractavit, eamdem doctrinam constanter retinuit, scilicet *nos dominos esse nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc, vel illud eligere*. Ita Quæst. XXIX. *de verit.* art. 6. ad 1., & I. P. quæst. 82. art. 1. ad 3. (*a*).

COROLLARIUM.

248. Explicata vero Sancti Thomæ, ac Thomistarum doctrina de concordia præcepti, impeccantiæ, & libertatis Christi Domini, parum interest refutare multas & varias aliorum Theologorum hac in re sententias, quas recenset Cardinalis Joann. de Lugo de *Inc. Disput.* XXVI. Sect. 6. & seq., pauca tamen addere placet, ut luculentius appareat, quam explicuimus Thomistarum doctrinam, & solidam esse, & difficili huic nodo expediendo opportunioremi.

249. Primo Honoratus Tournely Quæst. XI. *de Incarnat.* art. 4. contendit, Christum ideo fuisse liberum, quod moriendi mandatum non fuerit absolutum, & a libero ipsius Christi illud acceptantis consensu independens, sed conditionatum, si nempe vellet Christus illud acceptare, quod reipsa volens ac lubens acceptavit.

250. Alii ulterius progressi putarunt, non solum hoc præceptum fuisse a Christi libertate dependens, sed a Christo ipso expetitum, qui etiam sine Patris mandato paratus erat ex charitate ad crucis supplicium pro nobis perferendum.

251. Quidam existimarunt, in eo servatam fuisse Christi libertatem, quo posset a Patre suo petere hujus præcepti dispensationem, vel commutationem.

252. Nonnulli negarunt, verum, & proprium præceptum moriendi in cruce fuisse Christo impositum, sed solummodo consilium datum, quod amplecti, vel rejicere in plena ipsius potestate erat.

253. Sunt, qui præceptam fuisse dicunt Christi mortem, quantum ad substantiam, eamdem tamen fuisse in Christi arbitrio, quantum ad circumstantias supplicii crucis, loci, temporis &c., & etiam quantum ad omnia virtutum motiva, charitatis, obedientiæ, justitiæ. Ita Mart. Cecanus *de lib. arbitrio* cap. 5. quæst. 6.

254. Laudatus mox Cardinalis de Lugo sect. 7. hanc proponit dubii solutionem, quam *communionem* vocare illi placet, „ Christum fuisse liberum „ in operibus præceptis, quia licet supposito præ„ cepto moriendi verb. grat. non posset non acce„ ptare mortem, erat tamen indifferens ad acce„ ptandam mortem ex hoc, vel illo motivo, hoc „ vel illo tempore, *actu intenso*, *vel remisso*. “ Hanc autem sententiam tribuit Gabr. Vasquezio, Gregorio de Valentia, Leon. Lessio, & Franc. Suareio.

255. Omnes istæ sententiæ in eo deficiunt, quod elaris, & solidis fundamentis careant, quibus probetur, aut nullum Christo datum fuisse præceptum moriendi, aut illud fuisse conditionatum, aut saltem solam respexisse substantiam mortis, non autem circumstantias. Immo claram, & apertam mandati a Patre accepti mentionem facit ipse Christus, ut supra probavimus num. 216. & seq., & Paulus Apostolus expresse dicit Christum factum esse *obedientem usque ad mortem crucis*. Virtus autem obedientiæ respicit verum & proprium præceptum: unde qui præceptum moriendi Christo datum fuisse negant, a Christo auferunt summam obedientiæ virtutem, ex qua maxima ejusdem meritorum portio dimanat.

256. Postremæ autem Cardinalis de Lugo, aliorumque opinioni illud obstat, quod in ea Christus non fuisset promeritus ipsa in morte, quam necessario subiisse dicitur, sed solum in circumstantiis, quæ in ipsius Christi libertate erant positæ: quod & per se absurdum facile apparet, & con-

(*a*) Pater Thomas De Lemos in *Panoplia Gratiæ* T. II. Tract. V. c. 12. n. 123. contendit, verba S. Thomæ ita esse explicanda, ut excludendo *coactionem* censeatur excludere omnem prorsus necessitatem, & quando dicit, Christum elicuisse actum dilectionis Dei *sponte*, idem sit, ac prorsus *libere*, loquendo tamen de dilectione Dei, quam Christus habuit, *ut viator*, quæ libera erat, & meritoria, etenim dilectio, quam Christus habuit, *ut comprehensor*, nec libera erat, nec meritoria.

contrarium Apostolo dicenti, *propterea* fuisse Christum exaltatum, quia *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* ad Philipp. II. 8. Illud autem magis displicet, quod dicitur, potuisse Christum mortem acceptare actu *intenso* vel *remisso*; quasi scilicet Christus virtutes exercere potuisset in *gradu remisso*, seu imperfecto.

257. Sed præterea, ut bene observat Antonius Massonliè, quantumvis isti Theologi summa subtilitate viri paterni præcepti extenuare conentur, nihil tamen ad veram libertatis Christi notionem nobis suppeditandam proficiunt. Esto enim Christi voluntas non fuisset determinata ad unum vi præcepti sibi a Patre impositi; erat tamen determinata ex vi unionis hypostaticæ, & ex vi beatificæ visionis, quibus determinabatur ad ea semper facienda, quæ Patri erant placita Joann. VIII. 29. *Ego quæ placita sunt ei, facio semper:* erat ergo Christus determinatus ad omnia, sine exceptione, quæ Patri æterno placebant.

258. Audiatur Sanctus Thomas 3. P. qu. 18. art. 1. ad 4. inquiens: „ Cum voluntas pertineat „ ad naturam, ipsum etiam aliqualiter velle per„ tinet ad naturam, non secundum quod est ab„ solute considerata, sed secundum quod est in „ tali hypostasi: unde etiam voluntas humana „ Christi habuit quemdam determinatum modum „ ex eo, quod fuit in hypostasi divina, *ut scilicet moveretur semper ad nutum divinæ voluntatis*.“ Et art. 5. de Christo inquit: „ Secun„ dum voluntatem, quæ est per modum rationis, „ semper idem volebat, quod Deus; quod patet „ ex hoc ipso quod dicit Marci XIV. 36.: *Non quod ego volo, sed quod tu*.“ Ac demum q. 19. art. 1. Sicut autem in homine puro corpus „ movetur ab anima, & appetitus sensitivus a ra„ tionali, ita in Domino Jesu Christo humana na„ tura movebatur & regebatur a divina.“

CAPUT VII.

De Christo nostro mediatore.

259. Quid significet hæc *Mediator* vox, cujus tam in sacris litteris, quam a veteribus Ecclesiæ Patribus frequens est usus, facile convenit inter Theologos, nimirum ut S. Thomas 3. Part. quæst. 26. art. 1. recte interpretatur, *ad mediatoris officium proprie pertinet conjungere, & unire eos, inter quos est mediator; nam extrema uniuntur in medio* (a).

260. Christum Dominum esse nostrum Mediatorem apud Deum, adeo luculenter divina eloquia testantur, ut facile non sit reperire inter homines, Christiano nomine insignitos, qui id inficiari audeant. *Unus Deus*, clamat Apostolus 1. ad Timoth. II. 5., *unus & mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus*. Accedunt ea loca, in quibus Christus vocatur *Mediator melioris testamenti* Hebr. VIII. 6.: item *Mediator novi testamenti* IX. 19., & XII. 24. Sed quo sensu dicatur Mediator noster, non est concors omnium sententia.

261. Primo enim Ariani, quos de more sequuntur Sociniani, negantes veram Jesu Christi divinitatem, Christum mediatorem nostrum non alia de causa esse dicebant, nisi quia media quædam substantia erat inter Deum, & homines, inferior scilicet Deo, hominibus autem longe excellentior, quorum pestilentissima hæresis toties ab Ecclesia proscripta, & a nobis explosa, nova confutatione non indiget.

262. Inter eos autem, qui utramque naturam divinam, & humanam in Christo agnoscunt, triplex nata est de Christo Mediatore opinio. Prima eorum, qui Mediatoris officium soli naturæ divinæ tribuerunt: altera aliorum, qui soli naturæ humanæ Christi id concesserunt: ac tertia illorum, qui illud ad utramque naturam peculiari quadam ratione referunt.

263. Primam sententiam pugnacissime defendit infelix apostata Franc. Stancarus; cum enim Osiander ferocis ingenii homo assereret contra Lutherum, nos justificari per intimam, & substantialem divinæ justitiæ unionem, non autem per solam ejusdem justitiæ imputationem, Stancarus fervore disputationis, reposuit, nos non divinæ, sed humanæ Christi justitiæ applicatione justos effici; unde sequebatur, Christum esse nostrum apud Deum mediatorem tantummodo ratione naturæ humanæ: quem postea errorem una cum aliis multis pertinacissime usque ad mortem defendit (b).

264. Ut huic errori sese opponerent multi ex Protestantibus, ut Phil. Melanchton, Jo. Wigandus, præcipue autem Calvinus, rectis orthodoxæ Ecclesiæ Romanæ principiis destituti, in contrarium errorem delapsi sunt, statuentes una cum Osiandro, Christum secundum divinam naturam es-

(a) Parum refert, quod Erasmus notat in Hymnum XI. *Cathemerinon* Sancti Prudentii, ad hanc vocem *mediator* apud Latinos non inveniri, sed esse expressam ex voce μεσίτης, qua Apostoli usi sunt. Ceterum Lactantius Tullianæ elegantiæ, imitator hac voce non est dedignatus Lib. IV. *Divin. Institut.* cap. 25. inquiens: *Idcirco mediator advenit, idest Deus in carne, ut cum sevpsi posset, & eripuerat morti hominem, &c.*

(b) Vid. quæ de isto Religionis Catholicæ desertore notavimus in Tomo I., qui tamen Petri Lombardi, S. Thomæ, aliorumque de Schola Theologorum sectatorem se esse insulse gloriabatur: unde a Conrado Schlusenburgio asciitus illud ejusdem dictum in Apologia contra Tigurinos: *Plus valet unus Petrus Lombardus, quam centum Luthori, ducenti Melanchtones, trecenti Bullingeri, quadrigenti Petri Martyres, & quingenti Calvini. Qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia vera Theologiæ.*

esse, & fuisse semper etiam ante incarnationem nostrum Mediatorem (*a*).

265. Has duas oppositas opiniones doctrina catholica reprobat, docens: Christum esse nostrum Mediatorem, ut homo est, non quidem præcise secundum naturam humanam, sed prout hæc natura humana est divinæ personæ substantialiter unita: ita ut natura humana sit principium *quo* illarum operationum, quibus Christus Mediatoris officium exercuit; persona autem divina principium *quod*, juxta superius dicta n. 133. Hanc autem nostram doctrinam pluribus propositionibus exponemus, & vindicabimus.

PROPOSITIO I.

Jesus Christus est verus, & substantialis mediator inter Deum, & homines, eique soli proprie hoc nomen convenit.

266. Id autem hac ratione ostendit S. Thomas 3. Part. qu. 26. art. 1. „ Ad mediatoris officium „ proprie pertinet conjungere, & unire eos, inter „ quos est mediator; nam extrema uniuntur in „ medio. Unire autem homines Deo perfective quidem convenit Christo, per quem homines „ sunt reconciliati Deo, secundum illud 2. ad „ Corinth. V. 19. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Et ideo solus Christus „ est *perfectus* Dei, & hominum mediator, inquantum per suam mortem humanum genus Deo „ reconciliavit. Unde cum Apostolus dixisset: *Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus*, „ subjunxit: *Qui dedit semetipsum redemptionem „ pro omnibus.* Nihil tamen prohibet, aliquos „ alios *secundum quid* dici mediatores inter Deum, „ & homines prout scilicet cooperantur ad unionem hominum cum Deo *dispositive*, vel *ministerialiter*.“

267. Apostolus Paulus 2. ad Corinth. V. 18. seq. hoc ipsum duplex mediatoris genus explicat inquiens: *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.*

268. In epist. vero ad Ephesios II. 14. beneficia a Christo mediatore nobis collata ita recenset: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens .... ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem: & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem ..... Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem iis, qui prope. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.*

269. Quæ verba observante Angelico Lect. V. in hunc locum duo potissima Christi benefica commemorant, quorum primum est *pax nostra* cum Deo; *cum enim inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*, ut idem Sanctus Paulus ait ad Roman. V. 10. quam pacem Angeli annunciaverunt Pastoribus in Christi nativitate, & Christus ipse annunciavit Apostolis post resurrectionem, eos ita salutans: *Pax vobis.* Alterum est reconciliatio duorum populorum, scilicet Judaici, & Gentilis, sublato pariete maceriæ, qui utrumque populum dividebat, veluti si in magno campo ingens paries, quo hominum multitudo dividebatur, subito auferretur, unus fieret populus; sic mediator noster Christus Jesus fecit utraque unum soluto medio pariete maceriæ, scilicet veteri lege, non quantum ad præcepta moralia, sed solum quantum ad cæremonialia, quæ Christum venturum præfigurabant, & ipso adveniente cessare debebant. Atque ita Angelicus pacem illam, quam Christus tamquam mediator mundo attulit, spiritualiter explicat de reconciliatione hominum cum Deo, & de unione populi Israelitici in Gentilibus (*b*).

270.

(*a*) Calvinus in sua epist. ad Fratres Polonos, quæ inter opuscula ejusdem theologica reperitur, fidenter scribit, *Mediatoris nomen Christo quadrare, non solum ex quo carnem induit, vel ex quo munus suscepit reconciliandi cum Deo humani generis, sed ab initio creationis jam vere fuisse mediatorem, quia semper Angelos; & primogenitus fuit omnis creaturæ.* Id ipsum repetit in altera epistola nomine Genevensis Ecclesiæ scripta contra Stancarum.

(*b*) Non defuerunt, qui hanc pacem a Christo Mediatore hominibus allatam intelligerent eam pacem temporalem, quæ sub Octaviano Augusto regnabat, quando natus est Jesus Christus. Ita Hieronymus in c. VII. Isaiæ, & in Comment. ad Michæam; cui consonant Cyrillus, & Theodoretus in Comment. ad utrumque Prophetam; & consuli potest Jo. Massonus in *Jani templo Christo nascente reserato*. Sed præferenda videtur aliorum sententia, qui omnia prophetica oracula hinc spectantia ad pacem referunt spiritualem. Ceterum Religione a Christo nobis data etiam pacem temporalem una cum aliis bonis ad respublicam pertinentibus juvari, eloquenter juxta ac erudite ostendit S. Augustinus in Epist. CXXXVIII. ad Marcellinum; ubi pœna multata ita concludit num. 15. „ Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicæ, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites jussit, dent „ tales provinciales, tales maritos, tales conjuges, tales parentes; tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales judices, tales denique debitores ipsius fisci reddidores, & exactores, quales „ esse præcipit doctrina Christiana, & audeant dicere, adversam esse reipublicæ: immo vero non dubitent confiteri, magnam, si obtemperetur, salutem „ esse reipublicæ.“ Pulcherrima, & digna tanto Doctori verba, quæ utinam nostris temporibus ubique aureis literis inscriberentur, ut nostræ Sanctæ Religionis amor, & cultus etiam pro temporali reipublicæ bono instauraretur.

270. Obj. primo. Moyses Deuteron. V. 5. seipsum mediatorem appellat inter Deum, & homines, sic enim Israelitas alloquebatur: *Ego sequester, & medius fui inter Dominum & vos*. Quo nomine etiam Apostolus Moysem indigitat ad Galat. III. 19. dices, Legem fuisse *ordinatam per Angelos in manu mediatoris*, scilicet Moysis: non ergo mediatoris officium fuit proprium Jesu Christi.

271. Respondet S. Thomas 3. Part. qu. 26. art. 1. ad 1., non solum Moysem, sed etiam Prophetas, & Sacerdotes veteris testamenti fuisse dictos *Mediatores* inter Deum, & homines *dispositive, & ministerialiter*, inquantum scilicet prænunciabant, & præfigurabant *verum, & perfectum Dei, & hominum Mediatorem* Jesum Christum. Sacerdotes autem novi testamenti possunt dici mediatores Dei & hominum, *inquantum sunt ministri* veri Mediatoris, vice ipsius salutaria sacramenta hominibus exhibentes. Et sic intelligitur, quod idem Apostolus dicit. 1. ad Timoth. II. 5. *Unus Deus, unus & Mediator Dei, & hominum Christus Jesus, qui dedit semetipsum pro omnibus*. Ut nempe Jesus Christus sit solus verus, & proprius noster mediator, quia solus dedit semetipsum redemptionem pro nobis omnibus; alii autem sint etiam Mediatores *ministerialiter*. Vid. S. Thomas in II. Dist. XIX. quæst. 3. art. 5.

272. Obj. secundo. Etiam Angeli tam boni, quam mali possunt dici *Mediatores*. De bonis id expresse asserit Dionysius cap. IV. *de divinis nominibus* Lec. 1. De malis autem id probatur, quia habent quædam communia cum Deo, scilicet immortalitatem, & quædam cum hominibus; nempe miseriam.

273. Resp. Angelos bonos a Dionysio recte dici *medios* inter Deum, & homines, quia secundum gradum naturæ sunt infra Deum, & supra homines constituti, & mediatoris officium exercent, non quidem *principaliter, & perfective*, sed *ministerialiter & dispositive*, ut Angelicus loquitur Dionysium explicans. Dæmones vero nullatenus dici possunt mediatores inter Deum, & homines, quia potius homines a Deo ipso avertere conantur.

Quæres primo; an Spiritus Sanctus, qui ad Roman. VIII. 26. dicitur *postulare pro nobis ad Deum gemitibus inenarrabilibus*, vocari possit noster Mediator apud Deum.

274. Negat S. Thomas 3. Part. qu. 26. art. 3. ad 3. „ quia cum Spiritus Sanctus sit per omnia „ Deo æqualis, non potest dici medius, vel me„ diator inter Deum, & hominem; sed solus Chri„ stus, qui licet secundum divinitatem æqualis sit „ Patri, tamen secundum humanitatem minor est „ Patre: unde super illud ad Galat. III. 20. *Mediator unius non est*, dicit Glossa: *Non Pater, nec Spiritus Sanctus*. Dicitur autem Spi„ ritus Sanctus *interpellare* (seu *postulare*, ut „ noster Vulgatus habet) pro nobis, quia ipse „ *interpellare* (vel *postulare*) nos facit.“

Quæres 2., an Christus etiam modo, prout sedet ad dexteram Patris, mediator noster sit?

275. Resp. affirmative. Nam Rom. VIII. 34. Apostolus inquit: *Christus Jesus, qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Et ad Hebr. 7. 25. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Unde S. Joannes in sua prima epist. II. 1. inquiebat: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum*, S. Thomas Lect. VII. cap. 8. Epist. ad Rom. explicat, quonodo Jesus Christus dicatur interpellare pro nobis; nempe *humanitatem pro nobis assumptam, & mysteria in ea celebrata conspectui paterno repræsentando*, ac suas cicatrices Patri ostendens quas in corpore suo glorioso servavit, tamquam suæ acerbissimæ mortis pro nobis toleratæ perpetuos testes. Pulchra sunt ea S. Gregorii verba Lib. XXII. *Moralium* cap. 13. *Unigenitum Filium pro homine interpellare, est apud cœternum Patrem seipsum hominem demonstrare: eique pro humana natura rogasse, est eumdem naturam in divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione.*

PROPOSITIO II.

Christus non est noster mediator secundum divinam naturam; adeoque ante Incarnationem Mediatoris munere functus non est.

276. Hæc propositio probatur auctoritate S. Augustini, multis sacrarum Scripturarum testimoniis fulcita. Nam Serm. IV. in Psalmum CIII. num. 8. ita ratiocinatur: „ Quid est arbiter? Medius ad, „ componendam causam. Nonne inimici eramus „ Dei, malam causam habebamus adversus Deum? „ Quis fuiret causam istam malam, nisi ille me„ dius arbiter ..... de quo Apostolus dicit 1. Ti„ moth. II. 5. *Unus enim Deus, & mediator „ Dei & hominum homo Christus Jesus?* Si non „ homo, non mediator; quia æqualis Patris Deus „ ..... Inter duos mediator: ergo Christus media„ tor inter hominem & Deum; non quia Deus, „ sed quia homo; nam quia Deus, æqualis Pa„ tri: sed æqualis patri, non mediator &c.“ Quæ S. Doctoris ratio est prorsus invicta.

277. Alia etiam ratione idem S. Pater probat, Jesum Christum, prout Deus erat, non potuisse esse nostrum mediatorem: quia ut Deus non poterat esse Sacerdos, & sacrificium pro nobis æterno Patri offerre. *Verus ille Mediator*, inquit Lib. X. *de Civit. Dei* c. 20., *inquantum formam servi accipiens mediator effectus est Dei, & hominum, homo Christus Jesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est; tamen in forma servi sacrificium maluit esse, quam sumere ..... Per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio.*

278. Id autem sæpius repetit S. Pater, ut mi-

nime audiendi sint Jo. Rigandus, aliique, qui contra Stancarum disputantes, S. Augustinum ab hac sententia aliquando recessisse, commenti sunt; quia alicubi Christum etiam ut Deum fuisse nostrum Mediatorem scripsit. Sed non viderunt, aut videre nolnerunt, id solum asserere, quod nos in sequenti Propositione luculenter ostendemus, scilicet utraque natura, divina, & humana, Christum fuisse nostrum Mediatorem, videlicet humanitate, secundum quam pro nobis passus, & mortuus est, ac pro nobis interpellat; & divinitate, quæ valorem, & meritum infinitum suis actionibus communicavit; quæ omnia dilucide postea conciliabuntur.

279. His conformis est ratio, quam Sanctus Thomas affert, 3. Part. quæst. 26. art. 2. inquiens: „ In Mediatore duo possumus considerare: *primo* „ quidem rationem medii: *secundo* officium con„ jungendi. Est autem de ratione medii, quod „ distet ab utroque extremorum: conjungit autem „ mediator per hoc, quod ea, quæ unius sunt, „ defert ad alterum. Neutrum autem horum po„ test convenire Christo, secundum quod est Deus, „ sed solum secundum quod est homo. Nam se„ cundum quod Deus, non differt a Patre, & Spi„ ritu Sancto in natura, & potestate dominii. Nec „ etiam Pater, & Spiritus Sanctus aliquid habent, „ quod non sit Filii, ut sic possit id, quod est „ Patris, vel Spiritus Sancti, quasi quod est a„ liorum, ad alios deferre. Sed utrumque con„ venit ei, inquantum est homo: quia secundum „ quod est homo, distat & a Deo in natura, & „ ab hominibus in dignitate & gratiæ, & gloriæ. „

280. Objiciebat primo Calvinus, ab initio creationis mundi Christum fuisse caput Ecclesiæ; adeoque Mediatorem inter nos, & Deum.

281. Resp. id quidem verum esse, sed non secundum divinitatem solam, ut enim sapienter docet Sanctus Thomas 3. Part. quæst. 8. art. 1. Christus est caput Ecclesiæ triplici ratione. *Primo, ordine*, quia omnes fideles accipiunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius, secundum illud Roman. VIII. 29. *Quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Secundo, perfectione*, quia Christus habuit plenitudinem omnium gratiarum: Jo. 1. 14. Verbum quod caro factum est, dicitur *plenum gratiæ, & veritatis. Tertio, influxu*, quia virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ, Joann. 1. 16. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Sed de Christo, ut capite Ecclesiæ, digna est quæ legatur illa quæstio 8. S. Thomæ.

282. Obj. secundo. Apostolus Paulus 2. ad Corinth. V. 18. *Omnis*, inquit, *ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum ... Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Reconciliare autem est Mediatoris officium; adeoque Christus ut Deus est noster mediator. His similia sunt, quæ iuem Paulus habet ad Coloss. 1. 20., ubi Deo Patri complacuisse dicit, *reconciliare omnia in ipsum*.

283. Resp., illa Apostoli verba nihil aliud significare, quam immensam Dei Patris charitatem, qua misit Filium suum, ut superabundanti exhibita satisfactione nos sibi ipsi reconciliaret. „ Deus „ Pater, inquit Angelicus hunc locum explicans „ Lect. V., reconciliavit, idest pacificavit nos si„ bi, & hoc per Christum, idest per incarnatum „ Verbum "; a quo solo media humanitate ope„ ra satisfactoria passionis, & mortis prodierunt.

284. Dices. Hæc reconciliatio nostra cum Deo non aliter fieri potuit, quam peccatorum ablatione; sed auferre peccata non convenit Christo secundum humanam naturam, sed secundum divinam: ergo etiam Christus mediator est noster secundum divinam naturam.

285. Respondet S. Thomas hac qu. 26. art. 2. ad 2. „ quod licet *auctoritate* peccatum auferre „ conveniat Christo, secundum quod est Deus; „ tamen satisfacere pro peccato humani generis „ convenit ei, secundum quod est homo. Et se„ cundum hoc dicitur Dei mediator, & homi„ num. "

286. Obj. tertio cum Calvino in ep. scripta nomine Ecclesiæ Genevensis ad Polonos. Ea verba Joan. X. 17. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam* sunt verba Christi mediatoris; sed illa pertinent ad personam divinam, quæ sola poterat animam a se assumptam ponere, & iterum sumere: ergo &c.

287. Resp. neg. min.; ut enim supra num. 500. cum S. Augustino ostendimus, ipsa caro Christi posuit animam suam in morte, eamdemque in resurrectione resumpsit, non quidem potestate sua propria, sed ex potestate Verbi cui semper conjuncta mansit.

288. Obj. quarto auctoritatem quorumdam veterum Patrum, qui Christum etiam ante incarnationem fuisse nostrum mediatorem asseruerunt, utique in natura divina; humanam enim nondum assumpserat. Sic Tertullianus contra Marcionem Libro II. c. 27. *Profitemur*, ait, *Christum semper egisse in Dei Patris nomine, ipsum ab initio versatum, ipsum congressum cum Patriarchis, & Prophetis, Filium Creatoris*. Quorum gemina habent in Libro contra Praxeam c. 14.

289. Resp. Tertullianum, aliosque nonnullos Patres nihil aliud voluisse, nisi Christum ante incarnationem Patriarchis sub Angeli specie spectabilem se præbuisse, quæ opinio fuit veteribus vulgatissima; non autem veris Mediatoris inter Deum, & homines officiis perfunctum fuisse; quæ in eo potissimum sita sunt, ut pro nobis oret ad Patrem, eique sui ipsius sacrificium offerat ad Divinam justitiam placandam. Quæ omnia nonnisi in natura humana assumpta Christus præstare potuit. An vero illæ apparitiones veteribus Patriarchis factæ, sint divino Verbo attribuendæ, an Angelis, diversæ fuerunt, & adhuc sunt Theologorum

rum sententiæ (a). Non ipsum Dei Verbum, sed Angelos Patriarchis apparuisse, pro certo habuit magnus Augustinus Lib. III. de *Trinit.* cap. 10. num. 22. seq. Tom. VIII. Secus visum est S. Irenæo Lib. IV. *adv. Hær.* cap. 7., aliisque non paucis.

PROPOSITIO III.

Christus noster Mediator est ut homo, seu secundum humanam naturam, non tamen præcise, & in seipsa consideratam, sed ut subsistentem in persona divina.

290. Prob. primo ex sacris litteris, in quibus frequenter repetitur, Filium Dei ut hominem ea opera exercuisse, quæ ad officium Mediatoris proprie spectant. Philipp. II. 6. sequ. *Cum in forma Dei esset ... humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et in Actibus Apost. XX. 28. idem Apostolus loquens majoribus natu Ecclesiæ Ephesinæ: *Attendite vobis*, inquiebat, *& universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Hinc etiam in Symbolo Apostolorum dicitur Filius Dei pro nobis *natus, passus, crucifixus, & mortuus*; utique in natura humana, sed non præcise a divina persona: Et clarius adhuc in epist. ad Hebr. II. 10. *Decebat eum*, inquit, *propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Multaque præterea addit ejusdem Mediatoris officia, quæ Filio Dei tribuuntur, non certe in natura divina, in qua nec orare, nec offerre sacrificium, nec pati, aut mori poterat, sed solum in natura humana assumpta, & in divino supposito subsistente.

291. Hæc etiam perpetua fuit Ecclesiæ Patrum doctrina, ex quibus paucos seligemus. S. Athanasius citatus a Theodoreto in Dialogo III. *Verus Deus*, inquit, *est Filius, & antequam homo fieret, & postquam factus est mediator Dei, & hominum homo Jesus Christus, unitus Patri secundum Spiritum, nobis vero secundum carnem; atque ita Mediatoris partibus functus inter Deum, & homines; qui non solum homo est, sed etiam Deus.* Et in Dialogo II. ea verba Apostoli 1. ad Timoth. II. 5. *Unus Deus, unus mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui seipsum dedit redemptionem pro omnibus* ita expoit: „ Ipsum quoque nomen Mediatoris divinitatis ibi, & humanitatis exprimendæ vim habet. Non enim tamquam Deus solum existens Mediator est dictus. Nam quomodo Mediatoris inter nos, & Deum partes impleret, nihil habens nostrum? "

292. Sed omissis aliis præstat audire magnum Augustinum in Libro I. de *consensu Evangelistarum* cap. postremo Tomo III. *Ideo*, inquit, *Christus mediator Dei, & hominum dictus est inter Deum immortalem, & hominem mortalem, Deus & homo, reconcilians hominem Deo, manens id, quod erat, factus, quod non erat.* Et in Enchiridio cap. 108. Tomo VI. *Nam neque*, inquit, *per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei, & hominum Christum Jesum, nisi esset & Deus.*

293. Alium quoque locum ex Augustini ep. ad Volusianum citavit S. Leo Magnus in sua epist. CLXV. ad Leonem Augustum, quod tale est: *Nunc vero ita inter Deum, & homines mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret.*

294. Atque hæc sententia, quæ communis est inter Theologos, manifesta hac ratione confirmatur. Si enim Mediatoris officium fuit, nos Deo reconciliare per veram, ac superabundantem satisfactionem, ut supra probatum est, necesse omnino erat, ut ad hoc Mediatoris munus implendum etiam dignitas personæ divinæ suo modo concurreret, in qua humana natura subsistebat, & a qua sola in Christi passionem, & mortem valor infinitus dimanavit.

295. Obj. primo cum Franc. Stancaro verba Apostoli 1. ad Timoth. II. 5., qui non sine causa Mediatorem nostrum appellat *hominem: Unus mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus*; nempe ut nos doceret, nonnisi secundum humanitatem Christum nostrum esse Mediatorem.

296. Resp. cum S. Thoma, qui Lect. I. in hunc locum ita pulchre explicat mentem Apostoli: Potest „ utero dignatus est nasci *mediator Dei, & hominum* „ homo Christus Jesus, *sequester* est dictus. Ante„ quam vero humanum corpus assumeret, & esse a„ pud Patrem in principio Deus Verbum, ad omnes „ Sanctos, ad quos factus est sermo Dei, Enoch vi„ delicet, Noe, Abraham, Isaac, & Jacob, & postea „ Moysen, & cunctos Prophetas, quos Scriptura com„ memorat, *sine additamento hominis*, quem necdum „ assumpserat, *mediator* tantummodo nuncupatur. " Ubi S. Pater expressius distinguit inter verum mediatorem, quem *sequestrem* appellat, & mediatorem *proprie* dictum.

(a) Recepta communiter non est illa Origenis opinio, quam Pamphilus refert in ejus *Apologia* ex ejusdem Origenis Lib. III. in epist. ad Coloss., ubi Christum *mediatorem Dei & hominum* vocat, antequam esset homo. Eam tamen Dan. Hitelius in Lib. II. *Origenianorum* Qu. 3. n. 4. evellit, dicendo, *pervixit Mediatoris* nomen fuisse ab Origene adhibitum, ad significandas crebras illas itiones, & reditiones ad homines, cum variis indutus formis, & per varias loquens personas, mandata illis Dei parentia Christus deferat; præcipue vero cum Legem Moysi transtulit in suos Commentarios in epist. ad Gal. cap. 3. Tom. VII. inquiens: „ Postquam ob nostram salutem de Virginis

„ est dici, quod Christus mediator est similis u-
„ trique extremo; scilicet Deo, & homini, in-
„ quantum Deus, & inquantum homo, quia me-
„ dium debet habere aliquid de utroque extremo-
„ rum, & hæc sunt, homo, & Deus. Sed quia
„ medium est distinctum ab utroque extremorum,
„ & Filius non est alius Deus a Patre, ideo me-
„ dius est dicendum, quod mediator est secun-
„ dum quod homo; " subsistens tamen in suppo-
sito divino, a quo habuit, ut potuerit dare *remissionem semetipsum pro omnibus*; ut ibidem dicit Apostolus; Angelicus autem explicat: *Pro aliquibus efficaciter, sed pro omnibus sufficienter; quia pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium, sed non habet efficaciam nisi in electis propter impedimentum*.

297. Obj. secundo nonnulla testimonia S. Augustini, qui crebro insinuat, Christum Dominum duntaxat *ut hominem*, nostrum esse Mediatorem. Lib. IX. *de Civit. Dei* c. 15. Tom. VII. *Non tamen*, inquit, *ob hoc mediator est, quia Verbum .... sed mediator, per quod homo*. Item Lib. X. *Confessionum* cap. 43. Tom. I. *Inquantum enim homo, intantum mediator: inquantum autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo*. Ulterius in Psalmum CII. Serm. V. n. 8. T. IV. *Christus*, inquit, *Mediator inter hominem, & Deum, non quia Deus, sed quia homo: non quia Deus æqualis Patri; sed si æqualis Patri, non mediator*.

298. Resp., hæc facile conciliari posse cum iis, quæ supra num. 292. ex eodem S. Patre attulimus, & quibus luculenter docet, Christum non secundum humanam naturam *solam*; sed prout hæc in divina persona subsistebat, Patris satisfecisse, nostrumque factum esse mediatorem. Unde etiam in loco postremum laudato ita pergit: „ Ut
„ autem sit mediator, descendat a superiore ad
„ inferiorem, ab æqualitate Patris: faciat, quod
„ ait Apostolus; *Semetipsum exinanivit formam*
„ *servi accipiens, in similitudinem hominum fa-*
„ *ctus, & habitu inventus, ut homo*. Fiudat
„ sanguinem suum, deleat Chirographum &c. "

299. Objiciebat tertio Stancarus auctoritatem Scholasticorum, quam magnificare tunc non prætermittebat, in aliis postea circumstantiis exemplo suorum Gregalium contemporum; scilicet Magistri sententiarum, & Sanct. Thomæ, & Bonaventuræ; qui diserte asserunt Christum esse nostrum Mediatorem, secundum humanitatem, non vero secundum divinitatem, quia nemo potest esse Mediator sui ipsius; Christus autem secundum divinitatem est unus, idemque cum Patre.

300. Resp., Stancarum minime fuisse asseetutum mentem istorum Theologiæ scholasticæ luminum, qui dum docent, Christum nostrum esse Mediatorem secundum humanam naturam, nullo modo excludunt consortium divinæ naturæ in Christo, ex qua omnis gratiarum copia in ejusdem Christi humanitatem dimanabat. Audiatur nomine omnium S. Thomas 3. P. q. 26. art. 2. ad 1. ubi inquit: *Si subtrahatur divina natura a Christo, subtraheretur per consequens ab eo singularis plenitudo gratiarum, quæ convenit ei, inquantum est unigenitus a Patre, ut dicitur Joan. I. Ex qua quidem plenitudine habet, ut sit super omnes homines constitutus, & propinquius ad Deum accedens*. Dicatur ergo Christus Redemptor, & Mediator hominum, ut homo, & secundum humanam naturam; quia ab hac prodierunt omnes illæ passiones, orationes, aliæque operationes, quibus Christus nos redemit, & perpetuo interpellat pro nobis ad dexteram Patris. Sed non excludatur omnino natura divina, ex qua oriebatur pleniudo gratiarum, & multo minus persona divina, in qua subsistebat humana natura, & a qua diguitas, & pretium infinitum satisfactionis Christi desumi debet. Dicatur itaque Christus *verissime mediator, secundum quod homo*, ut loquitur S. Thomas, non autem addatur aliqua particula restrictiva, aut exclusiva *solum, duntaxat*, aut *tantummodo*, ut falso contendebat Stancarus.

301. Dices. Persona non influit in actiones; sed solum natura: ergo si Christus nonnisi per naturam humanam eliciebat operationes Mediatoris, nonnisi secundum eamdem naturam humanam, divina natura & persona omnino seclusa, potest dici noster Mediator.

302. Resp., personam non influere quidem *physice* in actiones, seu ut principium *quo*; influere tamen *moraliter*, seu ut principium *quod*, ut jam sæpe dictum est. Quamobrem ex dignitate personæ omnes actiones Christi valorem, & pretium suum infinitum desumebant. Unde S. Augustinus in Enchiridio cap. 108. Tom. VI. *Neque*, ait, *per ipsum liberarenur unum Mediatorem Dei, & hominum, nisi esset & Deus*.

303. Colliges ex hactenus dictis, *primo* veram esse, & omnino probandam eam propositionem: *Christus, ut homo, est noster Mediator*: tum quia frequenter fuit a Patribus, & a Principibus Theologiæ scholasticæ Petro Lombardo, S. Thoma, S. Bonaventura, aliisque Theologis usurpata: tum quia absolute prolata non excludit unionem cum natura divina, & subsistentiam humanitatis in divino supposito; tum denique quia non aliud exprimit, nisi operationes suas, quibus Christus factus est noster Redemptor, & Mediator, ab ipsa natura humana prodiisse.

304. Colliges *secundo*, admittendam non esse aliam propositionem: *Christus, prout Deus, est noster Mediator*, quia absolute prolata in sensu obvio significat, Verbum divinum in natura sua propria passum, mortuum, & orasse pro nobis, quæ sunt præcipua Meditoris officia; & quæ nonnisi secundum humanitatem præstari Christo potuerunt: cum etiam quia Christus, ut *Deus* est æterno Patri coæqualis, eique consubstantialis.

CAPUT VIII.

De Christi Sacerdotio.

305. Sanctus Thomas 3. P. quæst. 22. plura quærit de Christi Sacerdotio, quæ omnino præterire piaculum esset. Et primo certissimum haberi debet, eidem Domino nostro & nomen & officium Sacerdotis convenire, David Propheta de eo prædicente Psalmo CIX.: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; quem Psalmum ad se pertinere Christus ipse declaravit apud Matth. XXII. 43. seq. & eo quidem successu, ut Pharisæi, quamquam cavillosi, & maligni, nihil prorsus respondere potuerint. Etiam S. Paulus ea verba de Christo intelligenda esse declaravit, inquiens in epist. ad Hebræos cap. V. 5. & sequent. *Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Idemque sæpius repetit, præsertim toto cap. VII. ejusdem epistolæ, ut nihil disertius desiderari possit.

306. Hoc sacerdotale officium Christo Domino proprie convenire ita probat Angelicus laud. q. 22. art. 1. inquiens: „ Proprie officium Sacerdotis est esse mediatorem inter Deum & populum, „ inquantum scilicet divina populo tradit, unde „ dicitur Sacerdos, quasi *sacra dans*, secundum „ illud Malachiæ II. 7. *Legem requirent ex ore „ ejus*, scilicet Sacerdotis. Et iterum inquantum „ preces populi Deo offert, & pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit; unde Apostolus dicit ad Hebr. V. 1.: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in „ his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & „ sacrificia pro peccatis.* Hoc autem maxime convenit Christo; nam per ipsum divina dona hominibus sunt collata, secundum illud 2. Petri I. 4. *Per quem*, scilicet Christum, *maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per „ hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Ipse etiam humanum genus Deo reconciliavit, secundum illud ad Coloss. I. 16. *In ipso*, scilicet Christo, *complacuit omnem plenitudinem „ inhabitare, & per eum reconciliare omnia.* „ Unde Christo maxime convenit esse Sacerdotem.“

Quæres primo, an Christi Sacerdotium fuerit Leviticum?

307. Resp. negative: fuit enim *secundum ordinem Melchisedech*; ut S. Paulus probat toto cap. IV. epist. ad Hebræos. Ut autem S. Thomas scite observat hic art. 6., legale Levitarum sacerdotium fuit figura Sacerdotii Christi, atque ab eo multum deficiens; tum quia Sacerdotium legale non mundabat peccata; tum etiam quia non erat æternum, sicut Sacerdotium Christi. Hæc porro excellentia Sacerdotii Christi supra Sacerdotium Leviticum fuit figurata in Sacerdotio Melchisedech, Regis Salem, *qui obviavit Abrahæ regresso a cæde Regum, & benedixit ei.* Abraham vero decimas eidem Melchisedech dedit; unde Apostolus ipsius Melchisedech dignitatem colligit, inquiens vers. 4.: *Intuemini, quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Ex quo autem Abraham decimas obtulerit Melchisedech, infert idem Apostolus v. 9., etiam Levi, qui erat in lumbis Abrahæ, fuisse *decimatum*. Ex quibus manifestum fit, Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech esse multo excellentius Sacerdotio Levitico.

308. Etiam notatu dignum est, Melchisedech obtulisse sacrificium panis, & vini, quo præfigurabatur Sacrificium, quod Christus Sacerdos obtulit in ultima cœna, donans Discipulis corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini (*a*).

Quæres secundo, quomodo intelligatur, Sacerdotium Christi esse æternum?

309. Ratio dubitandi nascitur ex eo, quia post finem mundi nulla erunt peccata, pro quibus expiandis Christus debeat Sacerdotis munere fungi. Sed hoc non obstante certum est, Sacerdotium Christi futurum æternum, Scriptura sacra testante: *Tu es Sacerdos in æternum*. Ut autem hoc declaretur.

310. S. Thomas in art. 5. observat; „ in officio Sacerdotis duo posse considerari: *primo* quidem ipsam oblationem sacrificii: *secundo* ipsam „ sacrificii consummationem, quæ quidem consistit in hoc, quod illis, pro quibus sacrificium „ offertur, finem sacrificii consequantur. Finis „ au-

(*a*) Longum nimis esset, hic ea colligere, quæ de Melchisedech, ejusque Sacrificio panis, & vini ab eruditis disputantur. Consuli potest Natalis Alexander in Hist. Vet. Test. Tom. I. Dissert. III. in III. mundi ætatem, ubi *primo* contra Hæreticos dictos *Melchisedechianos* (de quibus S. Augustinus *de Hæresibus* n. 34.) probat, Melchisedechum non fuisse virtutem aliquam cœlestem, aut Spiritum sanctum: *secundo* non fuisse aliquem Angelum, qui humana specie Abrahamo apparuerit, ut putavit Origenes: *tertio* non fuisse ipsum unigenitum Filium Dei, qui in carne ad tempus assumpta se Abrahamo videndum obtulerit; quam veterum nonnullorum opinionem jam obsoletam suscitare nisi sunt Petrus Molinæus Calvinista in Libro, quem inscripsit *Fatum*, & Petrus Gennes Lib. III. De Republ. Hebræorum: *quarto* illum fuisse merum hominem, regem Salem, eumdemque Dei summi Sacerdotem; quemadmodum illum appellat S. Paulus ad Hebr. c. VII. v. 1. *demum* oblationem panis & vini a Melchisedecho factam, non fuisse meram eharisticam, mili bus Abrahæ suppeditationem, sed oblationem sacram, figuram, & typum illius sacrificii, quod in pane, & vino Christus Dominus in postrema cœna instituit. Qua de re consulendus est etiam Dion Petavius Lib. XII. *De Incarn.* cap. 12. & seq.

„ autem sacrificii, quod Christus obtulit, non „ fuerunt bona temporalia, sed æterna, quæ per „ ejus mortem adipiscimur. Unde dicitur Hebr. „ IX. 11., quod Christus est *assistens Pontifex „ futurorum bonorum*, ratione cujus Christi Sa„ cerdotium dicitur esse æternum. Et hæc qui„ dem consummatio sacrificii Christi præfigura„ batur in hoc ipso, quod Pontifex legalis semel „ in anno cum sanguine hirci, & vituli intrabat „ in Sancta Sanctorum, ut dicitur Levit. XVI., cum „ tamen vitulum, & hircum non immolaret in „ Sanctis Sanctorum, sed extra. Et similiter Chri„ stus in Sancta Sanctorum, idest in ipsum cœ„ lum intravit, & nobis viam paravit intrandi per „ virtutem sanguinis sui, quem pro nobis in ter„ ra effudit.“

311. Objectionem autem propositam ita diluit Augelicus ad 1. dicens, „ quod Sancti, qui erunt „ in patria, non indigebunt ulterius expiari per „ Sacerdotium Christi, sed expiati jam indigebunt „ consummari per ipsum Christum, a quo glo„ ria eorum dependet. Unde dicitur Apoc. XXI. „ 23., quod *claritas Dei illuminat eam*, scilicet „ civitatem Sanctorum, *& lucerna ejus est a„ gnus*.“ Tunc igitur Christus æterno Patri exhi„ bebit seipsum in sacrificium, & Ecclesiam suam „ non habentem maculam, neque rugam.

Quæres tertio, utrum Christus sit Sacerdos se„ cundum naturam divinam, an secundum naturam „ humanam?

312. Resp., Christum esse Sacerdotem secun„ dum humanam naturam, non tamen præscinden„ do a supposito divino, in quo subsistebat. Et pri„ mam partem sua infallibili auctoritate firmat Apo„ stolus dicens Hebr. V. 1.: *Omnis namque Pontifex „ ex hominibus assumptus, pro hominibus constitui„ tur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, „ & sacrificia pro peccatis*. Unde etiam c. II. 9. idem „ Apostolus dicit, Jesum *modico minoratum* fuisse „ ab Angelis *propter passionem mortis*, cui Chri„ stus nonnisi ut homo obnoxius fuit. Altera autem „ pars manifeste patet, tum quia numquam huma„ nitas fuit a divino supposito separata, tum etiam „ quia in Christi Sacerdotium dignitas infinita non „ aliunde, quam ex infinita persona Verbi dimana„ re poterat.

Quæres quarto, quænam fuerit hostia a Christo Sacerdote immolata?

313. Resp., Christum fuisse simul Sacerdotem, & hostiam, dicente Apostolo ad Ephes. V. 2.: *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis*. Et rursus ad Hebr. IX. 14. *Sanguis „ Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum „ obtulit immaculatum Deo, emundabit conscien„ tiam nostram &c.* Quamobrem recte S. Augu„ stinus. Lib. IV. *de Trinit.* cap. 14. T. VIII. *U„ nus*, inquit, *ipse erat, qui offerebat, & quod „ offerebat*. Et Lib. X. *de Civitate Dei* cap. 20. *Sacerdos ipse Christus offerens, ipse & oblatio „ cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit „ Ecclesiæ sacrificium*.

314. Porro Angelicus Doctor, ut ostendat, Chri„ stum fuisse non solum Sacerdotem, sed etiam ho„ stiam, primo ponit doctrinam traditam a S. Au„ gustino in Libro X. *de Civ. Dei* cap. 5. scilicet: *„ Omne sacrificium visibile esse invisibilis sacrifi„ cii sacramentum, idest sacrum signum*, unde infert, omne illud, quod Deo exhibetur ad hoc, „ quod spiritus hominis feratur in Deum, posse di„ ci sacrificium, quo indiget homo propter tria. *„ Primo* ad remissionem peccati, dicente Apostolo „ ad Hebr. V. 1., ad Sacerdotem pertinere, *ut of„ ferat dona, & sacrificia pro peccatis. Secundo*, „ ut homo in statu gratiæ conservetur, semper Deo „ inhærens, in quo ejus pax & salus consistit: un„ de & in veteri Lege immolabatur hostia pacifica „ pro offerentium salute, ut habetur Levit. III. *Ter„ tio*, ut spiritus hominis perfecte uniatur Deo, quod „ maxime erit in gloria, propterea in veteri Lege „ offerebatur holocaustum, quasi totum incensum, „ ut dicitur Levit. I.

315. „ Hæc autem, concludit Angelicus, per „ humanitatem Christi nobis provenerunt. Nam „ *primo* quidem nostra peccata deleta sunt, se„ cundum illud Roman. IV. 25. *Traditus est pro„ pter delicta nostra. Secundo* gratiam nos sal„ vantem per ipsum accipimus, secundum illud „ Hebr. V. 9. *Factus est omnibus obtemperan„ tibus sibi causa salutis æternæ. Tertio* per ip„ sum perfectionem gloriæ adepti sumus, Hebr. „ X. 19. *Habemus fiduciam per sanguinem ejus „ in introitum sanctorum*, scilicet in gloriam cœ„ lestem. Et ideo Christus, *inquantum homo*, „ non solum fuit Sacerdos, sed etiam hostia per„ fecta, simul existens hostia pro peccatis, & ho„ stia pacifica, & holocaustum.“

316. Quamvis vero Christus non seipsum occi„ derit, dicitur tamen Sacerdos respectu sui ipsius, „ quia seipsum voluntarie, & libere tradidit, ut oc„ cideretur: *Oblatus est, quia ipse voluit* Isaiæ LIII. 7. Et hac etiam ratione factus est hostia, quan„ quam ejus occisores nihil minus intenderint in ejus „ morte, quam Deo sacrificium offerre.

Quæres quinto, quinam fuerit divinæ hujus hostiæ a Christo immolatæ effectus?

317. Resp. *primo*, fuisse nostrorum peccatorum „ expiationem. Veruntamen duo in nostris peccatis „ distinguenda sunt, una cum Angelico Doctore 3. P. quæst. 22. art. 3., scilicet *maculam culpæ*, „ & *reatum pœnæ*. „ Macula quidem culpæ, in„ quit S. Præceptor, deletur per gratiam, qua „ cor peccatoris convertitur in Deum, reatus au„ tem pœnæ totaliter tollitur per hoc, quod ho„ mo Deo satisfacit. Utrumque autem horum ef„ ficit Sacerdotium Christi. Nam virtute ipsius „ gratia nobis datur, qua corda nostra convertun„ tur ad Deum.“

318. Respond. *secundo*, totum hujus sanctissi„ mæ oblationis fructum nobis solis applicari, non au-

autem ipsi Christo, de quo dicit Apostolus ad Hebr. VII. 27. *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.*

319. Et sane, ut optime ratiocinatur S. Thomas 3. Part. quæst. 22. art. 4., Sacerdos constituitur medius inter Deum, & populum: ille autem indiget medio ad Deum, qui per seipsum accedere ad Deum non potest, sed de Christo dicitur Hebr. VII. 25. *Accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis:* non igitur Christus potuit pro seipso Deo sacrificium offerre. Quæ veritas fuit in generali Ephesina Synodo definita contra Nestorium his verbis: *Si quis dicit, Christum pro se obtulisse oblationem, & non magis pro nobis solum (non enim indiguit sacrificio, qui peccatum nesewit), anathema sit.*

320. Objiciuntur contra hanc doctrinam verba Apostoli ad Hebr. V. 6. & seq., qui postquam Jesu Christo illa adaptasset verba Ps. CLX. *Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, ita subjicit: *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia* (a). Christus ergo etiam pro seipso sui sanguinis hostiam Deo obtulit.

321. Hæc Apostoli verba, quæ obscuriora videntur, ita exponit Angelicus 3. P. quæst. 21. art. 4. ad 1., ut significent, Jesum Christum, quamquam simpliciter loquendo non habuit peccatum, habuisse tamen similitudinem peccati in carnem „ & ideo dicendum est, inquit, quod ipse effe„ ctum Sacerdotii participaverit (non *simpliciter*) sed *secundum quid*, scilicet secundum „ passibilitatem carnis; unde signanter dicit (A„ postolus): *Qui possit illum salvum facere a* „ *morte*. "

322. Eodem modo explicat hunc ipsum Apostoli locum idem Angelicus in Comment. Lect. 1. referens illa verba *Cum clamore valido, & lacrymis* ad orationem Jesu Christi in horto, & ad clamorem emissum in cruce Lucæ XXII., & Matth. XXVIII. Sibi autem objicit, illum gemitum, & clamorem non fuisse a Deo Patre exauditum; cum tamen Paulus dicat ibidem, Christum *fuisse exauditum pro sua reverentia*. „ Contra videtur, inquit S. „ Thomas, quod non fuit exauditus, primo pro „ se, quia non transivit calix ab ipso, quod ta„ men petebat. Item nec pro aliis, quia non fuit „ indultum Judæis, quibus petebat indulgeri. "

323. Cui objectioni ita respondet: „ Dicendum „ est, quod Christus in omnibus, quæ voluit fie„ ri, fuit exauditus; ipse autem secundum appe„ titum sensualitatis, & secundum voluntatem, „ inquantum est quidam appetitus naturalis, re„ fugiebat mortem. Et quantum ad hoc orabat, „ ut ostenderet se verum hominem; sed voluntate consequente rationem deliberatam volebat mori: unde dicit: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Item nolebat, quod ignoscerentur omnibus, sed illis tantum, qui credidерunt; & multi postea conversi sunt. "

324. Sed de Christi oratione ex professo agit S. Thomas 3. P. quæst. 21., ubi art. 4. quærit, *utrum oratio Christi semper fuerit exaudita?* Respondet autem: „ Oratio est quodammodo interpretativa voluntatis humanæ. Tunc ergo alicujus oratio exauditur oratio, quando ejus voluntas adimpletur. Voluntas autem simpliciter hominis est rationis voluntas: hoc enim absolute volumus quod secundum deliberatam rationem volumus. Illud autem, quod volumus secundum motum voluntatis simplicis, quæ consideratur ut natura, non simpliciter volumus, „ sed *secundum quid*; scilicet si aliud non obsistat, quod per deliberationem rationis invenitur. Unde talis voluntas magis est dicenda *velleitas*, quam *absoluta voluntas*, quia scilicet homo hoc vellet, si aliud non obsisteret. Secundum autem voluntatem rationis Christus nihil aliud voluit, nisi quod scivit Deum velle; „ & ideo omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis: „ & per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita. " Et hæc de Christi Sacerdotio sufficiant.

CAPUT IX.

De Christo Ecclesiæ capite.

325. Christum esse caput Ecclesiæ aperte testatur Apostolus ad Ephesios I. 22. de eodem dicens: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius;* vel ut S. Hieronymus ex græco textu legit, *super omnia Ecclesiæ ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ*, quamquam Codices non desint habentes *ὑπὲρ πασῶν ἐκκλησιῶν*; *super omnem Ecclesiam*.

326. Nomine autem Ecclesiæ laudatus mox S. Hieronymus non solum comprehendit eos omnes homines, „ qui in Ecclesia congregantur, tam „ sanctos videlicet, quam peccatores; *sed etiam* „ *cult*, Angelorum, cunctarumque virtutum, & „ rationabilium creaturarum Ecclesiam intelligi „ posse. "

327. Hieronymum secutus est etiam Sanct. Augustinus, cujus illa præclara est sententia Serm. III. in Psalm. XXXVI. num. 4. Tom. IV.: „ Ca„ put nostrum Christus est; corpus capitis illius „ nos sumus. Numquid soli nos, & non etiam „ illi, qui fuerunt ante nos? Omnes, qui ab i„ ni-

(a) S. Thomas Lect. 1. in hunc locum *reverentiam* active sumit, nempe pro devotione quam Christus *super omnes habebat ad Deum*.

„ nitio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent. Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus; & in ejus fide & ipsi sanati sunt, in cujus & nos, ut esset ipse totius caput civitatis Jerusalem, omnibus „ connumeratis fidelibus ab initio usque in finem „ Angelorum &c. "

328. Hanc sententiam adoptavit quoque S. Thomas, eamdemque 3. P. quæst. 8. art. 4. hac ratione confirmat: „ Ubi est unum corpus, necesse „ est ponere unum caput. Unum autem corpus „ similitudinarie dicitur una multitudo ordinata in „ unum, secundum distinctos actus, sive officia. „ Manifestum est autem, quod ad unum finem, „ qui est gloria divinæ fruitionis, ordinantur & „ homines, & Angeli. Unde corpus Ecclesiæ mysticum non solum consistit ex hominibus, sed „ etiam ex Angelis. Totius autem hujus multitudinis Christus est caput: quia propinquius se „ habet ad Deum, & perfectius participat dona „ ipsius, non solum quam homines, sed etiam „ quam Angeli; & de ejus influentia non solum „ homines recipiunt, sed etiam Angeli; dicitur enim Ephes. I. 10. seq. constitutus a Deo *supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus; & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Et ideo Christus non solum est caput hominum, sed etiam Angelorum. Unde & „ Matt. IV. 11. legitur, quod *accesserunt Angeli, & ministrabant ei.*

329. Neque vero obest, Ecclesiam esse *Congregationem fidelium*, Angelos autem non posse appellari *fideles*; cum in ipsis, utpote comprehensoribus, non sit fides.

330. Non inquam id obest; respondet enim Aquinas in hoc art. 4. ad 2. „ quod Ecclesia secundum statum viæ, est congregatio fidelium; „ sed secundum statum patriæ est congregatio comprehendentium. Et ideo non solum fidelium, „ sed etiam comprehendentium (Christus) est ca-

„ put, utpote plenissime habens gratiam, & gloriam. " Quæ S. Thomæ doctrina ita intelligenda est, ut diverso modo Christus influat in homines, ac in Angelos; nos enim a capite nostro Jesu Christo essentialem gratiæ, & gloriæ influxum recipimus, Angeli autem nonnisi accidentalem. Quamobrem ipse Angelicus Quæst. 59. art. 6. statuens in Christo judiciariam potestatem, quæ se extendit ad Angelos, dicit eos subesse judicio Christi, *uno quidem modo, quantum ad dispensationem eorum, quæ per ipsos aguntur ... Secundo quantum ad alia accidentalia præmia bonorum Angelorum, quæ sunt gaudia, quæ habent de salute hominum*, a quibus repleri videnti sedes, unde fuerunt Angeli rebelles dejecti (*a*).

331. Sed ut redeamus ad homines viatores, quærit Angelicus art. 6., an soli Domino nostro Jesu Christo conveniat esse caput Ecclesiæ? Ita autem respondet: „ Caput in alia membra influit dupliciter; *uno modo* quodam intrinseco influxu, „ prout scilicet virtus motiva, & sensitiva a capite derivatur ad cetera membra; *alio modo* secundum quamdam exteriorem gubernationem, „ prout scilicet secundum visum, & alios sensus, „ qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus gratiæ non est ab aliquo, nisi a solo Christo, cujus humanitas ex hoc, quod est divinitati conjuncta, habet virtutem justificandi. Sed influxus in membra Ecclesiæ, quantum ad exteriorem gubernationem, potest aliis convenire: & secundum hoc aliqui possunt dici capita Ecclesiæ, secundum illud Amos VI. 1. *Optimates capita populorum*; differentes tamen a Christo. *Primo* quidem quantum ad hoc, quod Christus „ est caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, secundum omnem locum, & tempus, „ & statum; alii autem homines dicuntur capita „ secundum quædam specialia loca, sicut Episcopi suarum Ecclesiarum; vel etiam secundum determinatum tempus, sicut Papa est caput totius Ecclesiæ, scilicet tempore sui Pontificatus; „ & secundum determinatum statum, prout scili-

„ cet

(*a*) Locus hic est opportunus commemorandi viri doctissimi Franc. Florii Ecclesiæ Metropol. Utinensis Præpositi felicem *Divinationem* de vexatissimo illo S. Justini testimonio in *Apol.* I. (quæ olim secunda dicebatur) num. 6., ubi S. Martyr calumniam atheismi Christianis impactam his verbis dispungit: „ Atque a„ theos nos quidem esse confitemur, si ile opinatis hu„ jusmodi diis agatur (quales erant Dii Gentilium); „ secus vero, si de verissimo illo & justitiæ, ac temperantiæ, ac ceterarum virtutum Patre, nulla ad„ mixta vitiositate, Deo. Sed eum, & Filium, qui „ ab eo venit, ac nos ista docuit, *& ceterorum, qui „ illum assectantur, eique assimilari sunt, bonorum „ Angelorum exercitum*, & Spiritum propheticum[con„ limus, & adoramus (σεβόμεθα προσκυνοῦμεν), ra„ tione, & veritate venerantes. " P. Prudentius Maran S. Justini Operum editor in Præfat. P. II. cap. 4. ea verba ita ad orthodoxum sensum reducere conatus est, ut prima vox σεβόμεν *colimus* referatur ad Angelos; quos colimus, ut Dei ministros; altera vero προσκυνοῦμεν *adoramus* referatur ad Dominum Jesum Christum, quem ut verum Deum adoramus. Qua quidem explicatione in tuto est Catholica fides; sed illi, cum arbitraria videatur, lectoris animus omnino acquiescere recusat. Laudatus autem Florius hunc nodum secat, pntans vitiatum esse locum, nec legendum, ut modo legitur ἄγγελον στρατὸν *Angelorum exercitum*, sed ὑπηρετικὸν ἀγαπητὸν *Angelum Ducem*, nempe Christum Jesum; ut nulla proinde hic sit Angelorum cultus mentio. Hanc suam interpretationem „ sin minus auctoritate Codicum, saltem non contemnendis conjecturis vir eruditissimus corroborat, cujus *Divinationem* Bononiensibus typis an. 1779. excusam, ac celeberrimo D. Joan. Chrysostomo Trombello Canonicorum Regularium Congregationis Rhenanæ splendidissimo astro dictam, legendam censemus.

„ cet sunt in statu viatoris. *Alio modo*, quia „ Christus est caput Ecclesiæ propria virtute, & „ auctoritate: alii vero dicuntur capita, inquan„ tum vicem gerunt Christi, secundum illud 2. „ ad Corinth. II. 10. *Nam & ego quod donavi, „ si quid donavi, propter vos in persona Chri„ sti*; & secundum illud ibidem Cap. V. 20. *Pro „ Christo ergo legatione fungimus, tumquam „ Deo exhortante per nos*. " Atque hæc ex nostro S. Præceptore delibasse sufficiat, quem non sine fructu de his uberius agentem quisque legere poterit.

332. Unum tamen addendum, quod S. Doctor habet in art. 5., ubi probat, Christum esse caput omnium hominum primo ex iis S. Pauli verbis epist. prima ad Timoth. IV. 10. *Qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium*; & ex aliis similibus 1. Joan. II. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non mundi*. Ex quibus ita infert: „ Salvare autem homines, & propitiationem esse pro peccatis eorum competit „ Christo, secundum quod est caput: ergo Chri„ stus est caput omnium hominum. "

333. Postea autem idem Angelicus enumerat diversos gradus, secundum quos Christus est caput omnium hominum. *Primo* enim & principaliter est caput eorum, „ qui actu uniuntur sibi per „ gloriam: *secundo* eorum, qui actu uniuntur „ sibi per charitatem: *tertio* eorum, qui actu u„ niuntur sibi per fidem: *quarto* vero eorum, qui „ sibi uniuntur solum in potentia nondum reda„ cta ad actum, quæ tamen est reducenda secun„ dum divinam prædestinationem: *quinto* vero eo„ rum, qui in potentia sunt sibi uniti, quæ nun„ quam reducetur ad actum; sicut homines in „ hoc mundo viventes, qui non sunt prædestina„ ti; qui tamen ex hoc sæculo recedentes, tota„ liter desinunt esse membra Christi, quia jam „ nec sunt in potentia, ut Christo uniantur. "

CAPUT X.

De Gratia animæ Christi.

334. Ex iis, quæ S. Thomas 3. Part. quæst. 7. disputat. de gratiæ donis animæ Christi uberrime collatis nos brevitatis causa nonnisi ea seligemus, quæ magis necessaria, aut utiliora videbuntur; ac primo quidem ostendendum est, fuisse animam Christi a primo suæ creationis instanti gratia habituali ornatam; in quam sententiam conspirat Theologorum omnium consensus: adeo ut quidam non immerito eam ad fidem pertinere existiment. Hic autem sermo non est de gratia hypostaticæ unionis, de qua satis disservimus supra, sed de gratia animæ Christi propria; quam plenissimam in eo fuisse ostendet sequens

PROPOSITIO.

Christi anima fuit plenitudine gratiæ in primo suæ creationis instanti exornata.

335. Id sacræ litteræ disertissime nos docent: dicitur enim Joan. I. 14. *Vidimus gloriam ejus: gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis*. Et Apostolus ad Coloss. II. 9. in Christo dicit, *inhabitare omnem plenitudinem divinitatis*. Quæ verba ita pulchre exponit S. Augustinus in epist. CLXXXVII., olim LVII. ad Dardanum num. 40.; *ut interesse arbitremur inter caput, & membra cetera, quod in quolibet, quamvis præcipuo membro, velut in aliquo magno Propheta, aut Apostolo quamvis divinitas habitet, non tamen sicut in capite, quod est Christus, omnis plenitudo divinitatis! Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus, quantus in capite, ubi prorsus omnis est quinquepartitus*.

336. Ratione etiam idipsum confirmat Angelicus; *primo* propter unionem animæ Christi ad Verbum Dei; ex qua unione provenit gratiæ influxus; quanto autem aliquod receptivum propinquius est causæ influenti, tanto abundantius recipit: *secundo* propter nobilitatem ejusdem animæ, cujus operationes oportebat propinquissime attingere ad Deum per cognitionem, & amorem, ad quod necesse est elevari rationalem creaturam per gratiam: *tertio* propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum. Christus enim *inquantum homo* est mediator Dei, & hominum; & ideo oportebat, ipsum habere gratiam etiam in alios redundantem, secundum illud Joann. I. 19. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*.

337. Quomodo autem non obstante unione hypostatica, natura humana Christi fuerit gratiæ habitualis capax, explicat Angelicus art. 1. ad 1. inquiens: „ Christus est verus Deus secundum „ personam & naturam divinam. Sed quia eum „ unitate personæ remanet distinctio naturarum, „ anima Christi non est per suam essentiam divi„ nam, ideo oportet, quod fiat divina per parti„ cipationem, quæ est secundum gratiam. " Hinc est, quod sancti Patres bene multi illud Christi Domini Joan. XXII. 29. *Sanctifico meipsum* de Christo intellexerunt, qui secundum naturam divinam sibi ipsi ut homini gratiam sanctificantem contulerit. *Ego*, explicat S. Athanasius Orat. II. cont. Arianos, *qui Patris sum Verbum, ipse mihi homini facto Spiritum tribuo, & meipsum factum hominem illo sanctifico*.

338. Obj. primo. Gratia nobis est necessaria, tum ad bene operandum, tum etiam ad consequendam vitam æternam: sed in Christo ex neutro capite erat necessitas gratiæ, ipsi enim propter unio-

nionem cum Verbo aderat plena bene operandi facultas, & vita æterna jure hæreditario ei debebatur : ergo &c.

339. Resp. S. Thomas ad 2., Christum, inquantum est Verbum Dei, habuisse facultatem omnia bene operandi *operatione divina*. Sed quia præter operationem divinam alia erat in ipso operatio humana, oportuit, in eo esse habitualem gratiam, per quam hujusmodi operatio humana esset perfecta. Similiter etiam Christo, inquantum est Filius naturalis Dei, debetur æterna hæreditas, quæ est ipsa beatitudo increata, per increatum actum cognitionis, & amoris Dei. Sed cum anima Christi non sit capax hujusmodi actus increati; oportebat, ut elevaretur ad cognoscendum, & amandum Deum per actum creatum, qui habetur per gratiam.

340. Obj. secundo. Humana Christi natura non erat nisi *instrumentum divinitatis*, ut Damascenus eam appellat Lib. III. *de fide orthod.* capit. 15.; sed instrumentum non indiget aliqua habitu ad proprias suas operationes; habitus enim solum convenit principali agenti: ergo in Christi anima nulla fuit necessaria habitualis gratia.

341. Resp., humanitatem Christi fuisse instrumentum divinitatis, non inanime, quod nullo modo agit, sed solum agitur; sed instrumentum anima rationali præditum, quod proinde *ita agitur, quod etiam agit*; ut S. Doctor loquitur hic ad 3. Vide sup. num. 685.

342. Obj. tertio. Gratia operans est illa, per quam justificatur impius, ut ex S. Augustino docet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 111. art. 2. hæc autem locum in Christo habere non potuit, in quo nullum unquam fuit peccatum : ergo &c.

343. Resp. cum S. Thoma hac quæst. 7. art. 9. ad 2. „ quod ad gratiam operantem per se pertinet facere justum; sed quod justum faciat ex „ impio, hoc accidit ei ex parte subjecti, in quo „ peccatum invenitur. Anima igitur Christi justificata est per gratiam operantem, inquantum „ per eam facta est justa, & sancta a principio „ suæ conceptionis, non quod ante fuerit peccatrix, ant etiam non justa " (a).

344. Ceterum in hac veritate confitenda, mire Sancti Patres inter se consentiunt, quorum aliqui bene notant, plenitudinem gratiæ ideo Christum ut hominem accepisse, quia eam ut Deus sibi ipsi dedit. *Ipse est enim*, inquit Fulgentius in resp. ad 5. Ferrandi interrogat., *qui dat* (Spiritum), *ipse est, qui accipit : Et quia potens est ad mensuram dare, ideo non potuit ad mensuram accipere. In forma enim Dei manens, Spiritum dat; formam servi accipiens, Spiritum accipit; sed quia ipse ad mensuram dat, ideo non ad mensuram accipit. Ad mensuram quippe dat multis filiis; sed non ad mensuram accepit unicus Filius; quia sic est verus homo, ut sit verus Deus.* Et reipsa tantam animæ Christi dari gratiam congruebat, quantum capere posset maximam.

Quæres primo, an hæc plenitudo gratiæ, quæ ponitur in Christo, significet gratiam infinitam?

345. Negat S. Thomas hac qu. 7. art. 11. quia, ut dicitur Sap. XI. 21., Deus *omnia in numero, pondere, & mensura disposuit*. Pro majori autem quæstionis dilucidatione observat, duplicem in Christo gratiam distingui. Una enim est *gratia unionis personalis* cum natura divina; & hanc gratiam constat esse infinitam. Alia vero est gratia habitualis, quæ iterum potest dupliciter considerari: *uno modo*, prout est quoddam ens; & sic oportet, gratiam animæ Christi esse finitam, neque enim anima Christi capax erat entis infiniti. *Alio modo* potest considerari gratiam secundum suam propriam rationem; *& sic gratia Christi potest dici infinita*; quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei secundum aliquam certam mensuram id, quod ad rationem gratiæ pertinet. Sicut si dicamus, lucem solis esse infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere potest.

346. Quamvis autem gratia animæ Christi non fuerit infinita, ut mox explicatum est, vere tamen docet S. Thomas art. 22., eam non potuisse augeri, neque ex parte ipsius gratiæ, neque ex parte subjecti eamdem recipientis. Non ex parte ipsius gratiæ; cum enim finis gratiæ sit unio creaturæ rationalis ad Deum, non possit autem esse, aut intelligi major unio creaturæ rationalis ad Deum, quam quæ est in persona, ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ. Neque augeri potest ex parte subjecti, quia Christus secundum quod homo, a primo instanti suæ conceptionis fuit verus, & plenus comprehensor: unde non potuit in eo esse gratiæ augmentum, sicut nec in aliis beatis, quorum gratia augeri non potest, quia sunt in termino. Alia est ratio hominum, qui sunt *pure* viatores; in iis enim gratia potest augeri, & ex parte formæ, quia non attingunt summum gratiæ gradum; & ex parte subjecti, quia nondum pervenerunt ad terminum.

347. Hinc patet, inquiam, & exectabilem fuisse illam Nestorii doctrinam, Christum nonnisi paulatim crescente ætate, ac virtutum progressu ad gra-

(a) S. Thomas in loco citato 1. 2. gratiam *operantem* dupliciter intelligi posse docet, uno modo divinum auxilium, quod nos movet ad bene volendum, & agendum; quo sensu communiter sumitur gratia operans: *alio modo habituale donum nobis divinitus inditum*. Et de gratia habituali hoc sensu accepta ita concludit: „ Sic igitur habitualis gratia, inquantum animam sanat, vel justificat, sive gratum Deo facit, dicitur „ *gratia operans*; inquantum vero est principium operis meritorii, quod ex libero arbitrio procedit, „ dicitur *cooperans*. " Sed de his in Tomo proxime sequenti.

gratiæ plenitudinem pervenisse (*a*); tum etiam aliorum, qui dixerunt, tunc solum gratiæ plenitudinem Christum consecutum fuisse, quando in Jordane baptizatus fuit.

548. Hos errores refellit Sanctus Augustinus Lib. XV. *de Trinit.* cap. 26., ubi explicans illa verba Petri Act. X. *Quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto*, „ Non utique, inquit, oleo visibili, „ sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia. Nec sane tunc unctus est Christus Spiritu Sancto, „ quando super baptizatum velut columba descendit ... sed illa mystica, & visibili unctione tunc „ intelligendus est unctus, quando Verbum Dei „ caro factum est ..... Absurdissimum est enim, „ ut credamus, eum, cum jam 30. esset annorum (ejus enim ætatis a Joanne baptizatus est) „ accepisse Spiritum Sanctum."

549. Dices. Quid ergo significant ea verba Jo. Baptistæ Jo. I. 32. *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum?* Spiritus Sanctus descendens, & manens in Christo nihil potest aliud significare, quam novum in Christo gratiæ sanctificantis augmentum. Subdit postea idem Baptista: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto;* quibus verbis indigitatur propheticum Isaiæ oraculum XI. 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini*. Unde etiam Lucæ IV. 1. dicitur: *Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane*.

550. Resp. certe hoc loco minime illud significari, quod blasphemus Nestorius colligebat, tunc primum personam Verbi fuisse personæ Christi moraliter conjunctam, quando Spiritus Sanctus in figura columbæ super ipsum in Jordane illapsus est. Hæc igitur hæretica explicatione rejecta, potest alia quorumdam Patrum adoptari, qui hunc Spiritus Sancti descensum, & hanc ejusdem mansionem super Christum intelligunt vel de sensibili quadam renovatione illius sanctificationis, quæ in prima Christi conceptione facta jam fuerat, vel de confirmatione muneris Christo impositi prædicandi, atque docendi. Hoc postremum S. Hieronymus in Comment. ad cap. LXI. Isaiæ ex eo confirmat, quod S. Lucas cap. IV. postquam exposuit historiam baptismatis Jesu Christi, & superatas ab eo dæmonis tentationes, statim incipiat loqui de ipsius prædicationis ministerio, inquiens vers. 14. & seq.: *Et regressus Jesus in virtute Spiritus in Galilæam .... docebat in Synagogis;* & postea signanter memorat, explicatum a Jesu Christo, sibique ipsi adaptatum illum Isaiæ locum LXI. *Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me &c.* „ Unctus est igitur, inquit Doctor maximus, Spiritu Sancto, ut annunciaret pauperibus &c." De Christi baptismo consulatur S. Thomas 3. P. quæst. 39.

Quæres secundo, utrum in Christo fuerint omnes virtutes?

551. Affirmat Angelicus hac q. 7. art. 2., idque probat hac evidenti ratione: „ Sicut gratia „ respicit essentiam animæ, ita virtus respicit potentiam ejus (quod antea probaverat 1. 2. q. „ 110. art. 3. & 4.). Unde oportet, quod sicut „ potentiæ animæ derivantur ab ejus essentia, ita „ virtutes siut quædam derivationes gratiæ. Quanto autem aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus. Unde cum „ gratia Christi fuerit perfectissima, consequens „ est, quod ex ipsa processerint virtutes ad perficiendum singulas potentias animæ, quantum „ ad omnes animæ actus; & ita Christus habuit „ omnes virtutes."

552. Hæc tamen S. Thomæ doctrina restringenda est ad eas virtutes, quæ aliis Christi perfectionibus non repugnant. Quamobrem in art. 3. probat, in Christo non fuisse virtutem theologicam fidei, quia fidei objectum est res divina non visa; Christus autem a primo instanti suæ conceptionis plene vidit Deum per essentiam, unde fidei virtutem habere non potuit. Dicitur quidem Isaiæ XI. 5. de Christo: *Erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus*. Sed per fidem ibi intelligitur *veracitas*, ut colligitur ex verbis præcedentibus: *Judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate;* unde etiam LXX. Interpretes verterunt: ὃ ἀνδρα ἀληθινὸν τοὺς πλησίον *& veritate accinctus latera;* ne scilicet erret in judicio.

553. Similiter art. 4. Angelicus docet, virtutem spei non potuisse in Christo locum habere; quia de ratione spei est expectare id, quod non habetur. Spes autem prout virtus theologica est, habet pro objecto ipsum Deum, cujus fruitionem homo principaliter expectat. Sed Christus a primo

(*a*) Alardus Gazeus Cœnobita Vedastinus Ord. S. Benedicti in suis præclaris Comm. ad Opera Jo. Gasiani ad c. 3. Libri I. *De Inc.* memoratus blasphemiam illam Nestorii jactantiam: *Non invideo Christo facto homini Dei, quia si ego, sic & ego*, observat illam inde ortam fuisse, quod Hæresiarcha putaverit, Christum prius hominem fuisse, quam assumeretur a Verbo; & studio, atque industria fuisse promeritum, ut Filius Dei diceretur. Quæ Nestorii doctrina hausta fuerat ex Pelagianorum lutulentis fontibus, qui teste S. Augustino *De Hæres.* docere non verebantur, posse homines suis viribus ad perfectam ἀναμαρτησίαν impeccantiam pervenire. Unde colligit laud. Alardus maximam affinitatem inter duas hæreses Nestorianam, & Pelagianam. Ceterum obiter observamus Nestorii blasphemiam, antequam ab ipso proferretur, fuisse a S. Augustino damnatam, qui in epist. 187. n. 40. *Quis*, inquit, *tam sit sacrilegus, ut audeat affirmare, aliquam posse animam per meritum liberi arbitrii, ut alter sit Christus, efficere?*

mo suae conceptionis exordio plena Dei visione beatus fuit; adeoque eam nec expectare, nec sperare poterat. „ Habuit tamen, subdit Angelicus, „ spem respectu aliquorum, quae nondum erat a„ deptus; ... puta immortalitate & gloria corpo„ ris, quam poterat sperare. “ Et postea notat in resp. ad 2., quod *spes, secundum quod est virtus theologica, non respicit beatitudinem corporis, sed beatitudinem animae, quae in divina fruitione consistit.*

Quaeres tertio, an in Christo, fuerint omnia dona Spiritus Sancti?

354. Ita in Christo fuisse Angelicus probat primo ex illis verbis Isaiae IV. 1. *Apprehendent septem mulieres virum unum*; quae Sanctus Hieronymus in Comment. interpretatur de *septem gratiis Spiritus Sancti* juxta ea, quae idem Prophetа inferius dicit XI. 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiae & pietatis: & implebit eum Spiritus timoris Domini.*

355. Et sane cum dona illa sint perfectiones quaedam potentiarum animae, prout inventur a Spiritu Sancto, animae Christi deesse non poterant, quae perfectissime a Spiritu Sancto movebatur.

356. Aliqua difficultas suboritur de dono timoris; neque enim Christus timere debebat sui a Deo separationem, vel punitionem propter peccatum, quod nullum in eo inveniri poterat. Sed hanc difficultatem diluit Angelicus observando, fuisse in Christo timorem Dei, „ non quidem secundum „ quod respicit malum separationis a Deo per „ culpam; neque etiam secundum quod respicit „ malum punitionis pro culpa; sed secundum quod „ respicit ipsam divinam eminentiam, prout sci„ licet anima Christi quodam affectu reverentiae „ movebatur in Deum a Spiritu Sancto acta. „ Unde Heb. V. 7. dicitur, *quod in omnibus e„ xauditus est pro sua reverentia.* Hunc enim „ affectum reverentiae ad Deum Christus, secun„ dum quod homo, prae ceteris habuit pleniorem. „ Et ideo ei attribuit Scriptura plenitudinem ti„ moris Domini. “ Ita S. Doctor q. 7. art. 6.

Quaeres quarto, an Christus peccare potuerit, & gratiam amittere?

357. Resp., *primo* illud certissimum esse, Jesum Christum, qui Dan. IX. dictus est *Sanctus Sanctorum*, vel *Sanctitas Sanctitatum*, & Luc. I. 35. *quod nascetur ex te Sanctum*, idest sanctitas ipsa, ut S. Bernardus explicat, nulla unquam peccati macula fuisse coinquinatum, de qua Christi sanctitate nullus fuit tam perfrictae frontis haereticus, qui dubitaverit. Immo Christus fidenter ipsos adversarios provocavit, dicens Jo. VIII. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et supervacaneum est, hanc veritatem concordissime ab omnibus agnitam, & confessam testimoniis communire (*a*). Vid. S. Thomas 3. P. q. 15. art. 1.

358. Certissimum pariter esse debet, nullum in Christo potuisse esse peccatum, scilicet primo, propter unionem hypostaticam, qua natura humana Christi ita perficiebatur, & regebatur a persona Verbi, ut si reipsa peccasset, peccatum ipsi personae Verbi, quae erat principium *quod* operationum Christi, tribui debuisset, quod omnium absurdissimum esset. Cum autem haec unio hypostatica fuerit indissolubilis, etiam impossibile fuit, Christum peccare; unde illud Tertulliani in Libro *de anima. Solus Deus sine peccato, & solus homo sine peccato Christus, quia & Deus Christus* (*b*).

359. Scotistae quidem hanc Thomistarum rationem multis subtilitatibus enervare conantur: nobiscum tamen consentiunt, Christum fuisse impeccabilem alia de causa, nempe propter visionem beatificam, qua anima Christi in ipso primo creationis instanti donata fuit. Quidquid autem sit de hac scholastica controversia, omnes plane Theologi Augustino subscribunt de Christo dicenti Lib. II. *de peccat. meritis, & remissione* c. 11.: *In cujus non tantum divinitate, sed nec in anima, nec in carne ullum potuit esse peccatum.*

360. Obj. Jo. Clericus in suis adnotationibus ad Petavii Lib. XI. c. 11. sub nomine adscitito Thomae Alethini. Si Christus erat impeccabilis, quomodo potuit a diabolo tentari? Fuisse autem Christum tentatum ad similitudinem nostram, manifeste insinuat S. Paulus ad Hebr. II. 17. seq. dicens: *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.... In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* Nos autem non tentamur a diabolo, nisi quia possumus ei consentire, & peccare.

361. Resp. ex quo Christus Dominus passus sit, se ad similitudinem nostram tentari a diabolo, ni-

(*a*) Pulchra sunt ea S. Bernardi verba Hom. IV. super *missus est* Tom. III. „ Attende quaeso, quam re„ vereter dixerit; *Quod nascetur ex te, Sanctum.* Ut „ quid enim ita simpliciter *Sanctum*, & absque addi„ tamento? Credo, quia non habuit, quid proprie, „ dignaeve nominaret illud eximium, illud magnificum, „ illud reverendum, quod de purissima videlicet Vir„ ginis carne cum sua anima unice Patris erat unien„ dum. Si diceret *Sanctus homo*, vel *Sanctus infans*, „ quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. „ Posuit ergo indefinite *Sanctum*, quia quidquid illud „ sit, quod Virgo genuit, sanctum procul dubio, ac „ singulariter *Sanctum* fuit, & *per Spiritus sanctifi„ cationem*, & *per Verbi assumptionem*. “

(*b*) Haec ratio probata fuit in Synodo VI. generali act. VIII., ubi dictum est: *Quemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima nostra; ita in homine Christo tota hominis ejus conspersio ad ejusdem Verbi divinitate rumper, & in omnibus mota, Deo mobilis fuit, secundum Nyssenum Gregorium.* Sed de sanctitate animae Christi percurratur, si libet, copiosissimus Lud.

nime consequi ipsum potuisse tentationi succumbere, & peccare, ut nos succumbere, & peccare ex nostra fragilitate possumus. Hoc discrimen posuit ipse S. Paulus dicens c. IV. 15., Christum fuisse *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato; idest*, ut Angelicus explicat Lect. III. in hunc locum, *absque minimo motu peccati* 1. Petri II. 22. *Qui peccatum non fecit*. Idem Angelicus in eadem Lect. inter Christi tentationes ea etiam multa mala enumerat, quæ a Judæis passus est, non tamen eas internas tentationes in Christo admittit, quæ in nobis a concupiscentia perduelli excitantur; cum in eo nullus fuerit fomes peccati, ut probat 3. P. q. 15. art. 2.

CAPUT XI.

De scientia animæ Christi.

362. Non loquimur hic de infinita illa scientia, qua Christus, prout Deus est, dicitur *omniscius*, quam perperam Lutherani quidam fuisse Christo, ut homini, una cum aliis attributis communicatam contendunt, a nobis jam refutati ubi egimus de communicatione idiomatum; sed de scientia finita, qua Christi anima fuit in sua creatione exornata. Hæc autem duplex est; alia nempe ex visione beatifica Dei promanans, qua Christus, ut comprehensor, res cognoscebat in ipso Deo clare viso; alia vero, quæ pertinebat ad perfectionem ipsius animæ Christi, & qua res in seipsis cognoscebat. Hæc etiam duplex est, una videlicet infusa animæ Christi in ejusdem creatione, altera acquisita, & experimentalis. Utramque in Christo ut homine ponere debemus (a): unde sit

PROPOSITIO.

Animæ Christi in primo suæ creationis instanti fuit perfectissima scientia, tum naturali, tum supernaturali exornata.

363. Prima nostræ propositionis pars probatur a S. Th. 3. P. q. 9. art. 1. triplici ratione. *Primo*, quia Verbum assumens humanam naturam perfectam, debuit etiam animam assumere debitis sibi perfectionibus instructam, inter quas perfectiones est scientia naturalis; alioquin si in Christo non fuisset nisi scientia divina, illius anima imperfectior esset animabus aliorum hominum. *Secundo*, quia frustra haberet Christus animam intellectivam, si non intelligeret secundum illam, quod pertinet ad scientiam creatam. *Tertio*, quia aliqua scientia creata pertinet ad ipsam animæ naturam, sumendo hic scientiam pro quacumque cognitione naturali. Fuit ergo in Christo præter scientiam divinam scientia aliqua creata; sicut præter voluntatem, & operationem divinam, in illo fuit etiam voluntas, & operatio humana, ut supra contra Monothelitas ostensum est. Quamobrem in Synodo VI. generali Act. IV. probata fuit epistola Sancti Agathonis Papæ, in qua anathema iis dicitur, qui unam tantummodo scientiam in Christo admittebant.

364. Pergit ulterius S. Thomas, & art. 3. ostendit in Christi anima fuisse scientiam infusam; cum enim ut dictum est, Verbum divinum assumpserit naturam humanam perfectam, debuit etiam animæ a se assumptæ „ *imprimere species intelligibiles ad omnia, ad quæ intellectus possibilis est in potentia*; sicut etiam per Verbum „ Dei impressæ sunt species intelligibiles menti „ angelicæ in principio creationis rerum, ut patet per Augustinum (Lib. II. *de Genesi ad litt.* cap. 8. Tom. III.). Et ideo sicut in Angelis secundum eumdem Augustinum (Lib. IV. „ *de Gen. ad litt.* c. 22.) ponitur duplex cognitio, una scilicet matutina, per quam cognoscunt „ res in Verbo; & alia vespertina, per quam cognoscunt res in propria natura per species sibi „ inditas; ita præter scientiam divinam, & increatam, est in Christo scientia beata, qua cognoscit Verbum, & res in Verbo; & scientia „ infusa, sive indita, per quam cognoscit res in „ propria natura per species intelligibiles humanæ menti proportionatas. " Vid., quæ de cognitione Angelorum matutina, & vespertina dicta sunt Tom. IV.

365. Prob. secunda propositionis pars ex iis Christi verbis Jo. VIII. 15., ubi loquens de suo æterno Patre inquit: *Scio eum, & sermonem ejus servo*; dum enim subdit: *Sermonem ejus servo*, manifeste innuit, se loqui de sua humanitate, quæ sermones Dei servabat, & ipsius essentiam manifeste cognoscebat. Eruitur id ipsum ex Apostolo Paulo ad Coloss. II. 3. dicente: *In quo* (scilicet Christo) *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*: non fuissent autem *omnes*, si scientia Beatorum Christo defuisset. De plenitudine scientiæ supernaturalis Christi fuerunt etiam Apostoli convicti; unde ei dicebant Joann. XVI. 30. *Nunc sci-*

Thomassinus Lib. IV. *De Incarn.* primis septem Capitibus, in quibus nihil desiderandum ex S. Patribus reliquit.

(a) Scientiam beatam Christo denegarunt omnes illi Hæretici, qui prave de ejus divinitate senserunt, in quorum numero eminent Sociniani. Peculiariter tamen iste error tribuitur illis Eutychianis, qui *Agnoetæ* dicti sunt Sæc. VI. auctore Sectæ Themisto, de quo legendus est Liberatus Diaconus in *Breviario* cap. 20. Istorum errorem confutavit Eulogius Alexandr. Patriarcha, ut videri potest apud Photium in *Bibl.* Cod. CCXX., & eo successu, ut S. Gregorius Magnus epist. 42. Lib. VIII. ad eum data ipsi sit gratulatus, inquiens: *Quia de doctrina vestra contra Hæreticos, qui dicuntur Agnoetæ, fuit valde, quod admiraremur; quod autem displiceret, non fuit.*

scimus, quia scis omnia ... in hoc credimus, quia a Deo existi.

365. Per facile nobis esset plura Sanct. Patrum testimonia congerere, quæ diligentissimus Thomassinus toto Lib. VII. *de Incarnat.* colligit; præcipue autem Sancti Fulgentii, qui in *Respons. ad Ferrandum Diaconum* probat, in Christo omnem scientiam fuisse ex unione hypostatica naturæ humanæ cum divina. *Non existimo*, inquit, *illi animæ* (Christi) *in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est persona cum Verbo.*

367. Sanct. autem Thomas art. 2. probat, fuisse in Christo, ut homine, scientiam Beatorum, quia homines per Christi humanitatem perducuntur ad finem æternæ beatitudinis, secundum illud Hebr. II. 10. *Decebat eum, propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis per passionem consummari;* unde ita infert: „ Et ideo oportuit, quod cognitio beata in „ Dei visione consistens excellentissime Christo homini conveniret: quia semper causam oportet „ esse potiorem causato. "

368. Accedit omnium Theologorum suffragium, qui Christum ab instanti conceptionis suæ Dei essentiam vidisse definiunt. *Quia conclusio*, inquit Melchior Canus Lib. XII. *de locis theol.* cap. 13: *licet sola Theologorum auctoritate probaretur, satis firma habenda esset* (a). Qui tamen insignis Theologus quamplurimis argumentis eamdem veritatem ibidem confirmat, & quæ opponuntur difficultates, eleganter juxta ac solide resolvit.

369. Obj. primo. Si Christus habuit scientiam divinam, qua omnia videbat in Verbo, erat in eo supervacanea, & inutilis quæcumque scientia creata; ut inutile esset lumen candelæ in plena luce meridiana; lux enim minor a majore luce obscuratur.

370. Respondet Angelicus quæst. 9. art. 1. ad 2. inquiens: „ Si duo summa accipiantur ejusdem „ ordinis, minus offuscatur per majus: sicut lumen „ solis offuscat lumen candelæ, quorum utrumque „ accipitur in ordine illuminantis. Si vero accipian„ tur duo lumina, ita quod majus sit in ordine illu„ minantis, & minus in ordine illuminati, minus „ lumen non offuscatur per majus, sed magis augetur, sicut lumen aeris per lumen solis; & „ hoc modo lumen scientiæ non offuscatur, sed „ magis clarescit in anima Christi per lumen scien„ tiæ divinæ; quæ est *lux vera illuminans omnem* „ *hominem venientem in hunc mundum*; ut dicitur. Joann. I. 9. "

371. Obj. secundo. Christus Dominus multa ignoravit: non ergo habuit scientiam infusam, & multo minus scientiam supernaturalem Beatorum. Prob. anteo. Ignoravit diem judicii; interrogatus enim a Discipulis de die judicii respondit Marci XIII. 32.: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Vid. etiam Matth. XXIV. 36.

372. Respondet S. Thomas quæst. 10. art. 2. ad 1.: „ Dicitur (Christus) nescire diem, & „ horam judicii, quia non facit scire; interroga„ tus enim ab Apostolis, hoc eis noluit revelare; „ sicut e contrario legitur Genes. XXII. 12. *Nunc* „ *cognovi, quod timeas Deum;* idest nunc cognoscere te feci. Dicitur autem Pater scire, „ quia hujusmodi cognitionem tradidit Filio: unde in hoc ipso, quod dicitur, *nisi Pater*, datur intelligi, quod Filius cognoscit; & non solum quantum ad divinam naturam, sed etiam „ quantum ad humanam; quia ut Chrysostomus „ argumentatur (Hom. LXXVIII. in Matt.) si „ Christo homini datum est, ut sciat, qualiter o„ porteat judicare, quod est majus, multo magis „ datum est ei scire, quod minus est, scilicet „ tempus judicii. " Hanc ipsam verborum Jesu Christi explicationem tradidit S. Augustinus Serm. I. in Psalm. 36. inquiens: *Quia Dominus noster Jesus Christus Magister nobis missus est, etiam Filium hominis dixit, nescire illam diem, quia in magisterio ejus non erat, ut per eum sciretur a nobis.*

373. „ Origenes tamen, prosequitur Angelicus „ (Tract. XXX. in Matth.), exponit de Christo „ secundum corpus ejus, quod est Ecclesia, quæ „ hoc tempus ignorat. Quidam autem dicunt, hoc „ esse intelligendum de Filio Dei adoptivo, non „ de Filio naturali. " Recol. quæ diximus T. III.

374. Eulogius disputans contra Agnoetas alias affert hujus textus explicationes, & illam præcipue S. Gregorii Theologi, nempe Nazianzeni, qui Christum dicit scivisse diem judicii, ut Deum, nescivisse autem ut hominem; scilicet ut ipse Eulogius explicat, *Christi humanitati, ut simplici, & puræ humanitatis naturæ, consideratæ præcise secundum ea, quæ a seipsa habet, adscribi poterit ignorantia.*

375. Dices. Multa alia ignoravit Christus. Nam *primo* non novit secreta cordium, ut colligitur ex Matth. IX. 2.; & cap. XVI. 13. seq. interrogabat Discipulos suos: *Quem dicunt homines esse Filium hominis? ... Vos autem quem me esse dicitis?* Ignoravit quoque, quot panes Apostoli haberent, Matth. XV. 35.: & ubi positus fuisset Lazarus, Joann. XI. 24.; & alia nonnulla, quæ studiose collegit Calvinus in Comment. ad cap. II. Lucæ.

376. Resp., si ex hujusmodi interrogationibus deberet inferri Christi ignorantia, non absimiliter liceret eamdem ignorantiam tribuere Deo; Deus e-

(a) Nonnisi enim panci dissentiunt, ut Calvinus ad cap. II. Lucæ, quem sequitur Bucerus. Grotius in cap. XIII. Marci solum post resurrectionem fuisse Christo omnem scientiam, & potestatem datam putavit. Erasmus dubius & anceps fuisse videtur. Sed isti nec numero nec auctoritate tantum valent; ut possint communi aliorum orthodoxorum concordiæ aliquod detrimentum afferre.

enim ipse Genes. III. interrogavit: *Adam ubi es?* Et cap. XVIII. 21. *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Porro Christum non ignorasse internas hominum cogitationes, liquet ex ipso cap. IX. Matth. 4., ubi dicitur: *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Unde etiam S. Petrus Christo interrogauti, an eum amaret? fidenter respondit: *Tu scis, Domine, quia amo te*, Joann. XXI. 15. seq. Nec operæ pretium videtur in aliis textibus objectis, vel similibus, quæ objici possunt, bonas horas consumere, cum facile quisque videat, hoc non ignorasse Christum, sed solum non semper voluisse infinitam suam omnium rerum cognitionem in omnibus circumstantiis, & locis patefacere.

377. Dices secundo. Sancti Patres non dubitarunt plurium rerum ignorantiam Christo ut homini tribuere; ut S. Athanasius in fine Libri ad Serapionem, Basilius in epist. 391. ad Amphilochium, Gregorius Nazianzenus Orat. 35., Cyrillus Alexandrinus in Libro XXII. *Thesauri*; ex latinis autem Patribus Sanctus Hilarius Lib. IX. *de Trinitate*, & Sanctus Fulgentius Lib. I. ad Transimundum cap. 7. Hinc Leontius in suo Libro *de Sectis* Actor. 5. ita fidenter scribit: *Sciendum est; quod multi Patrum, immo fere omnes, videntur dicere, Christum ignorasse; nam si per omnia dicitur nobis consubstantialis, nos autem ignoramus aliqua, & ipse aliqua ignoravit.*

378. Resp. cum Eulogio apud Photium Codi CCXXX., Sanctos Patres, qui ignorantiam in Christo, ut homine, admiserunt, non id tradidisse ut dogma fidei, sed quadam veluti concessione, ut Arianorum objectiones eluderent, quia omnia, quæ in Christo erant humana, ad ejus divinitatem referebant, ut inde concluderent, eamdem divinitatem non esse veram, & propriam, sed inferioris ordinis. Addit insuper, fortasse eos Patres *figurate*, seu *metaphorice* fuisse locutos.

379. Leontii vero auctoritas tanta non est, ut illi sine testibus credere debeamus, nisi velimus dicere, eos Sanctos Patres voluisse tantummodo, Christum nonnulla ignorasse ex vi naturæ humanæ, quæ ex seipsa non exigebat cognitionem omnium rerum, quam Christus habuit per scientiam infusam, & beatificam visionem.

380. Obj. secundo illa verba apud Lucam cap. II. 52. *Jesus autem proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & apud homines:* non ergo omnia in primo suæ conceptionis instanti cognovit.

381. Resp. cum S. Thoma 3. Part. quæst. 7. art. 12. ad 3. ita dicente: „ In sapientia, & gratia aliquis potest proficere dupliciter: *uno modo* „ secundum ipsos habitus sapientiæ, & gratiæ „ augmentatos; & sic Christus in eis non proficiebat: *alio modo* secundum effectus; inquantum „ scilicet aliquis sapientiora, & virtuosiora opera „ facit; & sic Christus proficiebat sapientia, & „ gratia, sicut & ætate; quia secundum processum ætatis perfectiora opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret, & in his, quæ sunt ad Deum, & in his, quæ sunt ad homines.“ Et idem Angelicus in qu. 12. art. 2. loquens de scientia Christi acquisita, docet, hac augeri potuisse secundum effectum, *quia scilicet secundum augmentum ætatis opera majora faciebat, quæ majorem scientiam, & gratiam demonstrabant.* Negat tamen ibidem Angelicus, in Christo auctos fuisse habitus scientiæ infusæ, aut gratiæ. Consul. totus articulus.

382. Profecto de scientia hac experimentali intelligenda sunt ea Christi verba Joan. V. 20. *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.* Nimirum scientia experimentalis Patris operationes Christus cognoscebat, prout ab ipso fiebant; quamquam scientia infusa, & multo magis scientia beata jam antea easdem cognovisset.

383. Obj. tertio. Non potest esse cum summo gaudio summa tristitia conjuncta; at qui videt Deum, maxime gaudet; Christus vero maxime tristatus est: non ergo Deum videbat; ac proinde scientiam Beatorum non habuit.

384. Resp. cum Melch. Cano Lib. XII. *de loc. theol.* cap. 15. „ nihil obstare, cur non per potentiam supernaturalem, & gaudium summum, „ & summa tristitia in eodem subjecto fuerint; „ tum quia nec proprie contraria erant, cum opposito debeat fieri circa idem, ut Div. Thomas sæpe sumit: tum quia, quod præter naturæ ordinem a Deo fit, id in naturæ leges „ referre velle, stultum est. Miraculum fuit quod „ idem homo esset & viator, & comprehensor: „ miraculum, quod a gloria animæ nihil derivaretur ad corpus: miraculum, quod a superioris „ gaudio potentiæ nihil solatii in inferiores redundaret; miraculum, quod inferioribus perturbatis, nec superiores turbarentur, nec a sua perpetua operatione cessarent, nec remitterent opus, nec quietem, & delectationem vel ex minima parte resolverent. Inter hæc miracula propter mysterium nostræ redemptionis explendum, „ quamquam voluntas Deo viso fruebatur, suscepit tamen sponte tristitiam, quantam maximam „ capere potuit: potuit autem capere tantam, quantam maxima esse in rerum natura poterat.“

Quæres, an anima Christi in Verbo cognoverit omnia?

385. Respondet Angelicus quæst. 10. art. 2., quemlibet Beatum cognoscere in Verbo tanto plura, quanto perfectius videt Verbum; nulli tamen intellectui creato deesse, quin cognoscat in Verbo omnia ea, quæ ad ipsum spectant. „ Ad Christum autem, & ad ejus dignitatem spectant quodammodo omnia, inquantum ei subjecta sunt „ omnia. Ipse etiam est omnium judex constitu-

„ tus.

„ tus a Deo, quia *filius* hominis est, „ ut dicitur Joann. V. 27., & ideo anima Christi in Verbo „ cognoscit omnia existentia, secundum quodcumque „ tempus, & etiam hominum cogitatus, quorum est judex: „ itaut quod de eo dicitur Joann. II. 25. *Ipse enim sciebat, quid esset in homine*, possit intelligi non solum ad scientiam divinam, sed etiam quantum ad scientiam animæ „ ejus, quam habet in Verbo. "

386. Prosequitur S. Doctor, ostendens non omnia ab anima Christi cognosci, quæ sunt in sola potentia divina: „ hoc enim esset comprehendere omnia, quæ Deus potest facere; quod esset comprehendere divinam virtutem, & per consequens divinam essentiam: virtus enim quælibet cognoscitur per cognitionem omnium, in quæ potest. Quædam vero sunt non solum in potentia divina, sed etiam in potentia creaturæ; & hujusmodi omnia scit anima Christi in Verbo; „ comprehendit enim in Verbo omnis creaturæ essentiam, & per consequens potentiam, & virtutem, & omnia, quæ sunt in potentia creaturæ. "

Quæres secundo, utrum anima Christi Deum comprehenderit?

387. Negant communiter Theologi una cum S. Thoma qu. 10. art. 1.; cujus hæc est ratio: „ Sic facta est unio naturarum in persona Christi, ut „ proprietas utriusque naturæ inconfusa permanserit; ita scilicet, quod *increatum manserit increatum, & creatum manserit intra limites creaturæ*, ut Damascenus dicit in III. Lib. *de fide orthod.* cap. 3. Est autem impossibile, „ quod aliqua creatura comprehendat divinam essentiam, eo quod infinitum non comprehenditur „ a finito. Et ideo dicendum, quod anima Christi nullo modo comprehendit divinam essentiam (a). "

388. Notat tamen Sanctus Thomas in art. 4., animam Christi virisse divinam essentiam multo clarius, & perfectius, quam quilibet alius Beatus: anima enim Christi propinquius conjungitur Verbo, quam quævis alia creatura; & ideo plenius recipit influxum illius luminis, in quo Deus videtur.

CAPUT XII.

De Christi adoratione.

389. Adoratio definiri potest ex S. Thoma 2. 2. qu. 84. art. 1. *Reverentia ejus, qui adoratur.* Tria autem adorationis, seu cultus religiosi genera consueverunt Theologi distinguere, scilicet *latriæ, duliæ, & hyperduliæ*; nam de adoratione civili, & politica nobis sermo non est. *Latria* vox græca est a λατρεύειν *servire*; & communi Patrum, ac Theologorum usu adhibetur ad significandum cultum soli Deo debitum; unde Sanctus Augustinus Lib. X. *de Civit. Dei* cap. 1. *Latriæ*, inquit, *secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum. Dulia* a voce δοῦλος, quæ pariter idem est ac *servire*, apud ecclesiasticos scriptores significat cultum inferiorem, qui tribuitur Sanctis, quos ut Dei amicos, & filios, imo & fratres Christi Domini veneramur; his enim honorum titulis in Scriptura Sacra eos insignitos inveninus; vel ut loquitur S. Thomas 2. 2. qu. 84. art. 1. ad 1. *Deo debetur reverentia propter ejus excellentiam, quæ aliquibus creaturis communicatur, non secundum æqualitatem, sed secutum quamdam participationem.* Cum autem inter eos singulari quadam dignitate, & excellentia superemineat Beatissima Virgo Dei genitrix Maria, ipsi cultum *hyperduliæ* tribuimus; qui cultui *latriæ* multo inferior est, cultui autem *duliæ* aliquanto superior.

390. Rursus cultus, vel adoratio religiosa duplex distinguitur, nempe *absoluta*, & *relativa*. Prima dicitur, quæ mice dirigitur ad personam, quam propter seipsam honoramus, & hac ratione colitur Deus: altera, quæ alicui rei attribuitur, non in seipsa, sed quatenus aliquid aliud repræsentat: sic Regis personam *absolute* veneramur, imaginem autem ipsius nomisi *relative*, prout Regem repræsentat, ut proinde tota veneratio non sistat in ipsa imagine, sed ad Regem dirigatur.

391. Jam vero his præmotatis, quæstio oritur, an humanitas Christi, quam hypostatice divino Verbo indissolubili nexu unitam diximus, cultu latriæ soli Deo debito adoranda sit. Et quidem Eutychiani inter ceteras cavillationes ad tollendam in Christo duarum naturarum distinctionem, hoc etiam utebantur, quod inde hoc sequeretur absurdum, necesse esse, unam ex his naturis nos adorare, alteram vero non, ut Leontius in Libro de *Sectis* cap. 8. refert. Sed quam inanis fuerit hæc Eutychianorum objectio, ostendet sequens

PROPOSITIO I.

Una, eademque adoratione adoranda est divinitas Christi, & ejus humanitas.

392. Prob. primo ex sacris litteris. Sanctus Paulus ad Hebr. 1. 6. Jesu Christo primogenito Filio Dei

(a) Merito in Concilio Basileensi Sess. XXII. anno 1435. damnata fuit illa propositio Augustini Favaroni de Roma Archiepiscopi Nazareni, quod *Anima Christi videt Deum tam clare, & intense, quantum clare, & intense Deus videt seipsum.* Quæ Basileensis Concilii censura fuit a Nicolao V. probata anno 1440. Etiam Sanctus Fulgentius hujus erroris ab aliquibus accusatus fuit; de quo videatur Thomassinus Lib. VII. *De Incarn.* cap. 3. & seq.

Dei ea Paul. XCVI. verba adaptat: *Adorent eum omnes Angeli Dei*. Quem locum S. Jo. Chrysostomus Hom. III. non de *Deo Verbo* vult intelligi, *sed de Christo, qua est carne prædituς*. Idem Apostolus Paulus ad Philipp. II. 9. *Propter quod*, inquit, *& Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum:* quæ utique ad Christum, ut in utraque natura existentem referuntur. Hinc cæcus ille a nativitate, cujus sanatio describitur Joann. IX. *procidens adoravit eum*, nempe Christum, in quem se credere professus est; & Apostoli similiter eum post resurrectionem *adoraverunt* Matth. XXVIII. 18. Denique hinc illud spectat adoratio Magorum, qui ut dicitur Matth. II. 11. *procidentes adoraverunt eum* (*a*).

395. Sed antequam progrediamur ulterius, audiendus est S. Thomas, qui 3. Parte quæst. 25. art. 1., sensum hujus propositionis ita declarat: *In eo, qui honoratur, duo possumus considerare, scilicet eum, cui honor exhibetur, & causam honoris. Non enim dicimus, quod manus hominis honoretur, sed quod homo honoretur; & si quandoque contingat, quod dicatur honorari manus, vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione, quod hujusmodi partes secundum se honorentur, sed, quia in istis partibus honoratur totum: per quem etiam modum aliquis homo potest honorari in aliquo exteriori, puta in veste, aut in imagine, aut in nuntio. Causa autem honoris est id, ex quo ille, qui honoratur, habet aliquam excellentiam.* Nam honor est reverentia alicui exhibita propter sui excellentiam. *Et ideo si in uno homine sint plures causæ honoris, puta prælatio, scientia, & virtus, erit quidem illus. hominis unus honor ex parte ejus, qui honoratur, plures tamen secundum causas honoris, homo enim est, qui honoratur & propter scientiam, & propter virtutem.*

394. Hæc præmissa doctrina ita propositionem nostram Angelicus probat: „ Sic ergo cum in Christo sit tantum una persona divinæ, & humanæ „ naturæ, & etiam una hypostasis, & unum suppositum, est quidem ejus una adoratio, & unus honos ex parte ejus, qui adoratur; sed ex „ parte cafuæ, qua honoratur; possunt dici esse „ plures adorationes, ut scilicet alio honore honoretur propter sapientiam increatam, & alio propter sapientiam creatam. Si autem ponerentur „ in Christo plures personæ, seu hypostases, sequeretur, quod simpliciter esset plures adora-

„ tiones (*b*). Et hoc est quod in Synodis reprobatur. Dicitur enim in capitulis (seu anathematismo VII.) S. Cyrilli: *Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, quasi alterum alteri, & non potius una adoratione honorificat Emmanuelem, secundum quod Verbum caro factum est, anathema sit.*" Et in Concilio Lateranensi sub Martino I. Secret. IV. can. 9. ita definitum fuit: *Si quis una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne non adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.*

395. Atque hæc fuit veterum Christianorum sententia; unde S. Athanasius & suo, & aliorum nomine dicebat in epist. ad Adelphium Episcopum: *Nos creaturam non adoramus, absit. Gentilium enim, & Arianorum hujusmodi est error: sed Dominum creaturæ incarnatum Deum Verbum adoramus. Quamvis enim caro ipsa per se pars est creaturarum, tamen Dei corpus est facta. Ac neque corpus hujusmodi dividentes per Verbum adoramus: neque Verbum adorare volentes, ipsum longe a carne disjungimus.* Et ita pergit ostendens, una adoratione a nobis honorari Verbum, *cujus proprium est corpus:* adeoque & corpus ipsum, *quod indumentum Verbi fuit, esse adorabile*. Eodem modo locuti sunt alii Patres, qui Arianos impugnabant.

396. Sed etiam post exortam hæresim Nestorianam, quæ sicuti duas naturas, ita duas in Christo distinguebat personas, divinam unam, cui latriæ cultus sine dubio debetur, alteram humanam, cui non debetur, Patres orthodoxi constanter unam utriusque naturæ adorationem prædicabant. Unde Orientales Cyrillo hac in parte consentientes, *unam adorationem*, dicebant, *de cetera velut uni filio* (Christo) *deferimus*.

397. Concludamus cum S. Jo. Damasceno, qui Lib. III. *de fide orthod.* cap. 8. *Unus*, inquit, *est Christus, Deus perfectus, & homo perfectus, eui unam, eamdemque adorationem cum Patre, & Spiritu, non exclusa immaculata ejus carne, adhibemus. Neque enim adorandum esse carnem ejus negamus? quippe quæ adoratur in una Verbi persona, quæ quidem ipsi personæ, & hypostasis facta est. Qua in re non creaturæ sermus; non enim illam, ceu nudam carnem adoramus, sed velut divinitati unitam* &c.

398. Obj. primo S. Augustinus Tract. XXIII. in Joan. explicans ea verba Joan. V. 23., quæ nostram propositionem confirmare videntur: *Ut omnes*

(*a*) Sunt qui Magorum adorationem mere civilem fuisse putant, ut Rich. Simonius in sua reprobata versione Gallica N. T. Verum non apparet, quomodo cultum regium potuerint illi Magi tribuere Christo, quando in pauperrima forma vagiebat in cunabulis. Simonius autem reprehensus tantum cessit, ut in *Bibliotheca Critica* rem obscuram esse affirmans, non omnino negaverit, cultum religiosum ex divina inspiratione fuisse a Magis Christo delatum.

(*b*) Nestorius quidem licet duas in Christo adstrueret personas, unam tamen simulabat se admittere ejus adorationem. Ejusdem dolum nobis aperit Facundus.

mnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem? „ Honoratur, inquit, homo Christus, sed „ non sicut Pater Deus. Quare? Quia secundum „ hoc dixit: *Pater major me est.*“

399. Resp., hoc loco S. Augustinum considerare humanam Christi naturam in seipsa duntaxat, facta præcisione ab unione hypostatica; quo sensu etiam Christus ipse dicebat, Patrem esse majorem se; considerata autem humanitate, prout in divina persona subsistit, Christum se unum esse cum Patre affirmabat: *Ego, & Pater unum sumus.* Ceterum ipse S. Augustinus alibi luculenter tradit, Christum etiam ut hominem esse adorandum; ut cum in Psal. XLVI. ait: *Christus occisus est a civibus, & honoratur a Gentibus; crucifixus a suis, adoratur ab alienis.* Et in Ps. XCVIII. exponens illa verba: *Adorate scabellum pedum ejus*, de Christi carne „ Nemo, inquit, illam car„ nem manducat, nisi prius adoraverit. Inventum „ est, quomodo adoretur tale scabellum pedum „ Domini, & non solum non peccemus adorando, „ sed peccemus non adorando “.

400. Obj. secundo. S. Cyrillus contra Nestorium anathemat. VIII. *nefas* esse asserit, hominem assumptum *coadorare* Deo Verbo.

401. Resp., Cyrillum reprehendisse hanc vocem *coadorare*, quatenus ad sensum Nestorianum trahi poterat, quasi duæ essent in Christo personæ moraliter conjunctæ, & coadorandæ; non autem sensu orthodoxo de duabus naturis, quæ simul in una hypostasi coadorantur: unde in Lib. II. contra Nestorium æquivalenter dixit, Christum *adorari etiam cum carne, ut ante carnem erat adorandus.*

402. Obj. tertio. Si Christus ut homo adoratur tantummodo, propter substantialem illius unionem cum Verbo, illius adoratio non erit absoluta, sed relativa ad ipsum Verbum.

403. Resp. neg. sequelam; nam propter unionem hypostaticam caro Christi est *caro Dei*, adeoque absoluto latriæ cultu adoranda. Nec propterea vocandi erimus *συναρκολάτραι carnicolæ*, quomodo Catholici una cum S. Gregorio Nazianz. in epist. II. ad Cledonium per contemptum appellabant Apollinaristas, qui ut superius notavimus, nonnisi carnem, seu solam humanitatis larvam, Christo tribuentes, vel etiam ipsum Verbum fuisse in carnem conversum stulte somniantes, hoc nomine *carnicolarum* merito irridebantur. Nos autem adoramus Deum, una cum carne ab ipso assumpta, quæ caro licet sit creata, est tamen Deo increato hypostatice unita; seu ut loquitur S. Athanasius in epist. ad Adelphium, quamquam caro creata sit, *Dei nihilominus corpus facta est, nec tale corpus seorsim a Verbo adoramus.*

404. Dices. Si tantum ratione unionis hypostaticæ humanitas Christi adoratur, vera erit doctrina Durandi, Christi humanitatem adorari *tantum per accidens*; quæ tamen doctrina a Theologis improbatur.

405. Resp. neg. sequelam, si intelligatur, hanc adorationem dici *per accidens*, quia consequitur unionem tantummodo *accidentalem*, qualem ponebat Nestorius; verum tamen est, quod communiter tradunt Theologi, humanitatem Christi adorari, quasi secundario, & ex consequenti, nempe ratione unionis hypostaticæ.

406. Obj. ult. Christi divinitas est adoranda, sicut adoratur divinitas Patris, & Spiritus Sancti, cum una, eademque sit omnium Personarum divinitas, & Christus ipse dicat Joan. V. 23.: *Omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*; sed humanitas Christi non est communis ei, & Patri, & Spiritui Sancto: non igitur potest una latriæ adoratione coli.

407. Respondet S. Thomas hac quæst. 25. art. 1. ad 1. „ quod in Trinitate sunt tres, qui ho„ norantur, sed est una causa honoris, in myste„ rio autem incarnationis est e converso, & ideo „ alio modo est unus honor Trinitatis, & alio mo„ do est unus honor Christi.“ Nimirum juxta ea, quæ in corpore articuli dixerat, alio honore honorandum esse Christum *propter sapientiam increatam*, & alio *propter sapientiam creatam*.

Quæres, utrum humanitas Christi per se considerata, & præcisione facta ab unione hypostatica, adoranda sit adoratione latriæ?

408. Resp. S. Jo. Damascenus Lib. IV. *de fide orthod.* c. 5. de carne Christi ita loquitur: *ipsius caro suapte quidem natura, si subtili quadam consideratione id quod visibile est, ab eo quod ratione tantum intelligitur, distinxeris, nequaquam adoranda est, utpote creata: & cum Deo Verbo unita sit, propter ipsum, & in ipso adoratur. Quemadmodum enim Rex, & nudus, & vestibus indutus adoratur; ac purpura quidem, velut simplex purpura, calcatur, & projicitur; postquam autem in regium incumentum adhibita est, tunc honore, & gloria afficitur... ad eumdem quoque modum caro suapte quidem natura nequaquam est adoranda, sed cum in incarnata Verba adoratur, non quidem propter seipsam, sed propter Deum Verbum, quod secundum hypostasim ipsi copulatum est.*

409. Angelicus autem hac qu. 25. art. 2. indicato hoc Damasceni testimonio ita profunde ratiocinatur. „ Honor adorationis proprie debetur hy„ postasi subsistenti, tamen ratio honoris potest „ esse aliquid non subsistens, propter quod ho„ noratur persona, cui illud inest. Adoratio igi„ tur humanitatis Christi dupliciter potest intelli„ gi: *uno modo* ut sit ejus, sicut rei adoratæ; „ &

Hermoniensis hæc afferens Nestorii verba *Propter gestantem eum, qui gestatur, veneror: propter latentem eum, qui apparet, adoro.*

„ *& sic adorare carnem Christi nihil est aliud, quam adorare Verbum Dei incarnatum;* sicut „ adorare vestem Regis nihil est aliud, quam adorare Regem vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio latriæ. *Alio modo* potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quæ fit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum: *& sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriæ, sed adoratio duliæ (a);* ita scilicet quod una, „ & eadem persona Christi adoratur adoratione latriæ propter suam divinitatem, & adoratione duliæ, propter perfectionem humanitatis. Neque „ hoc est inconveniens, quia ipsi Deo Patri debetur honor latriæ propter Deitatem, & honor „ duliæ propter dominium, quo gubernat creaturam " (b).

Quæres *secundo*, qualis adoratio debeatur imagini Christi?

410. Respondet Sanct. Thomas hac qu. 25. art. 3. „ quod imagini Christi, inquantum est res quædam (puta lignum sculptum, vel pictum), „ nulla reverentia exhibetur; quia reverentia non„nisi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo, „ quod exhibetur ei reverentia solum inquantum „ est imago; & sic sequitur, quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi, & ipsi Chri„sto: cum ergo Christus adoretur adoratione latriæ, consequens est, quod ejus imago sit adoratione latriæ adoranda. "

Quæres *tertio*, qualis adoratio debeatur cruci Christi?

411. Ecclesia videtur approbare cultum latriæ, dum crucem appellat spem nostræ salutis unicam iis verbis:

O crux ave spes unica
Hoc passionis tempore:
Auge piis justitiam,
Reisque dona veniam.

412. Angelicus autem ita solita sua accuratione dubium resolvit, „ Honor, seu reverentia, non „ debetur, nisi rationali creaturæ, creaturæ autem insensibili non debetur honor, vel reverentia, nisi ratione rationalis creaturæ. Et hoc dupliciter; *uno modo*, inquantum repræsentat rationalem creaturam: *alio modo*, inquantum ei quocumque modo conjungitur. Primo modo conservantur homines venerari Regis imaginem: secundo modo ejus vestimentum. Utroque autem „ venerantur homines eadem veneratione, qua „ venerantur & Regem. "

413. „ Si ergo loquamur de ipsa cruce, in qua „ Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda. *Uno* scilicet *modo*, inquantum „ repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea; „ *alio modo* ex contactu ad membra Christi, & „ ex hoc, quod ejus sanguine est perfusa. Unde „ utroque modo adoratur eadem adoratione cum „ Christo, scilicet adoratione latriæ. Et propter „ hoc etiam crucem alloquimur, & deprecamur „ quasi ipsum crucifixum. Si vero loquamur de „ effigie crucis Christi in quacumque alia materia, puta lapidis, vel ligni, argenti, vel auri, „ sic veneramur crucem, tantum ut imaginem „ Christi &c. " (c).

414. Eadem de causa ratione contactus membrorum Christi adoramus ea omnia, quæ fuerunt Christi. Unde S. Jo. Damascenus L. IV. *de fide orth.* c. 11. *Hoc pretiosum sane*, inquit, *ac venerabile lignum, in quo se Christus pro nobis hostiam obtulit, uti sanctissimi corporis, atque sanguinis tactu sanctificatum, jure debet adorari: clavique item, & lanceæ, & indumenta, & sacræ ejus mansiones, hoc est præsepe specus, salutaris Golgotha, vivificum sepulcrum, Sion Ecclesiarum, arx; ac similia.*

CAPUT XIII.

De Cultu & invocatione Sanctorum.

415. Nemini dubium est, duplicem cultum distingui oportere; alium mere *civilem*, & *politicum*, quo se invicem homines honorant; alterum re-

(a) In resp. ad 1. explicat adorationem *duliæ*, quam dixit deberi humanitati Christi, ut separate a Dei Verbo, addens: *adoratio duliæ non cujuscumque, puta quæ communiter exhibetur aliis creaturis, sed cujusdam excellentioris, quam hyperdaliam vocant.*

(b) Insignis Theologus Carmelita Thomas Waldensis in suo *Doctrinali Fidei* Tom. I. inter errores Jo. Wiclefi hunc etiam recenset, quod docuerit, *si per impossibile humanitas Christi foret dimissa propriæ personalitati ... adorares eam latria, sicut prius.*

(c) Locus hic videretur opportunus, de latrentica crucis adoratione, seu ut Græci dicunt, σταυρολατρεία latius disserendi, ejusque in Ecclesia antiquitatem demonstrandi, contra veteres Hæreticos Paulicianos Sæc. VII., & contra Clandium Taurinensem, aliosque ejus asseclas recentiores Novatores, qui omnem sacris Reliquiis, ac vivifico Dominicæ Crucis signo venerationem adimere conati sunt. Sed nè volumen nimium excrescat, legendos consulimus præcteris eruditissimum Gretserum, qui tribus tomis, quæ de Crucis argumento desiderari possunt, copiosissime collegit, & Natalem Alexandrum Disert. VII. in Sæculum VII. De veritate autem illorum versuum Lactantii in Carmine *De Passione Domini*, quibus antiquitas σταυρολατρίαν confirmatur, videndus Alexius Symmachus Mazzochius in *Comment. In Marmor. Neapolit. Kalendarium* Vol. III. pag. 806., qui satis mirari non potest, illud carmen vere lactemm, non solum a Gelleo, Caveo, & similibus, verum etiam a Dupinio, & Tillemontio fuisse Lactantio ereptum. Ita autem habent indicati versiculi:

Flecte genu; lignumque Crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramque cruore madenten
Ore potens humili lacrimis suffunde subortis.

religiosum, quem soli Deo deberi Protestantium plerique clamant (a); sed Catholici hunc religiosum cultum, rursus distinguunt in cultum *latriæ*, *duliæ*, & *hyperduliæ*, ut supra declaratum est n. 389.; quæ distinctio, quamquam in Grammatica fundamentum non habeat, utpote quia λατρεία apud Græcos idem sonat, ac *Servitus*, communi tamen Theologorum consensu ita recepta est, ut aliquod magnum sit inter primam, & secundam vocem discrimen, ut nempe prima significet cultum soli Deo convenientem; altera vero etiam honorem, quo aliqui excelleutes pietate viri, & Dei amici digni sunt; & de vocibus litigare otiosi hominis est, quotiescunque de ipsa re significata nullum est dubium.

416. Atque id solum plane sufficeret ad totam controversiam finiendam, nisi disputare nos cogerent post Lutherum, & Calvinum, Hieron. Zanchius, Petr. Molinæus, Jo. Dalleus, aliique ejusdem furfuris, qui non cessant nos apud rudes, & ignarum suorum gregalium vulgus, putide idololatriæ accusare; quasi vero honorem soli Deo debitum hominibus tribuamus; a qua absurdissima inpietate omnes Catholici procul absunt.

417. Eo autem magis mirandum est, hanc quotidie cantilenam Adversarios repetere; cum ignorare non possint verba Concilii Tridentini Sess. XXV. *de invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum*, ubi Episcopis, aliisque docendi munus, curamque sustinentibus mandatur, ut doceant: *Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere; illos vero, qui negant, Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum Verbo Dei; adversarique honori unius Mediatoris Dei, & hominum Jesu Christi, vel stultum esse in cœlo regnantibus voce, vel mente supplicare; impie sentire.* Et postea districte præcipitur, ut *omnis superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur*. Quamobrem injusti omnino sunt ii Adversarii, qui ex aliquibus abusibus ab Ecclesia improbatis ipsum sacrum dogma de Sanctorum cultu, ac invocatione impugnare audent.

(a) Quamvis aliquando sui ipsorum obliti etiam cultum hominibus debitum *religiosum* vocant. Luth-rus in Cap. II. epist. ad Gal. *Magistratum*, inquit, *Imperatorem, Regem, Principem, Consulem, Doctorem... Deus pro suis creaturis agnosci vult, & religiosè coli*. Ger. autem Vossius in Append. ad Disput. I. *De Invoc. Sanct.* loquens de distinctione nostra cultus *latriæ*, & *duliæ*, *eos*, inquit, *qui distinctionem hanc probant, minime improbamus; partim quia vitanda est viro prudenti omnis κενοφωνία, partim quia nec inutile videtur, si cultibus toto genere differentibus, qualis est Dei, & creaturæ, ad ἔμφασιν vitandam diversa imponantur nomina; partim quia nec ab ea abhorruit Augustinus*. Vice versa Cardinalis de Richelieu in sua *Methodo convertendi eos, qui ab Ecclesia sunt separati* Lib. III. cap. 4. has Scholasticorum voces *duliæ*, & *hyperduliæ* a nullo Concilio fuisse consecratas, asseruit, & *neminem ad eas recipiendas cogi sub pœna defectionis a fide*. Etiam celebres Fratres, Episcopi Petrus, & Adrianus de Walenburch in Tom. II. *De Controv. part. uni.* cap. 15. *Quo nomine*, inquiunt, *vocandus sit ille cultus, qui sanctis attribuitur, non definivit Ecclesia Catholica*.

PROPOSITIO I.

Sanctis in cœlo regnantibus cultum religiosum, civili majorem, eo autem, qui Deo debetur, multo inferiorem deferre licet.

418. Id autem primo ex sacris litteris manifeste ostenditur; in quibus legitur Num. XXII. 31. Balaam *pronum in terra adorasse Angelum*. Profecto illa adoratio nec mere civilis dici potest, neque latriæ, quæ soli Deo debetur; fuit ergo media inter utramque, qualem nos Sanctis cum Deo in cœlis regnantibus tribuendam esse dicimus. Simile est, quod legitur Josue V. 13. seq., cui enim apparuisset Angelus princeps exercitus Domini: *cecidit Josue pronus in terram: & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Si autem licitum fuit Angelos religioso cultu adorare, cur nobis licitum non erit simili adoratione Beatos in cœlis colere?

419. Deinde non desunt ex veteri Testamento exempla adorationis religiosæ præstitæ quibusdam eximiæ sanctitatis viris. Sic Libro 3. Regum XVIII. 7. Abdias vir timens Deum, ut vidit, & cognovit Eliam Prophetam, *cecidit super faciem suam*; utique eum religioso cultu ut sanctum veneraturus; nam civili cultu potius decebat, ut Elias veneraretur Abdiam, qui erat dispensator domus Achab. Filii etiam Prophetarum, ut refertur Lib. 4. Regum II. 15. venientes in occursum Elisæi, *adoraverunt eum proni in terram*, non alia de causa, nisi quia ejus miraculum viderant, quando percussæ aquæ Jordanis divisæ sunt, ut Elisæus transiret. Et ibidem cap. IV. 37. Sunamitides *corruit ad pedes ejusdem Elisæi, & adoravit super terram*. Si autem Sanctos adhuc in terris degentes adorare aliquando licuit, magis certe licebit eosdem adorare regnantes in cœlis.

420. Multo autem luculentius nostra propositio ernitur ex vetustissima traditione, & praxi Ecclesiæ, quæ religioso cultu semper consuevit memoriam Sanctorum solemniter celebrare. Nam primo habemus testimonium Ecclesiæ Smyrnensis in epi-

pistola encyclica de Martyrio S. Polycarpi, ubi dicitur, *natalem ejusdem Martyris diem cum hilaritate, & gaudio fuisse celebratum*.

421. S. Cyprianus epist. XXXVII. præcipit, adnotari tempora, in quibus fortes athletæ Christi excedebant, *ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrari possent*, & laudat Tertullum, qui illi significabat dies, quibus in carne beati Fratres ad immortalitatem, gloriæ mortis exitu transibant, ut posset *pro eorum commemoratione celebrare oblationes, & sacrificia*.

422. Eusebius Cæsariensis Lib. IV. *de vita Constantini* cap. 58. describit magnificentissimum templum Constantinopoli ab Imperatore exstructum *in memoria Apostolorum*. Et quamquam de eo capite liteu cum Valesio habere nolim, qui illam descriptionem templi aliena manu insertam fuisse vult, nemo tamen dubitabit de c. 60., ubi dicit, in eo in templo *precationes in honorem Apostolorum celebratas fuisse, eamque ædem in honorem, ac memoriam Apostolici collegii fuisse erectam, & consecratam*.

423. Obj. primo. S. Joannes Apostolus Apocal. XIX. 10. cum cecidisset ante pedes Angeli, *ut adoraret eum*, Angelicus hoc illi prohibuit dicens: *Vide ne feceris, conservus tuus sum .. Deum adora*. Et cum denuo tentasset Joannes se ad Angeli pedes provolvere; iterum hoc illi Angelus vetuit, eamdem verba repetens c. XXII. 9. (a).

424. Resp. primo S. August. Lib. I. *Quæst. in Pentateuchum* qu. 72. T. III., *quod talis apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari; & ideo fuerat corrigendus adorator*. Vel si dicatur, Joannem nonnisi cultum divino inferiorem voluisse exhibere Angelo, respondet Bossuetus post S. Gregorium Magnum *Hom. VIII. in Evang.*, Angelum voluisse ab Apostolo, Evangelista, & Prophetа illum honorem recipere, quem Sancti veteris testamenti Angelis reddere consueverunt. Reipsa hanc rationem recusatæ adorationis Angelus reddit, dicens: *Conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu ... Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ*. Ut videlicet ostenderet, tantam esse Apostolatus dignitatem, ut Angelis æquiparari posset.

425. Obj. 2. verba Mardochæi Esther XIII. 12. seq. ita Deum alloquentis: *Sic, quia non pro superbia, & contumelia, & aliqua gloria cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum .... sed timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & quemquam adorarem, excepto Deo meo*: censebat ergo hic Sanctus vir, nemini licere alios adorare quocumque cultu præter Deum; neque enim putandum est, Amanum, utut superbissimum, divinos sibi honores a Mardochæo exegisse.

426. Resp., aliquorum opinionem esse, Amanum superbia inflatum divinos plane honores, vel divinis similes ambiisse: adeoque recte Mardochæum timuisse, ne honorem soli Deo debitum transferret ad hominem. Alii Rabbinorum traditione freti, putant Amanum effigiem idoli vestibus insculpatam gestasse; propterea merito Mardochæum ab eo honorando abstinuisse. Sed his opinionibus alia verisimilior videtur, quod Mardochæus illam religiosam adorationem noluerit Amanum vanissimo homini, & impio tribuere, quæ viris eximiæ pietatis tribui solet, & quæ propterea in Deum infertur, qui est omnium virtutum, & sanctitatis auctor, & donator: talis autem Amani adoratio in Deum referri nulla ratione poterat, adeoque vere dicebat; *Timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem*.

427. Obj. tertio ex N. T. Ut habetur in Act. Apost. X. 25. seq. eum Cornelius procidisset ad pedes S. Petri adorans, S. Petrus elevavit eum dicens: *Surge, & ego ipse homo sum*. Similiter Paulus, & Barnabas Lycaoniis volentibus eos sacrificiis honorare dicebant. *Viri: quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines*, Act. XIV. 14.

428. Resp. hujusmodi exempla non esse trahenda ad inficiandum Angelorum, Sanctorumque cum Christo regnantium cultum. Sancti enim in terra viventes ex humilitate poterant, atque debebant hujusmodi cultum recusare, ut majora sibi apud Deum inerita comparerent. Id de S. Petro testatur S. Jo. Chrysost. Hom. XXIII. in hunc locum, dicens: *Hoc faciens, humilitatem suam ostendit, & alios docuit*. Sed hæc humilitas in Angelis, & Beatis comprehensoribus locum non habet. Cultus autem, quem Lycaonii Apostolis deferre volebant, manifeste erat idololatricus, utpote in victimis, & sacrificiis consistens adeoque merito ab iis reprobatus. Vid. S. Thomas 2. 2. q. 84. art. 1.

429. Obj. quarto verba Jesu Christi apud Matth. IV. 10.: *Vade Satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*.

430. Resp., hoc loco sermonem esse de illo cultu supremo, & perfecto, quem nos cultum *latreuticum* appellamus; & quem certe nefas est alicui creaturæ tribuere; hæc enim servitus perfecta soli Deo creatori, & Domino nostro debetur. Id tamen non excludit alium cultum ordinis multo inferioris, quo Angelos, & Beatos, amicos, & servos Dei veneramur, & colimus, qui tandem ad ipsum Deum refertur. *Devotio*, inquit Angelicus 2. 2. qnæst. 82. art. 2. ad 3., *quæ habetur ad San-*

(a) Hoc maxime loco Apocal. triumphum agit Jo. Dallæus Calvinista in *Disp. adversus Latinorum de religiosi cultus objecto traditionem*. Genevæ an. 1665. in 3. edita Lib. III. c. 32. Quæ disputatio magno in pretio non solum a suis gregalibus, sed etiam a Lutheranis Hagiomachis habetur, quamquam omnino immerito; nihil enim Dallæus, quod a Catholicis Sanctorum cultoribus facile disquunctum non fuerit.

Sanctos Dei mortuos, vel vivos, non terminatur ad ipsos, sed transit in Deum inquantum scilicet in Ministris Dei Deum veneramur.

431. Hinc facile intelliguntur, & simul conciliantur quædam Sanctorum Patrum loquendi formulæ, quibus non tantummodo exprimunt cum sacris litteris Deum solum adorandum, eique uni serviendum, sed præterea hunc esse veræ religionis characterem, quod a Gentium superstitione distinguitur, nempe uni summo Deo servire. Facile inquam hæc conciliantur cum eo Sanctorum cultu, cujus perpetua praxis in Ecclesia fuit, & quo ipsi etiam veteres Patres, dum viverent, Sanctos jam regnantes in cœlis, & potissimum gloriosos Martyres venerati sunt; sed ita ut soli Deo verus, supremus, & proprie dictus latriæ cultus exhibeatur; cui etiam soli sacrosanctum Missæ sacrificium offertur, aliis autem Sanctis, & Amicis Dei, & præcipue Sanctissimæ Dei genitrici Mariæ cultus quidem religiosus offeratur, sed ordinis longe inferioris, quem *duliæ*, vel *hyperdulicæ* nominamus, & qui tandem ad gloriam Dei dirigitur, *cui soli honor, & gloria*.

432. Sed ad tollendas quorumdam subtiles vitilitigationes illud observari, debet, cultum Angelis, & Sanctis exhibitum vocari *religiosum*, non quasi immediate eliciatur a virtute religionis, cujus objectum immediatum est cultus Dei; sed dici *religiosum*, quia fit intuitu religionis. Atque hoc eodem sensu S. Jacobus Apostolus c. 1. 27. ait: *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est: visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum* &c. (a).

433. Obj. quinto obscurum, & difficilem illum textum Apostoli Pauli ad Coloss. II. 18.: *Nemo vos seducat in humilitate, & religione Angelorum*; ubi quamvis Dallæus concedat, sermonem esse de vanis quibusdam superstitionibus, quas aliqui seductores invehere conabantur in Colossensium Ecclesiam, acute tamen cavillatur observans, Apostolum non distinxisse verum Angelorum cultum a superstitioso, sed omnem prorsus cultum rejecisse.

434. Præterea Theodoretus ita hunc locum commentatur: „ Qui Legem defendebant, illi etiam „ ad Angelos colendos indicabant, dicentes, Le„ gem fuisse per eos datam. Mansit autem per„ diu hoc vitium in Phrygia, & Pisidia. Pront„ de Synodus, quæ convenit apud Laodiceam „ Phrygiæ lege prohibuit, ne percarentur Ange„ los. “

435. Resp., obviam, & naturalem Paulini illius loci intelligentiam hanc esse, ut superstitiosus ille cultus amoveretur, quem quidam Philosophi, præcipue Platonici, Angelis deferebant, & quos primi Hæretici, ut Simon Magus, Menander, Cerinthus, secuti fuerant, colentes Angelos, ut primarios nostros apud Deum mediatores. Hanc Platonis de Angelis sententiam refert S. August. ex Apulegio lib. VIII. *De Civ. Dei* c. 18., ejusdemque abnsum detestatur S. Jo. Chrisostomus Hom. VII. in illam epist., inquiens: *Sunt quidam, qui dicunt, non oportere per Christum adduci, sed per Angelos. Illud enim est majus, quam ut id passimus assequi*. Quamobrem verba Apostoli: *Nemo vos seducat in humilitate & religione Angelorum* idem videntur sonare, ac *Nemo vos a vera Christi mediatione seducat, trahens ad superstitiosam Angelorum religionem*. Non erat autem necesse, ut S. Apostolus, dum præcipiebat, cavendum a superstitiosa Angelorum religione, Fideles moneret, se alium licitum, & utilem cœlestium illorum Spirituum cultum permittere; de quo nulla tunc erat suborta difficultas.

436. Atque hunc eumdem sensum præsefert Commentarius Theodoreti, ut patet ex subsequentibus verbis: *Illi ergo humilitate ducti* (nempe affectato humilitatis pretextu) *dicebant, universorum Deum nec cerni, nec attingi posse: ac propterea oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare* (b).

437. Nec alia fuit Patrum Laodicenorum mens in

(a) Ipsi sapientiores inter Protestantes viderunt; & confessi sunt, inutiles esse, otiosasque tricas quæ de hac appellatione *cultus religiosi* ab aliquibus cavillosis hominibus excitatæ sunt. Hugo Grotius in *Animadvers. contra Rivetum* recte observat appellationem cultus religiosi esse ambiguam. *Nam*, inquit, *& religiosus est honos, qui soli Deo defertur; & religiosus est, qui ob Deum defertur Angelis, et Apostolis. Neque enim si honos ad communem, civilemque vitam pertinet. Et* Guillelmus Amesius in Tom. II. *Bellarmini enervati* Lib. VI. cap. 5. §. 33. *Honorandæ*, inquit, *sunt creaturæ Dei ex religione erga Deum, non religione erga ipsas. Religio, ut Scholastici loquuntur, imperat, non elicit, istum honorem.* Non est ergo, cur alii heterodoxi de his vocibus conquerantur.

(b) Hæc communis est hujus loci interpretatio, quo perperam Hagiomachi abutuntur contra Angelorum, atque Sanctorum cultum. Quamquam postea haud facile sit illos Seductores nominare, quos Apostolus damtaxat infligitat. S. Hieronymus in quæst. X. ep. CXXI. ad Algasiam putavit fuisse Judæos, qui victimas non Deo, sed Angelis refugis, & immundis spiritibus offerebant. Quæ S. Doctoris opinio quamquam doctissimo Cardinali Perronio L. V. *Reipublicæ* c. 6. probata fuerit, tamen Guill. Estio, aliisque improbabilis visa est, quia Judæi nec a Christo, nec ab Apostolis damidololatria repreliensi leguntur. Alii interpretes putant, fuisse ab Apostolo judicatos hæreticos Cerinthianos, qui de Christo adeo humiliter sentiebant, ut ipsi tamquam nudo homini Angelos præponerent. Alii contra, Christum Angelis multo excellentiorem esse confitentes, ejus majestate indignum exstimabant, ut ipse esset noster apud Deum deprecator. Quamobrem Angelos ut nostros mediatores Christo deserto, colendos esse dicebant. Sed de hac re dignus est, qui legatur eruditissimus Dominicus Castus Innocens Ansaldi in suo Commentario *De Theurgiciis Ethnicorum Mysteriis* i.

in Concilio celebrato Sæc. IV., ubi definierunt Can. 35.: *Non oportet, Christianos derelicta Ecclesia abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ Congregationes facere. Quicumque autem inventus fuerit occultæ huic idololatriæ vacans, anathema sit; quoniam relinquens Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, accessit ad idola:* ubi cœcus est, qui non videat, malorum Angelorum idololatricum cultum, vel etiam superstitiosum cultum bonorum Angelorum prohiberi, non autem legitimum, & verum, qualem tam veteris, quam novi fœderis Ecclesia probavit. Quod etiam adnotavit Espenius in *Tract. Hist. Can.* P. 2. c. 1. §. 12.

438. Obj. ult., ex S. Augustino, qui Quæst. XCIV. in Exodum T. 3. *Dulia*, inquit, *debetur Deo, tamquam Domino, latria vero nonnisi Deo, tamquam Deo.* Et lib. 22. de *Civit. Dei* c. 10. Tom. 7. ostendimus discrimen nostræ religionis a superstitione paganorum, *Illi*, inquit, *diis suis & templa ædificaverunt, & statuerunt aras, & Sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt: nos autem Martyribus nostris non templa, sicut dius, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo, & Martyrum, & nostro &c.* Ubi etiam addit, Martyres quidem in sacrificio *nominari, non tamen a Sacerdote, qui sacrificat, invocari.*

439. Resp., hanc ipsam vocem *dulæ* posse in sensu aut strictiore, aut latiore usurpari. Servitus perfecta, & omnimoda non debetur nisi Deo rerum omnium supremo Domino. Sanctis autem tribuitur servitus inferioris ordinis; sicuti etiam tribui potest hominibus, ut ait Apostolus ad Gal. V. 13. *Per charitatem Spiritus servite* (δουλευετε) *invicem.*

440. In alio loco S. Pater Martyribus denegat supremum illum cultum, qui per sacrificium Altaris soli Deo offertur; non autem, cultum religiosum ordinis inferioris, quem Sanctis tribuendum, nullibi negavit; immo tribuendum apertissime asserit lib. 22. contra Faustum cap. 21. inquiens: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuveur* (a).

Quæres, utrum Reliquiæ Sanctorum sint adorandæ?

44. Resp. S. Thomas 3. P. qu. 25. art. 6. affirmative cum S. Augustino, qui Lib. 1. *de Civ. Dei* cap. 13. Tomo VII. probat, non esse contemnenda, & abjicienda corpora defunctorum, *maxime justorum*, atque fidelium, quibus tamquam organis, & vasis, ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. „ Si enim paterna vestis, & „ annulus, ac si quid hujusmodi, tanto carius est „ posteris, quanto erga parentes est major affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, „ quæ utique multo familiaria, atque conjunctius, quam quælibet indumenta, gestamus. " Ex quibus verbis ita colligit Angelicus: *Manifestum, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tamquam membra Christi, Dei Filios, & amicos, & nostros intercessores: igitur & eorum reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipue eorum corpora quæ fuerunt templa, & organa Spiritus sancti in eis habitantis & operantis, & sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Unde & ipse Deus hujusmodi reliquias convenienter honorat, in earum præsentia miracula faciendo* (b).

442. Sed hoc argumentum solita sua dicendi vi tractavit S. Hieronymus in Libro contra Vigilantium, qui primus fortasse sacrarum Reliquiarum cultum, & veneretionem contemnere ausus est, orthodoxos irridens tamquam idololatras, & *cineratios*, eo quod Martyrum cineres *adorarent*. Ita vero S. Hieron. reponebat: *Quis enim, o insanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Quibus verbis divinum latriæ cultum Sanctis, eorumque reliquiis denegat; sed postea religiosum aliquem honorem ipsis exhibitum confirmans, ita pergit: *Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantius Imperator I., qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est, & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi, non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in seriea, & vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, & tanta lætitia quasi præsentem, venientemque Prophetam cernerent, susceperunt: unde Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laudes una voce resonarent?* Ita S. Hieronymus communiuen in Ec-

(a) Singervacanenses est templa recensere, quæ in Martyrum, ac Sanctorum honorem a primis usque temporibus, quibus liberiate usa est Ecclesia, ædificata. Quæ tamen proprie Deo dicata erant, utpote cui soli summus honor, & gloria debetur, sed in honorem Sanctorum, ut iis etiam obsequium, veneratio, & religiosus cultus exhiberetur.

(b) Longum nimis faceremus, enarrando miracula, quæ ad confirmandum sacrarum Reliquiarum cultum operari dignatus est. Multa commemorat S. Augustinus, & insignia edita Mediolani in translatione Reliquiarum S. Stephani lib. XXII. *De Civ. Dei* cap. 8., & alia de reliquiis SS. Gervasii, & Protasii ib. & Lib. IX. *Confessionum* c. 7, Vide, quæ a nobis dicta sunt Tomo I.

Ecclesia usum, Sanctos, eorumque reliquias venerandi commendat, & contra Vigilantium vindicat; ita tamen ut neget, nos cultu *latriæ* soli Deo debito Sanctos, eorumque reliquias adorare. Unde etiam in epist. CIX. ad Riparium: *Honoramus*, inquiebat, *reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus: Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.*

PROPOSITIO II.

Licita, & utilis est invocatio Sanctorum, ut ad Deum pro nobis intercedant.

443. Et quidem Angelos, & Sanctos pro nobis ad Deum fundere preces, non uno loco Scripturæ tradunt; ut quando dicitur lib. 2. Machab. c. XV. de Jeremia: *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & universa civitate.* Et quamvis non negaverim, id dictum esse in somnio, & in visione, inde tamen saltem probatur, hanc fuisse communem apud Judæos, certamque sententiam, Sanctos in cœlis pro nobis orare. Enim S. Petrus in sua epist. 2. c. 1. 15. se post obitum suum oraturum pro fidelibus spopondit, inquiens: *Dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Et Joan. in Apoc. V. 8. vidit quatuor animalia, & 24. seniores *habentes citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Si autem Angeli, & Sancti in cœlis orant pro nobis, ecour nobis non licebit eos in nostris necessitatibus invocare? Sed quoniam hanc consequentiam Adversariorum plerique non admittunt, aliis argumentis demonstranda est (*a*).

444. Prob. primo ex sacris litteris vet. testamenti. Gen. XLVIII. 16. Jacob benedicens filiis Joseph ita precatus est: *Angelus, qui erut me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, & nomina quoque Patrum meorum Abraham, & Isaac.* Non potest quæri disertior invocatio Angelorum, & Sanctorum. Addi possunt & ea verba, quæ frequentissime occurrunt in veteri Testamento, quibus Deus orabatur, ut propter merita defunctorum Patriarcharum aliqua beneficia concederet. Sic trés pueri Hebræi Dan. 3. 25. *Neque auferas*, dicebant Deo, *misericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum.* Joannes demum Apocal. I. 4. ita septem Asiæ Ecclesiis bene precabatur: *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est; & a septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.*

445. Prob. ulterius nostra assertio constanti Ecclesiæ traditione, cujus testes locupletissimi sunt S. Cyprianus, qui in Lib. *de mortalitate* de Beatis loqueus: *Frequens*, inquit, *nos illic turba desideret, de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita.*

446. S. Basilius, qui Hom. de XL. Martyribus ita populum hortabatur: *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat; qui mœstus lætatur, hos oret.*

447. Sanctus Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi V. *Cum hoc sacrificium offerimus*, inquit, *faciv-mus*

(*a*) Non pauci, nec ignobiles hac orthodoxi Theologi nimia evidentia convicti fateri coacti sunt, apud Deum pro Ecclesia orare, & solum negant, eos esse invocandos. Calvinus ipse in resp. ad Jac. Sadoletum *In asserenda*, inquit, *Sanctorum intercessione, si hoc tantum intendit, nos assiduis votis expetere regni Christi complementum, in quo solus omnium fidelium continetur, nemo est nostrorum, qui aliquam de ea re controversiam faciat.* Eorumdem tam-n Sanctorum invocationem passim inficiatur. Etiam Joann. Franc. Bullenus Lutheranus in suis *Instit. Theolog. Dogmat.* Lib. II. c. 3. §. 20. post allata hæc Urbani Rhegii verba: *Honorare Sanctos debemus, sicut vetus Ecclesia eos honoravit*, ita subdit: „ Ut vero eos adoremus, aut „ invocemus, cultuque adeo religioso prosequamur, „ inepto religioni nobis ducimus, cum hunc honorem „ solus sibi Deus vindicet. *Dominum Deum tuum adorabis*, inquit Servator ipse, *& illi soli servies.* In „ quamcumque autem hic se versant partem Romanenses, quibuscumque etiam utantur distinctionibus, si „ recipiam, & praxi ipsa plurimorum confirmatam „ Ecclesiæ istius doctrinam sprevimus, ab idolatriæ „ crimine se liberare nequeunt. “ Ita ex suo tripode Lutheranus iste, magis in philologica eruditione, quam in solida Theologia versatus.

Sed alter Lutheranus, Jo. Molanus, Abbas de Lutum in suis *Cogitationibus privatis de Methodo reunionis Ecclesiæ Protestantium cum Ecclesia Romano-Catholica* contentus erat, si nos protestemur, „ omnes „ & singulas ad Sanctos directas preces, quibuscumque „ ipse etiam verbis, aut formulis sint concepiæ, non „ aliter intelligere, quam *intercessionaliter*; utquando dicimus: *Sancta Maria libera me in hora mortis*, „ sensus sit: *Sancta Maria intercede pro me apud Fi-* „ *lium tuum, ut in hora mortis me liberet.* “ Illi autem respondebat Bossuetus Meldensis Episcopus de hac exquisita, & tunc inale separata concordia agens. *Non invocamus eos* (Sanctos) *ut bonorum auctores, & datores. Absit. Sed ut amicos Dei, ac propinquos nostros invitamus, ut nobis apud communem parentem per communem Mediatorem præbeant fraternæ, ac pia deprecationis auxilium, quod bonum, & utile Synodus Tridentina præcipit, neque quidquam amplius.* Quibus verbis doctissimus ille Episcopus retudit insignem illam calumniam *Apologiæ* Confessionis Augustanæ, ubi art. 21. dicitur de Catholicis: *Fuerunt ex Sanctis mediatores redemptionis. Fingunt Christum duriorem esse, & Sanctos placabiliores; & magis confidunt misericordiæ Sanctorum, quam misericordiæ Christi, & fugientes Christum, quærunt Sanctos.* Vah putidissima mendacia, quibus solis potuerunt Hagiomachi invocationis Sanctorum Catholicum dogma odiosum populis imperitis reddere!

mus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras.

448. Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 8. (quæ nunc est XXIV.) de laudibus S. Cypriani num. 9. & seq. historiam narrat Sanctæ Justinæ, quæ in magno periculo virginitatem perdendi *Virginem Mariam supplex obsecrans*, victrix e certamine discessit. In fine autem ejusdem Orationis ita S. Martyrem alloquitur: *At ut nos e cælo benignius aspicias, sermonesque nostros, & viam gubernes &c.*

449. Asterius Episcopus Amaseæ in Ponto Hom. in Sanct. Martyres: *Non est locus ullus*, inquit, *quo non eorum memoria habetur. Ubique terrarum, & mari decantantur Martyres.*

450. S. Joannes Chrysostomus Hom. XLV. de S. Meletio, & alibi; tum S. Gregorius Nyssenus Orat. de S. Theodoro, aliique Patres Græci sæpissime in suis Orationibus Sanctorum preces apud Deum implorarunt; atque hujusmodi invocationibus pleni sunt Græcorum Libri liturgici, ut operæ dispendium sit plura ad hanc veritatem demonstrandam afferre.

451. Ex latinis Patribus Sanctorum invocationem commemorat S. Ambrosius in Lib. *de Viduis*, ubi inquit: *Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis in præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi &c.*

452. Sanctus Augustinus Lib. VII. *de Baptismo contra Donatistas* cap. 1. Tom. IX. S. Cyprianum his verbis orabat: *Adjuvet nos orationibus suis in istius carnis mortalitate, tamquam in caliginosa nube laborantes, ut donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur.* Et in Serm. XLIX. alias XVII. *de Verbis Apostoli* Tomo V. testatur in *ecclesiastica disciplina* non consuevisse orari pro Martyribus: quia *injuria est pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare.*

453. Demum S. Hieronymus Vigilantium dicentem, *quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio*, ita in Libro contra ipsum refutat: *Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos (a)?*

454. Ex his solis testimoniis veterum Patrum, quæ allata sunt, cum multo plura afferri potuissent, luce meridiana clarius apparet, IV. Ecclesiæ sæculo communem in tota Ecclesia fuisse cultum, & invocationem Sanctorum. Quis autem sibi persuadebat, tantam paucorum annorum intervallo factam fuisse, aut fieri potuisse rerum mutationem; ut quod Sæculo III. non solum inusitatum erat, sed etiam veritum censebatur, scilicet Sanctos colere, & invocare, Sæcul. IV. non solum ut licitum, sed etiam ut valde utile ubique apud Christianos, nemine reclamante obtineret? Quomodo Patres, & fideles sæculi IV. a doctrina, quam hauserant Sæculo III. statim descivrunt, & contrariam, non clam, vel in angulo, sed palam, ac in publicis templis, & ore, & opere professi sunt? Hæc universalis sæculi IV. praxis argumentum nobis præbet invictum, etiam sæculis præcedentibus adorationem, & invocationem Sanctorum licitam, atque utilem fuisse habitam; quamquam propter monumentorum ejus ævi inopiam certa, & clara hujus rei documenta proferri non possint. Sed hoc satis superque est, quod hæc Sanctorum veneratio, & invocatio communis fuerit Sæculi IV. ut concludamus, eam etiam sæculis præcedentibus viguisse; cum nemo usque ad Vigilantium, & Faustum Manichæum inventus fuerit, qui illi ut novæ, atque illicitæ refragetur.

455. Hanc regulam cognoscendi veterum priorum sæculorum Ecclesiæ traditionem ex Patribus posterioribus, qui id docuerunt, quod ab aliis vetustioribus didicerant, utpote firmissimam, & inconcussam, adhibuerunt etiam Concilia œcumenica, Ephesinum, Chalcedonense, & subsequentia, in quibus ad definienda fidei dogmata satis esse putatum est auctoritatem Patrum tertii, vel quarti sæculi, cum primi & secundi testimonia deessent. Sic etiam egit Augustinus contra Pelagianos, aliique Patres, qui hæreses suo tempore exortas vel ex eo solo condemnandas esse censuerunt, quod doctrinæ Patrum superiorum contrariæ essent. (b).

456.

(a) Joann. Dallæus non videtur multum sollicitus de Patribus latinis; & propterea hac fortasse de causa suum librum *De cultus religiosi objecto* inscripsit *contra Latinorum traditionem*, quasi scilicet hujusmodi traditio in Ecclesia Orientali minime vigerit. Quamvis postea sibi parum cohærens, cum non posset tam aperta Patrum græcorum, præcipue antem Sancti Gregorii Nazianzeni, testimonia aliqua ratione explicare, eo tandem se recepit, ut diceret, Sanctorum cultum, & invocationem fuisse quemdam IV. Sæculi *morbum, & cæcam in Divos superstitionem quam hic ipse Gregorius non parum promovisse suis & verbis & exemplis videtur.* Et quamvis irrito labore contendat, hujus *morbi*, & *superstitionis* nullum haberi in primis tribus Sæculis vestigium, negare tamen potuit, hunc *morbum*, & hanc *superstitionem*; ut illè procaciter loquitur, post IV. Sæcul. semper in Ecclesia Dei viguisse, & adhuc vigere, tamquam devotionem non solum licitam, sed admodum *utilem*, exceptis paucis, qui post illa tetterrima Lutheri, & Calvini tempora, non solum ab Ecclesia militante in terris, sed etiam ab eadem gloriosa, & regnante in cœlis lustrioso achismate divisi sunt.

(b) Hæc selecta Sanctorum Patrum testimonia Tyronibus sufficere possunt. Plura cupientibus abunde satisfaciet copiosissimus D. Abbas Jo. Chrysostomus Trenchellius Congregationis Canonicorum Regularium Rhenanæ illustre decus, qui hanc de cultu Sanctorum materiam quinque volum. in 4. ita complexus est, ut nihil desiderandum reliquerit; tum eruditissimus ejusdem

456. Obj. primo. Sancti non sunt objectum nostræ fidei: ergo nec possunt esse objectum nostræ invocationis; dicente Apostolo Roman. X. 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?*

457. Resp. primo, male Adversarios abuti verbis Apostoli, qui loquitur de fide in Jesum Christum, quæ sine dubio ejus invocationem præcedere debet, ut inde erudiri, Sanctos invocari non posse, nisi & ipsi sint nostræ fidei objectum. Christus enim est a nobis invocandus, ut noster Redemptor, & Mediator, quod ad fidei nostræ objectum immediate pertinet, ejusque invocatio non solum licita, & utilis, sed omnino præcepta est. Sanctorum autem invocatio licita quidem, & utilis est, non tamen ab Ecclesia præcepta. Insuper eam aliquo modo etiam ad fidem pertinere putavit S. Hieronymus explicans ea verba Pauli ad Philemonem vers. 4. seq. *Gratias ago Deo meo ... audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jesu, & in omnes Sanctos.* Ea enim vult eo modo esse intelligenda, ac illa Exodi XIV. 31. *Crediderunt Domino, & Moysi servo ejus;* ut una, eademque credulitas referretur in Moysem, & in Deum; & similiter de Sanctis, *ut quicumque credit Deo, aliter ejus fidem recipere non queat, nisi credat & in Sanctos ejus.* Et certe credere unusquisque tenetur, *bonum, atque utile esse suppliciter eos* (Sanctos) *invocare;* a Concilio Tridentino Sess. XXV. definitum fuit.

458. Inst. primo. Hæc Concilii Tridentini definitio opponitur celebri illi Pauli Apostoli sententiæ 1. ad Timoth. II. 5. *Unus Deus, unus, & Mediator Dei; & hominum homo Christus Jesus.* Ex quo loco non cessant Adversarii clamare, a nobis injuriam Servatori nostro maximam irrogari, dum Sanctos veneramur, ut alios nostros apud Deum mediatores; ut non amplius unus sit Mediator noster; cum aliorum Mediatorum turba infinita invito Apostolo invecta fuerit.

459. Id improbabat olim etiam S. Augustinus, qui Lib. II. contra Parmenianum cap. 8. Tom. 9. expendens laudata Apostoli verba, *Si esset,* inquit, *mediator Paulus, essent utique & ceteri Apostoli ejus, ac sic multi mediatores essent; nec ipsius Pauli constaret ratio, qua dixerat: Unus Deus, unus & Mediator Dei, & hominum.*

460. Resp. cum S. Thoma 3. P. q. 26. art. 1. solum Christum esse *perfectum* Dei, & hominum Mediatorem, qui per suam mortem humanum genus Deo reconciliavit; sed nihil prohibere, ut aliqui alii *secundum quid* dicantur Mediatores inter Deum, & homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominum cum Deo *dispositive*, vel *ministerialiter*. Sancti igitur suo modo dici possunt Mediatores nostri, offerendo Deo pro nobis merita, quæ ex Christi gratia, & mediatione sibi compararunt.

461. Nec alia fuit S. Augustini mens in loco objecto. Ibi enim confutabat Donatistas docentes orationum, atque etiam Sacramentorum efficaciam a Ministrorum sanctitate pendere, qui Mediatores sunt inter populum, & Deum. Hunc illorum errorem multismodis convellit, & etiam hac ratione, quia Christus ipse *unus, verusque Mediator est.* Unde superius dixerat num. 15., etiamsi malus esset Episcopus, non ideo tamen populos sollicitos esse debere; *securos enim illos facit Scriptura, quæ ait ... Si quis peccaverit, advocatum habemus ad Patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quæ ratio probat quidem, Jesum Christum esse naturæ, & officio nostrum Mediatorem; non autem Sanctos in cœlis non posse suo modo pro nobis intercedere.

462. Tantum vero abest, ut illorum invocatio aliquam Jesu Christo injuriam irroget, ut potius infinita ejusdem Mediatoris uostri merita magis ostendat, quæ etiam in aliis Sanctos, tamquam a capite in membra derivantur. Sane, ut ibidem Sanct. Doctor animadvertit, *homines omnes invicem se commendant orationibus suis;* quem usum Protestantes in Catholica Ecclesia edocti etiam post schisma retinuerunt; quin tamen propterea verearitur, se aliquid de Christi meritis detrahere: cur autem id timent, quando invocantur Sancti, servi Dei, amici Dei, filii Dei; & quidem semper per merita Jesu Christi? Unde Ecclesia omnes suas orationes absolvit, ad Christum nostrum unum perfectum Mediatorem confugiendo: *per Dominum nostrum Jesum Christum &c.*

463. Neque inutile fuerit ad præcavendas Heterodoxorum cavillationes doctrinam Concilii Tridentini afferre Sess. XXII. cap. 3., ubi de Missis in honorem Sanctorum ita statuitur: *Et quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet: offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* Has authenticas nostræ doctrinæ expositiones si attenderent Protestantes, non amplius veterem prædecessorum suorum cantilenam repeterent, nos pretium Sanguinis Christi extenuare, ipsius mediationem evacuare, & idololatricum cultum revocare.

464. Inst. secundo. Idem Sanctus Augustinus laud. loco hæc verba addit.: *Pro quo nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus, verusque Me-*

Congregationis Canonicus, qui sub adsoititio Philalethis Aphobi nomine priorum quatuor Dissertationum vindicias egit adversus Joann. Rudolphi Kieslingii *exercitationes Anti-Trombellianas*.

Mediator est. Si ergo Sancti, ut nos putamus, pro omnibus interpellant, & nullus pro ipsis, & illi erunt veri nostri Mediatores, quod sine injuria Christi dici non potest.

465. Resp. Sanctos esse uno modo nostros Mediatores, ut dictum est, non autem veros, & proprios. Et quamquam nunc nullus interpellet pro ipsis; tamen dum viverent, & ipsi suos interpellatores habuerunt, unde generalis illa sententia S. Augustini iis adaptari non potest.

466. Inst. tertio. Sancti non audiunt preces nostras, nec eas cognoscere possunt. Ecclesiastes enim IX. 5. dicitur: *Mortui nihil noverunt amplius*. Hinc Sanctus Gregorius Nazianzenus in Orat. pro Sancta Gorgonia sorore sua ita dubitanter eam alloquebatur: *Si tibi aliqua nostri sermonis est ratio, & hoc sanctis animis a Deo est munus; ut talia sentiant, suscipe hanc nostram orationem multorum epitaphiorum loco*.

467. Resp. Quamquam Sancti a nobis distantes non possint per se ipsos nostras preces audire, nihil tamen prohibet, quin illas cognoscant vel per peculiarem revelationem ipsius Dei; vel, ut probabilius videtur, in Verbo divino, in quo certum est eos illa omnia videre, quæ ad ipsos pertinent. Sed quidquid de hoc sit, cum Deus voluerit, Sanctos a nobis coli, & invocari, etiam certe voluit, ad eorum cognitionem ea omnia pervenire, quæ ad nobis eorum affectum, & patrocinium conciliandum agimus; quocumque tandem modo id fiat; de qua re supervacaneum est sollicitius inquirere.

468. Aliqui Theologi una cum Hugone a S. Victore huic argumento, quod permagni faciunt Protestantes, respondent, Deum nostras invocationes Sanctorum audire, ac eorumdem Sanctorum meritis moveri ad beneficia, quæ optamus, conferenda. *Quid labores investigare*, inquit laud. Hugo Victorinus, *quid audiant, & quantum audiant Sancti, quos oras: cum ipse Deus audiat, propter quem oras?* Hinc illa Ecclesiæ oratio ad omnes Sanctos: *Tribue quæsumus, Domine, omnes Sanctos tuos jugiter pro nobis orare; & eos clementer exaudire digneris, per Christum Dominum nostrum* (a).

469. Ad Sancti Gregorii auctoritatem resp. particulam illam *si* non esse dubitativam, sed potius confirmativam, quo sensu haud raro tam a Scriptoribus Sacris, quam a profanis eam usurpatam legimus; ut cum Apostolus 2. ad Thessalon. I. 6. inquit: *Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant?* ubi particula *si* idem significat ac *quandoquidem justum est* &c. Ceterum Sanctus Gregorius in Orat. XXIV. de S. Athanasio ita sine dubitatione pronunciat: *Ab alto, recte novit, res inspicit nostras*.

470. Obj. secundo. Origenes Lib. V. contra Celsum n. 5. Tom. I. *Verum Angelos*, inquit ... *a nobis invocari, recta ratio non patitur ... Ut Angeli nobis propitii sint, nostrique gratia omnia faciant, satis est, si quantum per humanæ naturæ vires licet, erga Deum ita simus affecti, ac illi*, & quæ sequuntur. Si autem Angelos, quibus nostrum custodia commissa est, invocare non licet, multo minus licebit invocare Sanctos.

471. Respondet Pet. Dan. Huetius in *Origenianis* lib. 2. q. V. §. 56., variam, & parum constantem fuisse Origenis de Angelorum invocatione loquendi rationem; omnibus tamen perpensis videri, eum dumtaxat voluisse, non eo modo esse invocandos Angelos, quo invocatur Jesus Christus noster summus apud Deum Mediator; ut proinde non ipsam Angelorum invocationem, sed solummodo invocationis modum condemnet. Libro enim VIII. *contra Celsum* n. 13. Celso objicienti, *quod non Deum solum, sed etiam ejus ministros colendos esse sentiamus*, ita respondet: „ Si intellexisset, quinam sint post Dei Unigeni„ tum vere Ministri Dei, ut Gabriel, Michael, „ & alii Angeli, atque Archangeli, & eos colen„ dos esse dixisset, fortasse repugnatis, cum si„ gnificatione illius *vocis colere*, tum ejus, qui „ colit, officiis, hoc loco pro rei momento attu„ lissem ea, quæ de hoc argumento assequi in„ tellectu potui &c. " Hujus testimonii vim Dallæus, ejusque Symunistæ frustra elevare conantur, quasi Origenes ibi de cultu tantum civili, non autem de religioso locutus fuerit. Frustra inquam; de cultu enim loquitur, qui dæmonibus ab idololatris exhibebatur, utique religioso, seu potius superstitioso, quem repugnari volebat.

472. Alios etiam Origenis locos in promptu est ex ipsius Hom. I. in Ezech. n. 7., ubi ita Angelum tutelarem invocat: *Veni, Angele, suscipe sermonem conversum ab errore pristino, a doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente* &c. Quem locum sibi omnino adversum esse Heterodoxi sentientes ut spurium rejicere conati sunt, quia græca illius Homiliæ exemplaria desunt. Sed cum versio latina sit Hieronymi, non si-

(a) Quamquam ego certum judico, Sanctos in Verbo omnia nostra videre, quæ ad ipsos pertinent; quæ sententia est etiam Sancti Gregorii Papæ Lib. XII. *Moralium* cap. 14., eam tamen ad fidem pertinere non dico. Exiat enim judicium Academiæ Duclensis de 12. Maji 1635., quæ rogata, „ utrum sit credendum fide „ Catholica, Sanctis innotescere omnes preces nostras „ ad eos directas; aut rursum hoc ipsum sit absolute „ necessarium ad fidem, & praxim invocationis San„ctorum, ut sit salutaris? " Respondit *negative*. Idem post Magistrum sententiarum docuerunt duo illustres Patres, & Episcopi Petrus, & Adrianus de Wallemburch T. II. Controv. Lib. XII. Tract. IV. cap. 17.; & Franc. Veronius in *Regula Fidei Catholicæ* §. 9. Jac. autem Ben. Bossuetus in *Exposit. Doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ* §. 4. observat, nihil ab Ecclesia fuisse definitum de modo, quo Sanctis nostræ preces innotescant.

sine temeritate illorum verborum fides in dubium revocari potest; præcipue cum totus contextus, atque illius Homiliæ scopus mire cum allatis verbis conspirent; agebat enim ibi Origenes de tutelaribus Angelis; & alloquens Paganum conversum ad fidem: *Tu heri*, inquit, *sub dæmonio eras, hodie sub Angelo*. Sed de Origenis mente consulatur laudatus super Huetius.

473. Dices. Antiqua Ecclesiæ doctrina semper fuit, preces nostras ad Deum Patrem dirigere juxta formulam a Jesu Christo Domino nostro in Oratione Dominica præscriptam; ubi nulla est mentio invocationis Sanctorum. Unde S. Cyprianus in Tract. *De Oratione Domini: Aliter*, inquit, *orare, quam nos, Filius hic docuit, non ignorantiam solam esse, sed culpam:* non ergo Sancti invocandi sunt.

474. Resp. Si nulla esset hujus argumenti vis, nec Christum Jesum Mediatorem invocare liceret; cum ejusdem mentio in Oratione Dominica non fiat. Continet igitur illa oratio, omnium præstantissima, ea, de quibus Deum Patrem orare debemus; sed non excludit, quin ad ea ipsa obtinenda intercessionem Angelorum, atque Sanctorum, imprimis vero Domini Nostri Jesu Christi, adhibeamus, ut preces nostræ Deo Patri gratiores fiant.

475. Dices secundo. Patres sæpe nos monent, ut nostris orationibus, bonisque operibus studeamus Deum nobis propitium reddere; non autem aliorum patrocinio confidamus. S. Hieronymus explicans illa verba ad Gal. VI. 5. *Unusquisque onus suum portabit*, iis doceri inquit „ dum in „ præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive „ consiliis, invicem posse nos coadjuvari. Quum „ autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, „ non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, „ sed unumquemque portare onus suum." Et S. Hilarius in Comment. ad cap. XXVII. Matth. n. 5. ex parabola decem Virginum infert, *alienis operibus, ac meritis neminem adjuvandum, quia unicuique lampadi suæ emere oleum sit necesse.*

476. Resp., loqui hos S. Patres non de hac vita, in qua & ipsi docuerunt, Cælitum precibus, & patrocinio nos juvari, sed de alia vita post mortem, in qua certum est, nos nonnisi ex nostris bonis operibus esse judicandos, ac condigno præmio donandos. S. Hieronymus interprete non indiget, cum loquatur de tempore, cum *ante tribunal Christi venerimus*; & expresse dicat, *in præsenti sæculo nos posse orationibus aliorum adjuvari*. Pariter S. Hilarius parabolam Virginum prosequens subdit: *Et quia jam pœnitentiæ nullum est tempus, fatuæ occurrunt* &c. Ceterum orationes, & patrocinia Sanctorum non ad hoc nobis prosunt, ut desides simus, & inoperosi; sed ad hoc ut per bona opera satagamus certam nostram electionem facere; ex nostris autem operibus judicandi utique sumus; sed ad bona merita comparanda Sanctorum etiam precibus adjuvamur.

477. Ob. ultimo. In antiquis Liturgiis S. Jacobi, S. Marci, S. Jo. Chrysost., aliisque orationes inveniuntur pro Sanctis ipsis, immo & pro Beatissima Virgine Maria: igitur veteribus Christianis persuasum erat, Sanctis prodesse nostras orationes, non autem nobis orationes illorum.

478. Resp. In Sacrificio Missæ commemorationem fieri & Sanctorum, quos scimus gloriosos in cælis regnare, & aliorum defunctorum, de quorum sorte incerti sumus; sed diversa ratione. Primis gratulamur de cælesti premio jam consecuto, aliis autem precamur a Deo requiem, & beatitudinem. *Cum sacrificia*, inquit S. Augustinus in Enchiridio cap. 110. *sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis omnibus defunctis offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde bonis propitiationes sunt*. Atque eodem S. Augustino teste Serm. CXLIX. *de Verbis Apostoli*, antiqua Ecclesia Martyrum, de quorum corona jam certa erat, non *propitiatoriam*, sed *eucharisticam*, & *gratulatoriam* faciebat mentionem: *injuria est enim*, inquit S. Pater, *pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare*.

479. Sane in vetusta illa Liturgia, quæ Jacobo adscripta fuit, ita habetur: *Sanctissimæ, inviolatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ Dei genitricis, & semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, ac Justorum memoriam faciamus, ut precibus, ac intercessionibus ipsorum omnes misericordiam consequamur*. In Liturgia autem S. Jo. Chrysostomi: *In honorem, & memoriam superbenedictæ, & gloriosæ Dominæ nostræ Dei genitricis, & semper Virginis Mariæ, ejus intercessionibus suscipe Domine sacrificium hoc in supercœleste tuum Altare* (a).

Ca-

(a) Atque hæc de Sanctorum invocatione sufficere possunt. Ad tollendam nihilominus omnem calumniandi ansam ea subnectimus, quæ Catechismus Romanus habet P. IV. cap. 6. „ Confugimus ad auxilia Sanctorum, „ qui in cœlo sunt, quibus etiam preces esse faciendas ita certum est in Ecclesia Dei, ut piis nulla de „ eo dubitatio possit accidere ..... sed ut tollatur omnis „ error imperitorum, operæ pretium erit docere fidelem populum, quid intersit inter hanc invocandi rationem. Non enim eo modo Deum, & Sanctos imploramus: Nam precamur Deum, ut ipse vel bona „ det, vel liberet a malis; a Sanctis autem, quia „ gratiosi sunt apud Deum, petimus, ut nostri patrocinium suscipiant, ut nobis a Deo impetrent ea, „ quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi „ formulas, modo differentes, ad Deum enim proprie „ dicimus: *Miserere nobis. Audi nos*; ad Sanctum, „ *ora pro nobis*. Quamquam licet etiam alia quadam „ ratione petere a Sanctis ipsis, ut nostri misereantur; „ sunt enim maxime misericordes. Itaque precari possumus eos, ut conditionis nostræ miseria permoti, „ sua nos apud Deum gratia, ac deprecatione juvent.

CAPUT XIV.

De Cultu, & invocatione Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ.

480. Distinximus supra duplicem Sanctorum cultum, scilicet *duliæ*, & *hyperduliæ*; non quidem sensu grammatico, sed theologico, quatenus *hyperduliæ* nomine intelligitur *adoratio quædam præcipua, quæ uni Beatissimæ Virgini Mariæ exhibetur, propter eximiam excellentiam, quæ super omnes Sanctos illi competit*, & quam impio, sed irrito conatu Heterodoxi quidam illi eripere tentant; contra quos sit

PROPOSITIO.

Beatissimæ Mariæ Virgini debetur cultus specialis, qui a Theologis vocatur hyperduliæ.

481. Prob. primo ex Sanctis Patribus, qui Beatissimæ Virginis excellentiam magnificis verbis extollunt. Irenæus Lib. V. cap. 19. antithesim ponit, & longo sermone prosequitur inter Evam, *per quam adstrictum est morti genus humanum*, & Mariam, per cujus *obedientiam virginalem* solutum est. Hunc autem Irenæi locum S. Augustinus attulit ad astruendum peccatum originale Lib. I. contra Julianum c. 5. Atque eadem antithesi Tertullianus in Libro *de carne Christi* cap. 17., aliique postea usi sunt, ad Mariæ laudes celebrandas.

482. Multa de cultu, & invocatione Sanctissimæ Virginis habet S. Ephrem Syrus in Sermone de ejusdem laudibus, inquiens: *Sub tuum præsidium confugimus, o Sancta Dei genitrix. Sub alis pietatis atque misericordiæ tuæ protege, & custodi nos &c. &c.*

483. S. Epiphanius, qui idololatricam Mariæ adorationem in Hæreticis Collyridianis sæpius condemnavit (*a*); ceteris tamen Sanctis Mariam *longe anteponendam* dicit, *ob cœleste illud mysterium, quod in ejus utero perfectum est*. Et in præclara illa Oratione *de laudibus Mariæ* nihil præstermisit eorum, quæ ad ipsius præconium devota eloquentia illa suggerere potuit; quæque integra, si fieri posset, exscribenda foret.

484. Neque Græci in celebranda dignitate Mariæ cedunt Patres latini. S. Ambrosius Lib. II. *de Virginus* cap. 2. *Quid nobilius*, inquit, *Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? &c.*, ubi præceptas ejus virtutes breviter quidem, sed eleganter enumerat. Et S. Augustinus in Lib. *De sancta virginitate* c. 6. Tom. VI. Mariam appellat non solum matrem Dei, sed etiam matrem Christianorum, *quia cooperata est charitate, ut Fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius corporis membra sunt: corpore vero mater ipsius capitis*. Si autem sanctissima illa Virgo est nostra mater spiritualis, decet a nobis omni honorum genere colenda non erit, & in nostris necessitatibus invocanda?

485. Certatim postea Virgini sanctissimæ encomia texuerunt subsequentes Patres, Hildephonsus Toletanus Archiepiscopus, S. Petrus Damiani, S. Anselmus, ac præcipue illius devotissimus S. Bernardus, cujus illa præclara vox fuit in Serm. de ejus nativitate: *Totis ergo medullis cordium, totis præcordium affectibus, & votis omnibus Mariam venerare, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam*. Et Serm. II. in Festo Pentecostes ex verba Cantici Mariani, *Beatam me dicent omnes generationes*, hac paraphrasi illustrat: *Ex hoc Beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam, & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam inveniunt in æternum. Meritis in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quidquid creaverat, recreavit*.

486. Horum, aliorumque similium præconiorum ratio potissima fuit plenitudo gratiæ, quam Virgo a Deo præ ceteris Sanctis consecuta est: „ Quando enim, inquit Angelicus 3. P. qu. 25. „ art.

„ Quo loco illud maxime cavendum est omnibus, ne „ quod Dei proprium est, cuiquam præterea tribuant: „ immo vero cum ad imaginem Sancti alicujus qui „ Dominicam orationem pronunciat, ita tem sentiat, „ se ab illo petere, ut secum oret, sibique postulet, „ ea, quæ Dominicæ orationis formula continentur, & „ sui denique sit interpres, ac deprecator ad Deum, „ nam eos hoc fungi officio docuit S. Joannes Apoca- „ lypsis cap. VIII. "

Ex hac Catechismi doctrina apparet, injuste omnino a Dallæo, aliisque similibus hyperciticis aliquas precandi formulas, quibus prima fronte videtur invocari Sanctos tumquam auctores, & datores beneficiorum, quæ ex eorumdem intercessione a Deo accipimus, ut sunt ea verba hymni *Ave Maris Stella* ad B. Virginem directa: *Solve vincla reis, profer lumen cæcis, mala culpis solatos mites fac & castos*; neque enim aliud a B. Virgine imploramus, quam ejus patrocinium, & intercessionem, in eodem hymno eamdem Sanctissimam Patronam nostram ita rogamus: *Bona cuncta porce: sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus*, quibus sola, si alia deessent, satis ostenderetur discrimen, quo Deum rogamus, ut omnium bonorum auctorem, & datorem, ac B. Virginem quæ eadem bona poscit, ac nobis impetrat. Sed hac de re præter ceteros copiose egit vir de cultu Sanctorum optime meritus Jo. Chrysostomus Trombelli in quinque Vol. in 4. de hoc argumento editis, & ejusdem Apologista Philalethes Aphobius in *Vindiciis* adv. Jo. Rudolphum Kestingium Bononiæ 1751.

(*a*) Collyridianorum hæresis prodiit Sæcul. IV. in Arabia, ita dicta, quod Collyridem panis, seu placentam B. Virgini Mariæ per mulieres offerebant, tamquam Deæ, cujus Sacerdotes ex femineo sexu eligebantur. Hanc stultam *sui sæculi* Sectam confutavit S. Epiphanius Hæresi LXXIX. ostendens, Mariam adorandam non esse, sed honorandam. *Honoretur*, inquit, *Maria: Pater vero, Filius, & Spiritus Sanctus adoretur*.

„ art. 5. aliquid magis appropinquat principio in „ quolibet genere, tanto magis participat effectum „ illius principii ..... Christus autem est principium „ gratiæ, secundum divinitatem quidem *auctorita-* „ *tive*, secundum humanitatem vero *instrumenta-* „ *liter*. Unde & Joann. I. 17. dicitur: *Gratia,* „ *& veritas per Jesum facta est*. Beata autem „ Virgo Maria propinquissima Christo fuit secun- „ dum humanam naturam. Et ideo præ ceteris „ majorem debuit a Christo gratiæ plenitudinem „ obtinere " (*b*).

487. Obj. Nusquam legimus, a Judæis, vel Gentilibus fuisse Christianis objectum Beatissimæ Virginis Mariæ cultum. Celsus acerrimus, si quis alius, Christianæ Religionis hostis, Judæum inducit (apud Origenem Lib. I. num. 28.) Jesu exprobrantem, *quod e vico Judaico sit ortus, atque ex matre indigena, & paupercula, nendoque victum quæritante ..... quod hæc a conjuge extrusa, & vagata turpiter clanculario partu Jesum ediderit, quodque is propter paupertatem in Ægypto mercede operam suam locans, ibi arcanas quasdam artes, quas Ægyptii magni æstimant, didicerit, & postea in patriam reversus tantum se propter illas artes exuleris, ut etiam se Deum appellaret*. Has horrendas Celsi blasphemias referens Origenes Lectorem ita prudenter monebat: *Nonne tibi videris audire eos, qui injuriis quosdam in trivio lacessant, multa habita honesti, & decori ratione?* Ubi tamen Celsus nostris non exprobrat, quod talem vilissimam fœminam (ut illa blasphemabat), veluti quamdam Deam honorarent, non utique prætermissurus, si is, qui nunc B. Virgini cultus adhibetur, tunc in usu fuisset.

488. Resp. primo, Origenem sublimem Beatissimæ Matris Dei dignitatem eo loci minime reticuisse, quæ causa est peculiaris illius hyperduliæ cultus, quem ipsi tribuimus: deinde ejusdem virginem conceptum, & partum ex Isaiæ vaticinio exponit, & vindicat: unde iterum maxima resultat Mariæ laus, & gloria. Quod vero nihil Celsus de Mariæ Virginis cultu objiciat, hæc fortasse causa fuit, quod illum ignoraret; neque enim illis primis persecutionum temporibus omnia, quæ in occultis Christianorum conventibus, quos ad Christum Dominum, ejusque matrem colendam habebant, Gentilibus nota erant; sed multa ex tunc usitata *Disciplina arcani* eosdem cante celabant. Cujus disciplinæ testis est ipse Origenes Lib. I. num. 7., ubi fatetur, quædam esse in Christiana doctrina *reconditiora, nec omnibus retecta ... quæ profanis, nec purgatis auribus tutum non erat committere*.

489. Inst. Neque ipsi primi Ecclesiæ Patres aliquid novisse videntur de summo illo hyperduliæ cultu, quo nos Mariam Virginem honorandam esse censemus. Nam S. Irenæus, & Tertullianus nihil prorsus de eo memorant in loco maxime opportuno, ubi scilicet Valentinianos hæreticos oppugnabant, qui Jesum Christum aliquid de Maria Virgine assumpsisse negabant, ad eos autem refellendos opportunissimum certe videbatur, publicum, & universalem illius cultum commemorare, non alia de causa ipsi a fidelibus oblatum, nisi quia fuit vera & immaculata Christi mater.

490. Resp., negando aliquam futuram fuisse hujus universalis Mariæ cultus vim & efficaciam ad convincendos hæreticos Valentinianos. Quemadmodum enim aliis argumentis multo gravioribus, quæ ad probandam veram Christi Nativitatem ex Virgine Maria ex Scriptura, & Patrum traditione afferebantur, procuciter, & obstinatissime resistebant, ita multo audacius refragati fuissent alteri argumento, utut efficacissimo, quod ex cultu B. Virginis repeti potuisset. Simile exemplum habemus in Patribus Ephesinis, qui contra Nestorium sublimem illam genitricis Dei dignitatem omni argumentorum genere vindicarunt, quin tamen aliquid de cultu, quo palam, & ubique eo sæculo Maria a fidelibus honorabatur, aliquid afferrent. Sed hæc pro nostro instituto sufficiant.

491. Tantum adjicere liceat devotam illam adspirationem ad Mariam, qua S. Bernardus Sermonem suum secundum de Adventu Domini concludit, dicens: *Sed jam advertistis, nisi fallor; quoniam Virgo regia ipsa est via, per quam Salvator advenit, procedens ex ipsius utero, tamquam sponsus de thalamo suo .... Studeamus & nos, dilectissimi, ad ipsum per eam ascendere, qui*

(*b*) Multo plura, & etiam majori energia expressa Sanctorum Patrum, Doctorum Scholasticorum, ac præcipue Mysticorum testimonia adduci potuissent, sed molus adhibendus est. Neque etiam omnia ad litteram probari possunt, quæ in laudem M. Virginis aliqui tam veteres, quam recentiores ex impetu quodam pietatis protulerunt, quæque hypercriticis Joan. Dallæo, Andreæ Riveto, aliisque Hagiomachis stomachum moverunt, neque a nobis defendi possunt, nisi adhibita multa cautione, ac benigna interpretatione, qua ad pectum & orthodoxum sensum reducantur; præ oculis habenda est aurea illa S. Bernardi sententia in epist. CLXXIV. ad Canonicos Lugdun. *At valde honoranda est*, inquit, *Mater Domini. Bene advenes; sed honor regiæ judicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis &c.* Hinc etiam non pauci libri, imagines, nummismata, & alia heteroclitæ cujusdam devotionis signa Ecclesiæ oraculo damnari meruerunt, ut *Elucidarium Deiparæ* Jo. Bapt. Poza, & cetera ejusdem auctoris opera. Omnino hac in parte legendus est perdoctus Theophilus Raynaudus in *Dipticis Marianis*, cujus sententiam de vitando nimio quodam, ac plane superstitioso Mariæ cultu ambabus ulnis amplexus est laudatissimus D. Joann. Chrysostom. Trombelli in suo opere *De Mariæ Sanctissimæ vita, ac gestis* &c. Tomo V. P. II. Diss. II. contra Bened. Plazzam, qui in *Causa immaculatæ conceptionis* &c. Lampredium Fritannium (seu celebrem Ludov. Muratorium) confutare conatus est in iis, quæ scripserat in Libro *Della regolata divozione de' Cristiani*, pro moderandis quorumdam piorum excessibus.

qui per ipsam ad nos descendit: per eam nos venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas tua Deo grata nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta. Fac, o benedicta, per gratiam, quam invenisti, per prærogativam, quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ, & beatitudinis suæ: Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. (a).

CAPUT POSTREMUM.

De perpetua Beatissimæ Mariæ Virginitate.

492. Adeo communis semper fuit inter populos Christianos de perpetua Mariæ virginitate sententia, ut a primis temporibus non alio appellari soleret vocabulo, quam *Virginis*, quasi *B. Maria, & Virgo* sint duo synonyma. *Quis unquam*, inquiebat Sanctus Epiphanius Hæresi LXXVIII., *aut quo sæculo proferre ausus est nomen Sanctæ Mariæ, & interrogatus non statim intulit Virginis nomen? Non altera videtur Sanctæ Mariæ vox, & Virgo.* Hæc sola autonomastica appellatio sufficere debuisset ad præfocandum impurum os Vigilantii, & Helvidii, qui Sæculo IV. perpetuam Deiparæ virginitatem palam impugnare sunt ausi; alter quidem in partu, alter autem post partum eamdem Virginem permansisse negans, contra quos sit.

(a) Insignis etiam illa B. Mariæ invocatio quæ addita est Salutationi Angelicæ, nimirum *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis &c.*, & quam duo Eminentissimi, doctissimique Cardinales Baronius ad ann. 431. n. 170., & Bona in *Divina Psalmodia* c. 16. §. 2. in anagna Synodo Ephesina incepisse opinati sunt. Sed eorum sententia minime probata fuit ab aliis Criticis, qui post Mabillonium Præf. in Sæcul. V. Benedict. n. 183. illud additamentum nonnisi post Sæculum XV. factum fuisse multis argumentis ostendunt. Sane Erasmus immerito carpens usum illum (qui a Sancto Vincentio Ferrerio invectus creditur) ut Sacri Oratores suis concionibus Salutationem Angelicam præmittant, illud etiam addebat, quod *nihil petant absurdi, sed tantum salutent verbis Angeli*, & *Elisabethæ*. Lib. II. Ecclesiastic. Tom. V. Opp. pag. 873., quod dicere ausus non fuisset, si etiam secundam illam partem *Sancta Maria* &c. fideles tunc recitassent. Quidquid autem sit de hujus devotissimæ precandi formulæ origine, intollerabilis prorsus est Jos. Binghamus, qui in *Orig. & Antiq. Chr.* Vol. VI. p. 157. *hanc hyperdiliam ab idololatria liberare non posse* blaterat. Salutationem Angelicam cum additamento *Sancta Maria &c.* S. Pius V. breviario a se emendato, atque Officio B. V. inseri jussit.

PROPOSITIO I.

Beatissima Dei genitrix Maria in partu Virgo Immaculata permansit (b).

493. Probatur primo ex iis verbis Isaiæ VII. 14., quæ superius jam fuse expendimus, ubi expresse dicitur, non solum, quod *Virgo concipiet*, sed etiam quod *pariet Filium*. Quod divinum vaticinium adimpletum non fuisset, si Dei genitrix in partu fecisset suæ Virginitatis jacturam.

494. Probatur secundo ex Symbolo Apostolorum, ubi Christus dicitur *natus ex Maria Virgine*; & Sanctus Augustinus in *Enchiridio* cap. 34. recte observat, *quod si per nascentem corrumperetur ejus* (Mariæ) *integritas, non jam ille de Virgine nasceretur: eumque falso, quod absit, natum de Virgine Maria, tota confiteretur Ecclesia.*

495. Accedit etiam veterum Patrum traditio, unde in Concilio Ephesino Theodoretus Ancyranus ita secure pronunciavit: *Quæ parit carnem puram, a virginitate cessat. Sed quia natum est in carne Verbum Dei, custodit virginitatem, seipsum per hoc ostendens Verbum. Neque enim nostrum verbum cum paritur, corrumpit mentem: neque Deus Verbum substantiale partum eligens, peremit virginitatem.*

496. Hanc veritatem confirmavit Sanctus Ambrosius in suo Concilio Mediolanensi contra Jovinianum, ut apparet ex ejusdem epistola Synodica ad Siricium Romanum Pontificem, in qua illam portam *clausam*, quam Ezechiel vidit cap. XLIV. 2. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam &c.* de Maria interpretatur, *quia Virgo concepit, & genuit.* Quam interpretationem *traditi quoque* Sanctus Hieronymus Comment. in hunc locum, aliique post istos duos eximios Ecclesiæ Doctores.

497. Sanctus Augustinus epist. CXXVII. ad Volusianum cap. 2. postquam multa de omnipotenti Dei virtute disputavit: *Ipsa virtus, inquit, per in-*

(b) Prodigiosam Jesu Christi Conceptionem in utero Virginis Mariæ superius jam vindicavimus; unde modo non superest, nisi Joviniani errorem refellere, qui S. Augustino teste *De Hæresibus* n. 82. *Virginitatem Mariæ destruebat, dicens, eum pariendo fuisse corruptam*; quamquam nec Siricius Papa, nec Hieronymus hunc errorem Vigilantio exprobrant, fortasse, ut editor Benedictus. ad Synodicam S. Ambrosii epistolam admonat, quia Romæ ausi non fuerant Jovinistæ eumdem errorem vulgare. Blasphemum Jovinianum Honorius Imperator jussit plumbatis contusum in insulam Boam exilio deportari. Paucos & ignobiles hic errorem natus est patronos. Sunt tamen ex Novatoribus aliqui, qui nostram sententiam, imo veram, ad fidem pertinere inficiantur.

inviolatæ matris virgineæ viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra juvenis introduxit. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. Et in fine epist. CXLIII. *De Virginitate autem Sanctæ Mariæ*, inquit, *si hoc, quod scripsi, non persuadet fieri potuisse, negandæ sunt omnia, quæ mirabiliter in corporibus acciderunt.*

498. His addamus tres Rom. Pontifices Leonem magnum, Hormisdam, & Pelagium I. quorum prior in Serm. II. de *Nativit.* de Christo loquens, *Nova*, inquit, *nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis injuria, quia futurum hominum Salvatorem talis ejus ortus decebat &c.* Hormisdas autem in epist. LXXIX. ad Justinum Imperat. *Dignum plane*, inquit, *Deo nascente mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine.* Ac demum Pelagius in Confess. fidei subjecta epist. XVI. ad Childebertum Regem, *Christum*, ait, *natum esse serbata integritate maternæ virginitatis; quia sic enim Virgo permanens genuit, quemadmodum virgo concepit.*

499. S. autem Thomas 3. Part. quæst. 28. art. 2. probat, hoc fuisse conveniens propter tria: *primo*, quia hoc competebat proprietati Verbi, quod nascebatur: verbum enim non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit: *secundo*, propter effectum incarnationis Christi, qui ad hoc venit, ut tollat nostram corruptionem, unde non fuit conveniens, ut virginitatem matris nascendo corrumperet: *tertio*, ne matris honorem nascendo diminueret, qui parentes præceperat honorandos.

500. Postremo loco afferenda est definitio facta in Synodo Romana sub Martino I., in qua hæc universalis Ecclesiæ traditio his verbis Can. 3. confirmata fuit: *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur ... Sanctam, semperque Virginem, & immaculatam Mariam ... incorruptibiliter eum* (Deum Verbum) *genuisse, indissolubili permanente & post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit.*

501. Hinc est etiam communis illa SS. Patrum opinio, quod B. Virgo Maria sine ullo doloris sensu suum Filium peperit, unde S. Lucas cap. II. 7. de ea dicit: *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit* &c. nullam dolorum, quos ceteræ mulieres perferre coguntur, mentionem faciens. Ecclesia autem sic de ea pronunciat: *Nesciens mater Virgo virum, peperit sine dolore Salvatorem sæculorum.*

502. Frustra autem hic objiceretur visio ænigmatica Apocal. XII. 4. seq. mulieris, quæ *cruciabatur, ut pareret.* Ea enim visione non Maria Virgo parturiens, sed potius Ecclesia designata videtur, quæ diris persecutionibus excruciata fuit, ut filios suos pareret.

503. Obj. primo. Lucæ II. 22. seq. dicitur, puerulum Jesum fuisse a parentibus Jerusalem delatum, ut sisteretur Domino, ad implendam scilicet legem, *Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur:* non itaque in partu fuit Mariæ virginitas servata.

504. Resp., S. Evangelistam communi more locutum tantummodo voluisse significare, Jesum Christum fuisse primogenitum; adeoque juxta legem Moysi Deo consecrandum; non autem quasi Jesus communi naturæ lege ex utero prodiens claustrum virgineum suæ Matris violaverit. Sane illam phrasim *adaperire vulvam* non aliud in laudata Lege Mosaica significare, nisi partum primogeniti, non autem virginitatis jacturam, vel ex eo solo luculenter apparet, quod neque de aliis mulieribus communiter dici poterat, quod in pariendo virginitatis jacturam faceret, quia hanc jacturam jam antea passæ erant in concipiendo. Aliquando etiam in sacris litteris *adaperire vulvam* non significat nisi fœcunditatem; ut cum Gen. XXIX. 31. & XXX. 22. dicitur Deus aperuisse Rachelis vulvam.

505. Inst. Sanct. Ambrosius in Commentar. hunc locum explicans inquit: *Qui vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur Propheta, hic est, qui aperit matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret.* Tertullianus item *de carne Christi* cap. 22. hunc ipsum locum explicans, *Quis*, inquit, *proprie vulvam adaperuit, quam qui clausam patefacit?* Et Origenes Hom. IV. in Lucam, *Matris Domini*, ait, *eo tempore vulva reserata est, quo & partus editus; quia sanctum uterum, & omni dignatione venerandum ante nativitatem masculus omnino non tetigit.* Multi alii Patres idipsum asseruerunt.

506. Respondet S. Thomas explicando verba S. Ambrosii, ut „ illa adaperitio non significet reseº„ rationem communem claustri pudoris virginei; „ sed solum exitum prolis de utero matris. " Certe idem Sanct. Ambrosius in Hymno Nativitatis, quem adoptavit Ecclesia, ita canit: *Claustrum pudoris permeat.* Similem loquendi modum usurpavit etiam Sanct. Hieronymus virginitatis Deiparæ defensor invictus; cum in Dial. II. contra Pelag. num. 4. *Christus*, inquit, *clausas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ jugiter permanserat.* Et Sanct. Joan. Damascenus Homil. I. *In Dormit. Beat. M. Virg.* num. 8. *Qui Deus erat*, inquit, *homo sit, ac eximio modo partus tempore nascitur vulvam ita aperiens, ut Virginis claustra minime labefactet.* Eademque ratione explicandi sunt Origenes, Tertullianus, Irenæus, & quicumque ex Veteribus obsignatum Virginis Mariæ claustrum divini partus tempore reseratum fuisse, indicare videntur. Sumpserunt nempe vulvæ aperitionem pro effectu, ut significarent, illud virgineum claustrum Christi

Domini nativitati minime obstitisse; non autem quasi illud sacrum repagulum effractum fuerit.

507. Ob. secundo. Transire per clausa pertinet ad dotes corporis gloriosi; unde etiam Christus post resurrectionem intravit in cœnaculum Apostolorum januis clausis; sed corpus Christi in sua conceptione, & nativitate non fuit gloriosum, sed passibile, *in similitudinem carnis peccati*, ut inquit Apostolus ad Roman. VIII.: ergo &c.

508. S. Thomas hac quæst. 28. artic. 2. ad 3., quorumdam ait fuisse sententiam, Christum in sua nativitate dotem subtilitatis assumpsisse; sicut quando ambulavit siccis pedibus supra mare, dicunt eum assumpsisse dotem agilitatis. Hanc tamen opinionem rejicit Angelicus, & ita difficultatem solvit: „ Dicendum, quod omnia ista facta sunt mi„raculosa per virtutem divinam: unde Augustinus „ dicit Tract. CXXI. in Jo.: *Materni corporis, „ ubi Divinitas erat, ostia clausa non obstite„runt; ille quippe non eis apertis intrare po„tuit, quo nascente virginitas Matris inviolata „ permansit*" (a).

509. Temporis, & operæ dispendium faceret, qui ea vellet discutere & refutare, quæ de mulieribus, & obstetricibus partui Mariæ assistentibus apud quosdam vulgata fuerunt; ac præcipue de S. Anastasia, cujus propterea memoriam celebrari credunt in secunda Missa Natalis D. N. J. C.; quæ tamen Anastasia nonnisi tertio Ecclesiæ sæculo sub Diocletiano martyrium subiit. Fabulas istas explodit sacer textus Evangelistæ Lucæ, qui cap. II. 7. seq. ita rem simpliciter narrat: *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio*. Ex quo textu etiam eruitur, B. Virginem sine ullo doloris sensu fuisse suum fœtum enixam; neque enim potuisset hæc officia puerulo præstare, si consuetis aliarum puerperarum incommodis fuisset obnoxia.

(a) Non hic immorabimur in recensendis iis, quæ de notione Virginitatis, aut de modo, quo Christus ex clauso, atque obsignato materni pudoris claustro in lucem prodire potuit, a quibusdam Scholasticis curiosius disputata, sunt: satis est dicere cum duobus Scholarum Magistris Augustino, & Thoma id miraculo effectum fuisse; quomodo autem miracula fiant, ille solus novit, qui facit. Placet tamen similitudo radii solaris per cristallum transeuntis, qua aliqui ad Virginem partum explicandum usi sunt; & quam elegantissimus Sannazarius his versibus exornavit Lib. I. *De partu Virginis*.

„ Haud aliter, quam cum purum specularia solem
„ Admittunt; lux ipsa quidem pertransit, & omnes
„ Irrumpens lassat tenebras, & discutit umbras;
„ Illa manent illæsa, haud illi pervia vento,
„ Non hiemi, radiis sed tantum obnoxia Phœbi.

(b) Referuntur etiam vetustissimæ quædam picturæ Mariæ Virginis recumbentis in lecto mora aliarum puerperarum; de quibus, aliisque similibus commentitiis fabulis legendus Jac. Hyac. Serry Exerc. XXIX. *De Christo, ejusque Virgine Matre*.

(c) Contra Antidicomaritas, vel Antidicomarianitas, Præclare S. Hieronymus contra Helvidium, *Nulla*, inquit, *obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit: ipsa pannis involvit infantem, ipsa & obstetrix fuit* (b).

PROPOSITIO II.

Sanctissima Dei genitrix Maria post partum suum virginitatem perpetuo servavit (c).

510. Prob. ex veteribus Ecclesiæ Patribus. Origenes Hom. VII. in Lucam: *In tantam*, inquit, *nescio quis prorupit insaniam, ut assereret negatam fuisse Mariam a salvatore, eo quod post nativitatem illius juncta fuerit Joseph*.

511. S. Epiphanius data opera Antidicomaritas *Hæresi* LXXVIII. impugnavit, primo ex ipso nomine *Virginis*, quod Mariæ Sanctissimæ ab omnibus tribui consuevit; & concludit: *Sic Sancta Maria virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Hæc enim perpetuo incorrupta permansit*. Deinde ipsum colligit Epiphanius ex eo, quod Maria, & Joseph *ambo justi erant: neque qui hoc semel audiisset, fœtum illum, quem in utero ipsa gestabat, e Spiritu esse Sancto, post tantam Dei administrationem vase illo auderet uti; quod eum capere meruerat, quem ob excellentem gloriam cœlum, & terra continere non possunt*. Demum Antidicomaritarum errorem *blasphemiam* appellare non dubitat.

512. S. Ambrosius in Libro *de institutione Virginis* cap. 6. *An vero*, inquit, *Dominus Jesus eam sibi matrem eligeret, quæ virili semine aulam posset incestare cœlestam, quasi eam, cui impossibile esset virginalis pudoris servare custodiam? ... Nec fieri poterat, ut quæ Deum portaverat, portandum hominem arbitrari tur. Nec Joseph vir justus in hac prorsus amentiam, ut ma-*

quo nomine inquit Sanctus Augustinus in Libro *De Hæresibus* num. 56. *eppellati sunt hæretici, qui Mariæ Virginitati usque adeo contradicunt, ut affirment, eam post Christum natum viro suo fuisse commixtam*. Hujus impiissimæ blasphemiæ auctor communiter censetur Helvidius, qui librum evulgaverat, probare contendens, *Mariam* Virginem permansisse usque ad partum Jesu Christi: post autem liberis gignendis operam dedisse. Hunc librum S. Hieronymus rogatus a fratribus acerrime confutavit. Vidatur tamen, nonnullos Helvidio in hac impietate præivisse, aliquos nempe ex Apollinaristarum impuhnavit *Hæresi* LXXXIII. Bonosus item Sardicensis Episcopus, propter negatam perpetuam B. Mariæ Virginitatem fuit in Concilio Capuano anno 389. damnatus; quam justam condemnationem confirmavit S. Siricius Pontifex maximus, in epist. ad Anysium, & ceteros Episcopos Illyrii. Vid. P. Constant in Tom. I. *Epist. Summ. Pontificum* in admonit. prævia ad hanc Siricii ep. Aconsantur aliqui inter postremos Novatores ejusdem erroris, communiter tamen Hæreodoxi perpetuam B. Mariæ Virginitatem defendunt, sin minus ut infallibile fidei dogma, saltem ut piam, certamque sententiam.

matri Domini corporeo concubitu misceretur.

513. Demum, ut brevitati studeam, verba afferam S. Hieronymi, qui plura potuit legere vetera Ecclesiæ monumenta, quibus nos caremus, ita num. 17. Helvidium auctoritate Patrum urgentis: *Numquid non possum tibi totam veterem Scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Justinum martyrem, multosque alios apostolicos, & eloquentes viros, qui adversus Ebionem, & Theodotum Byzantium, & Valentinum hæc eadem sentientes plena sapientiæ volumina conscripserunt?*

514. Prætermittendus tamen non est S. Thomas, qui hoc fidei nostræ dogma theologicis rationibus ex Sanctis Patribus depromptis ita confirmat 3. Part. quæst. 28. art. 3.: „ Absque omni „ dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere præsumpsit, matrem Christi post partum a „ Joseph esse carnaliter cognitam, & alios filios „ genuisse. Hoc enim *primo* derogat Christi perfectioni, qui sicut secundum naturam divinam „ unigenitus est Patri, tamquam perfectus per omnia filius ejus, ita decuit, ut esset unigenitus „ Matris, tamquam perfectissimum germen ejus. *Secundo* hic error injuriam facit Spiritui sancto, cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in „ quo carnem Christi formavit: unde non decebat, quod de cetero violaretur per commixtionem virilem. *Tertio* derogat dignitati, & sanctitati matris Dei, quæ ingratissima videretur, „ si tanto Filio contenta non esset, & si virginitatem, quæ in ea miraculose conservata fuerat, „ sponte perdere vellet per carnis concubitum. *Quarto* ipsi Joseph esset ad maximam præsumptionem imputandum, si eam, quam revelante „ Angelo, de Spiritu sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et *ideo* simpliciter est asserendum, quod mater Dei, sicut virgo concepit, & virgo peperit, etiam & virgo „ post partum in sempiternum permansit.“

515. Addendum denique, quod Patres Synodi VI. œcumenicæ Act. XI. dixerint: *Mariæ illibata virginitas, quæ ante partum, in partu & post partum est intemerabilis.* Unde Ecclesia ita beatissimam Virginem precari solet: *Post partum virgo inviolata permansisti, Dei genitrix intercede pro nobis.*

516. Obj. primo. Matth. I. 18. de Joseph & Maria dicitur: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Non autem Evangelista diceret *Antequam convenirent*, nisi de conventuris; quia nemo dicit de non præsuro, *antequam prandueret*: videtur ergo, B. Virginem aliquando convenisse cum Josepho carnali copula.

517. Respondet S. Thomas una cum S. Hieronymo contra Helvidium num. 4. „ quod licet hæc „ propositio *ante* sæpe consequentiam indicet, „ tamen nonnunquam ea tantum, quæ prius cogitabantur, ostendit. Unde nec necesse sit, ut „ cogitata fiant, quum aliud ideo intervenerit, ne „ ea, quæ cogitata sunt, fierent.“ Varia autem S. Hieronymus ad id confirmandum affert exempla; ut si quis dicat: *antequam in portu pranderem, ad Africam navigavi*; aut: *Helvidius, antequam pœnitentiam ageret, morte præventus est.* „ Similiter, concludit Angelicus, Evangelista dicit: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, non quia „ postea convenerint, sed quia, dum viderentur „ conventuri, prævenit conceptio per Spiritum „ sanctum; ex quo factum est, ut ulterius non „ convenirent.“

518. Inst. primo. Ibidem Angelus ita Josephum allocutus est: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*; conjugium autem consumatur per carnalem copulam, quæ aliquando interventura erat.

519. Respondet iterum Doctor Angelicus, quod, sicut Augustinus dicit Libro I. *de nuptiis, & concupiscentia* c. 11., *conjux Joseph vocabatur mater Dei ex prima desponsationis fide, quam per concubitum non cognoverat, nec fuerat cogniturus.*

520. Inst. secundo. Ibidem S. Matthæus ita caput concludit: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Ubi duo sunt notatu digna; *primo* particula *donec*, quæ superflua, & otiosa esset, si Joseph suam conjugem nunquam cognovisset: *secundo* illud adjectivum *primogenitus*, quo alii filii indicantur post primum geniti.

521. Primæ difficultati resp., particulam *donec*, non semper certum tempus significare, sed aliquando infinitum; ut cum S. Paulus 1. ad Corinth. XV. 25. citans verba Psalmi CIX. inquit *de Christo; Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*; non quasi regnaturus non sit, postquam inimici positi fuerint sub pedibus ejus, cum regni ipsius nullus futurus sit finis.

522. Sunt etiam, qui ea verba: *Non cognoscebat eam, donec peperit* &c. intelligunt de cognitione excellentiæ, & meritorum B. Mariæ Virginis, quam Josephus non habuit plenam, nisi quando in ejusdem partu vidit Choros Angelorum canentium: *Gloria in excelsis Deo* &c. Prima tamen responsio verior, & solidior videtur: unde ea utitur etiam S. Thomas, addens Evangelistam dicere, *matrem Dei non fuisse cognitam a viro usque ad partum, ut multo magis intelligamus, cognitam non fuisse post partum.*

523. Secunda autem difficultas solvitur, observando, *primogenitum* in sacris litteris etiam significare *unigenitum*; ut apparet in lege Numeror. XVIII. de primogenitis Deo offerendis, in qua certe comprehendebantur etiam unigeniti; unde recte Hieronymus: *Omnis unigenitus est primogenitus, non omnis primogenitus est unigenitus.*

524. Inst. tertio. In sacris litteris sæpius commemorantur fratres Christi Domini. Matth. XIII. 55. *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, &*

Jo-

Josephus, & Simon, & Judas, & sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? ergo non fuit unigenitus; adeoque nec ejus mater virgo post partum.

525. Respondetur cum S. Hieronymo, fratres Domini non fuisse filios Joseph, *sed consobrinos Salvatoris, Mariæ materterœ Domini liberos.* „ Quatuor enim modis, inquit Angelicus hanc „ difficultatem solvens, in Scripturis fratres di„ cuntur, scilicet *natura, gente, cognatione,* „ *& affectu.* Unde fratres Domini dicti sunt, „ non secundum naturam, quasi ab eadem matre „ nati, sed secundum cognationem, quasi consan„ guinei ejus existentes. Joseph autem, sicut Hie„ ronymus dicit contra Helvidium, *magis cre„ dendus est virgo permansisse; quia aliam u„ xorem habuisse non scribitur, & fornicatio „ in sacrum virum non cadit.*" Hæc quatuor fratrum genera S. Hieronymus ex multis Scripturæ sacræ locis erudite illustrat, & confirmat. Quibus addi potest id, quod S. Paulus habet in epist. ad Gal. I. 19., se *Apostolorum* neminem vidisse, *nisi Jacobum fratrem Domini.* Porro iste Jacobus Apostolus non poterat esse frater Domini *naturalis*, duo enim erant *Apostoli* nomine Jacobi apud Matth. X. 4., scilicet alter filius Zebedæi, alter filius Alphæi: neuter ergo filius Joseph, adeoque Jacobus *frater Domini* dictus, esse non poterat, nisi Domini consobrinus (*a*).

526. Inst. 4. Matth. XXVIII. 55. seq. inter mulieres, quæ Jesu morienti & post mortem adstiterunt nominatur etiam *Maria Jacobi*, & *Joseph mater;* quæ Maria non alia videtur fuisse, quam mater ipsius Jesu, quam Evangelista Joannes expresse memorat XIX. 25., alias sequeretur, Mariam sanctissimam non fuisse præsentem officio sepulturæ filii sui; quod nec suspicari possumus: ergo &c.

527. Respondet S. Thomas, Mariam, quæ dicitur mater Jacobi, & Joseph, non esse Mariam matrem Jesu Christi, quæ in Evangelio non consuevit nominari, nisi cum mentione ipsius dignitatis, nempe *matris Jesu*. Illa igitur Maria, quæ dicitur mater Jacobi, & Joseph, debuit esse uxor Alphæi, cujus filius est Jacobus minor, qui dictus est *frater Domini*. Quod si Maria sanctissima non fuit a Matthæo inter pias mulieres expresso nomine memorata, non tamen sequitur, eamdem non fuisse sepulturæ Christi præsentem. Profecto Matthæus nec memorat præsentiam Sancti Joannis, quem tamen abfuisse ab hoc pietatis officio, nullo modo credendum est.

528. Ob. *secundo*. Tertullianus in Libro *de Monogamia* cap. 8. Christum, inquit, *Virgo enixa est, semel nuptura post partum; ut uterque titulus sanctitatis in Christi sensu dispungeretur, per matrem, & virginem, & univiram.* Item in Libro *de carne Christi* cap. 7. censet eos, qui in Evangelio dicuntur *fratres domini*, fuisse proprie fratres uterinos. Tertulliano Helvidius conjungebat Victorinum Petabionitem.

529. Resp. autem S. Hieronymus: *De Tertulliano quidam nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse. De Victorino vero id assero, quod de Evangelistis; fratres eum dixisse Domini, filios Mariæ. Fratres autem ... propinquitate, non natura.* Licet aliqui etiam, Tertullianum benigne explicari posse existiment.

Quæres primo, an hæc sententia de beatissimæ Matris Dei perpetua virginitate ad fidem pertineat?

530. Ratio dubitandi aliqua esse potest auctoritas S. Basilii, qui in Homil. XXV. *de Nativ.* in ea verba: *Non cognoscebat eam, donec peperit*, exponit: „ Affert hic locus suspicionem, quod „ postquam generationi Domini per Spiritum san„ ctum administratæ caste, pureque serviit, tum „ demum usitata nuptiarum opera Maria non re„ cusaverit. Nos autem; *quamvis nihil hoc do„ ctrinæ pietatis officiat* (siquidem eo usque ne„ que necessaria virginitas fuit, dum dispensatio„ ni illa serviret; quod autem deinde secutum „ est, tamquam nihil ad mysterii rationem spe„ctans, curiosius omittamus inquirere), nihilo„minus Christum amantium aures non sustinent „ hoc audire, quod Dei genitrix aliquando virgo „ esse desierit &c."

531. Verumtamen communem omnium plane Christianorum, perpaucis exceptis, de perpetua Mariæ virginitate sententiam ad fidem pertinere non dubito. Sane ipse mox laudatus Basilius inquit, *aures Christi amantium non sustinere* oppositum sentire. S. Epiphanius de Antidicomarianorum hæresi vocat *blasphemiam* vel ipsam *suspicionem* contra Mariæ virginitatem. Origenes supra laud. n. 510. *insanos* appellat, & S. Ambrosius *de Instit.* Virginis ut *sacrilegos* detestatur, qui negant, Mariam perseverasse Virginem. Photius denique Helvidii sententiam dicit *irreligiosam*, & *impiam*. Ulterius S. Siricius Papa in Concilio Romano Helvidium virginitatis Mariæ osorem damnavit, & ab Ecclesiæ communione expulit; atque idipsum postea præstitit Sanct. Ambrosius in Synodo Mediolani collecta. Ecce ergo non concludamus, hanc sententiam ad fidem catholicam pertinere?

532. Sanct. autem Basilius id solum vult, etiamsi impia illa, ac damnata sententia vera esset, quod an-

(*a*) S. Epiphanius *Hæresi* LXXIX. quatuor fratres Domini e Scriptura recenset, scilicet Jacobum minorem, Josem, Simonem, & Judam; ac præterea sorores duas Salomeo, & Mariam; quos omnes a Josepho genitos fuisse credit, antequam Mariæ Virgini nuberet. Epiphanio hanc in parte consentit Cyrillus Alexandrinus in *Glaphyris* Libro VII. Part. II. Communior quidem opinio est, Josephum fuisse innuptum, & virginem, non tamen certa, utpote cui aliqui veterum Patrum refragantur; Consule Nat. Alexandrum in fine Dissert. XLXIII. in Sæc. IV.